SCRIPTORVM

PVBLICE PROPOSITORVM

A GVBERNATORIBVS

studiorum doctrinæ in Academia VVitebergensi.

TOMVS SEPTIMVS.

COMPLECTENS EA, QVÆ PRO-
posita fuere à Calend. Maij, Anni Iesu Christi
M. D. LXVI. usq; ad Calend Maij, Anni
M. D. LXIX.

VVITEBERGÆ
Excudebant Clemens Schleich et Antonius Schöne.
ANNO
M. D. LXXII.

C F 394-63

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000003

Nutzungsbedingungen für Online-Angebote der Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

Die Online-Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek der Herzog August Bibliothek (http://digbib.hab.de) sind urheberrechtlich geschützt und unterliegen Nutzungsrechten. Soweit nicht anders vermerkt, stehen sie unter einer Creative Commons Namensnennung-Weitergabe unter gleichen Bedingungen 3.0 Deutschland Lizenz (CC BY-SA).



Unter diese fallen online frei verfügbare Imagedigitalisate, Strukturdaten, Volltexte, Daten aus Datenbanken (in der über OAI abfragbaren Form), Ton- und Videodokumente sowie aktuelle Publikationen. Bitte beachten Sie, dass für über die Webseiten der Herzog August Bibliothek angebotene Dokumente Dritter andere Rechte gelten können.

Erläuterung

Die Online verfügbaren digitalen Angebote der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek stehen allen Interessierten weltweit frei unter einer CC BY-SA Lizenz zur Nutzung zur Verfügung. Neben den in http://creativecommons.org/licenses/by-sa/3.0/de/legalcode ausgeführten allgemeinen Einschränkungen ist bei einer Nachnutzung Voraussetzung, dass a) der Urheber in der nachfolgend beschriebene Form genannt ist und dass b) das Angebot unter den gleichen Bedingungen, d.h. vor allem frei und unentgeltlich, erfolgt.

a) Bei der **Namensnennung** (BY) ist Folgendes zu beachten (vgl. CC BY-SA, Abschnitt 4.a und 4.c). In Digitalisaten angebrachte Herkunftsnachweise – typischerweise die Fußleiste - dürfen als Nachweis nicht entfernt werden.[1] Zugleich muss auf der Angebotsseite an geeigneter Stelle, in jedem Fall aber innerhalb der Domain des Angebotes ein Nachweis in der folgenden Form angebracht werden: Sofern ein eigener persistenter Link (PURL, URN, etc.) verwendet wird, muss der persistente Link der Wolfenbütteler Digitalen Bibliothek über, unter oder neben dem eigenen persistenten Link stehen.

Im Druck:

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <[Persistent URL[2]]>

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

oder

© HAB Wolfenbüttel: 14 Astron. <http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm> 

[1] Beigefügte Maßtäbe unterliegen nicht dieser Beschränkung und dürfen entfernt werden.
[2] Zum Zitieren Wolfenbütteler Digitalisate s.: http://diglib.hab.de/?link=033

Im Internet (HTML Quelltext):

© Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <Persistent URL>

oder

© HAB Wolfenbüttel <[Signatur]> 

Z.B. Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/inkunabeln/14-astron/start.htm">14 Astron. 

Wenn sich auf der Seite eine zusätzliche Angabe zur Autorin oder Autor eines Beitrages findet, z.B. © [Autorname] ist folgende Form einzuhalten:

Im Druck:

© [Autorname]. Work originally *published by HAB Wolfenbüttel <Persistent URL>* 

Im Internet (HTML Quelltext):

© [Autorname]. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <Persitent URL oder Signatur> 

Z.B © Flemming Schock. Work originally published by HAB Wolfenbüttel <<a href="
http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm "> http://diglib.hab.de/edoc/ed000155/start.htm
> 

b) Bei der Bereitstellung unter **gleichen Bedingungen** ist zu beachten, dass das Werk *frei*, *unentgeltlich* und im Geiste der *Förderung der Kultur und Wissenschaften* zur Verfügung gestellt werden muss. Sofern dies gewährleistet ist, ist auch eine kommerzielle Nutzung, z.B. in der Wikipedia oder einem Open Access, unter CC BY-SA publizierenden wissenschaftlichen Verlag möglich. Nicht unter diese Lizenz fallen typische kommerzielle Produkte wie Verlagszeitschriften, die Nutzer kostenpflichtig erwerben müssen, zugangsbeschränkte Online-Angebote sowie Nutzungsarten, die ausschließlich auf Werbung oder andere nicht-wissenschaftliche Zwecke zielen. Für alle zuletzt genannten Fälle muss eine kostenpflichtige Sondernutzung vereinbart werden.

Nicht frei über die Homepage der Bibliothek verfügbare Angebote unterliegen gesonderten Nutzungsregeln, die von der Auskunft der Bibliothek (auskunft@hab.de) erfragt werden können. Im Übrigen gilt die Benutzungsordnung für Landesbibliotheken und die Gebührenordnung für die Bibliotheken des Landes Niedersachsen in der jeweils gültigen Fassung in Verbindung mit dem Niedersächsischen Verwaltungskostengesetz.

Der Direktor (2013-03-01)

HERZOG AUGUST BIBLIOTHEK WOLFENBÜTTEL

NOBILITATE GENERIS, SAPIENTIA, CONSILIO, ERVDITIONE AC VIRTVTE CLARISS. VIRIS: DOMINO PAVLO RVBIGALLO, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, & Lypſchenſis ditionis præfecto &c. & Domino ELIÆ SCHALL, Ciui & Senatori Schemnicenſi, Dominis & Patronis ſuis colendis. S. D.

VO TEMPORE PHI*lippus Rex imminere Corintho nunciabatur, trepidatione, vt fieri ſolet, per vrbem facta, diuerſis operis occupabantur ciues, vnus arma expediebat, alius ſaxa congerebat, alius in muris, alius in propugnaculis ſtruebat aliquid, alius aliud quo opus erat curabat, nemoq, vt par erat, cernebatur ocioſus tali Reipublicæ tempore. Quod cum videret DIOGENES Philoſophus, qui tum in ea vrbe hoſpitium ha-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000004

bebat, in dolio quidem habitans, quò pro domo vtebatur, quomodo & Athenis aliquando habitasse scribitur, hic igitur cum nemo eius operam expeteret, neq; ipse quid faceret haberet aut reperiret, cingere se cœpit, & doliũ habitationis suæ magno conatu hinc inde, sursum deorsum, voluere & reuoluere, cumq; interrogaretur à quodam, quare id faceret, dicitur respondisse, se ideo illum laborem sibi sumere, ne in communi labore singulorum ciuium, & tantis & tam diuersis tam multorum hominum occupationibus, solus ipse esset ociosus, Atq; ita existimauit nimirum iste minimè stultus sed mirificus tamen sapiens, etiamsi operam ciuitati nauare non posset, meliorem tamen suam conditionem esse non oportere, quam aliorũ esset, inter quos viueret. Ideoq; nihil agendo potius ex-

ercitus esse voluit, Vt ostenderet omnibus se, si quid à se conferri melioris operæ posset, non id omissurum, neq; laborem vllum subterfugiturũ fuisse, cum ipse sibi sumeret, ridiculum quidem, sed tamen ἀυδαιξετὸν. Ego vero in maximis difficultatibus & periculis quæ ab hostibus & falsis fratribus creantur ei scholæ, cui iam per annos XXIIII. inseruio, infimo quidem loco & famulari, sed fideliter tamen, vt confido, & cum nonnulla industria, Ei igitur tam difficili tempore suo non tantum non desino præstare hanc operam meam, aut propter metum & dubitationes tam meas quam aliorum, qui plus vident, remittere aliquid incipio de studio veteri & diligentia pristina, sed maiore aliquantò cum contentione probare officium meum omnibus publicè & priuatim studeo. Præ-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000005

ter ordinarias autem operas meas hæc quasi extra ordinem mihi cessit, vt colligam scripta, quæ publice proponuntur à Rectoribus, Decanis, Professoribus, atq; ex cæteris etiam, quam ante me eximius Theologus D. CASPAR CRVCIGER Pater V. Cl. herus aliquando meus (nam ministro me per annos quinq; vsus fuit) sibi sumebat, Hoc igitur quasi dolium meum verso in præsentia, cum qua alia re, præter operas ministerij mei, commodare rei scholasticæ possim, nihil rep.riam, & tamen in studio meo erga hanc & veneratione, tanquam parentis, præstare ei cupiam omnia, quæ piam sobolem decent, & quæ non tantum officium, sed etiam pietas à me postulat, neq; omitto precibus meis à DEO petere, vt idem faciant cæteri alumni huius, nam ab ijs tantum qui

qui similem affectionem ei debent, transfugis nimirum et falsis fratribus, in pericula & difficultates omnes suas hæc schola conijcitur, externi hostes & Pontificij adeò nihil ei nocuerunt aut nocent hactenus, vt laudem etiam & gloriam huius amplificent aduersando, quæ res & fraudi ei esse apud inuidos illos & elatos animaduertitur. Sed vt de hac opera mea colligendi talia scripta breuiter referam, est ea penes me iam annos XXI. quo toto tempore confeci Tomos quinq;, & hunc iam edo sextum, qui tamen est numero septimus, Nam vnum, id est primum ante me, edidit D. PAVLVS EBERVS sanctæ memoriæ, ex ijs, quæ D. CASPAR CRVCIGER. P. collegerat, & sparsim ante D. Eberum ediderat M. IOHANNES MARCELLVS

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000006

Regiomontanus Francus, Professor Rhetoricæ aliquando in schola nostra, Vir erudite doctus, & vitæ innocentia, integritate, & probitate commemorabili, qui multos ad virtutem & eruditionem feliciter educauit, qui in diuersis vitæ generibus, locisq; Germaniæ plurimis, Ecclesiæ Christi & Reipublicæ operam nauant, et Magistrum hunc suum, & merita erga bonas literas huius, grato animo celebrant, cuiusmodi meritis, & virtute eximia sua, morumq; suauitate, omnium studia, dum viueret, ita sibi conciliabat vt magnifieret & diligeretur, Vir omnino Opt. & doctissimus. Ita confiunt septem iam vniuersi qui extant, Octauum autem in manibus habeo, quem prima occasione cum studiosis rerum nostrarum, Christo fauente, communicabo.

Etsi

Etsi autem dum communis præceptor, non huius tantũ, sed aliarum etiã pietatis & doctrinæ scholarum, Dominus PHILIPPVS MELANTHON viuebat, & rebus pleniores & verbis castigatiores, & elocutione æquabiliores esse solebant libelli tales nostri, quod ipse φιλοπονώτατ& conscribere solus plerunq; consueuerat, quæ non tantum publico rei scholasticæ, sed priuatorum etiam hominũ nomine proponerentur, vt hac de causa tum operæ precium etiam maius collectione talium scriptorum fieret, Quia tamen Græcum prouerbium dicit, in defectu carnium salsamenta etiam non esse aspernanda, non abijcere præsentia voluimus, sed σὲιγειν τὰ πάροντα, quod hæc etiam esset δεὐτερα πλοῦς, quæ secundũ Homerum non sunt ἀπόβλητα. Post mortem enim huius Clarissimi Viri

parentis & præceptoris ſummi noſtri, cuius memoria ſit in benedictione, excitauit apud nos DEVS *ea ſtudia, vt boni & intelligentes, & amantes, atq; etiam non iniqui ſaltem, ſcholæ noſtræ, tam in his terris, quam apud externos, in hoc etiam genere ſatisfieri ſibi à noſtris paterentur, Neq; deſunt qui ſe cum fructu aliquo, & libenter legere hæc profiteantur, Qui vere aliquando in ſchola noſtra vixerunt ij legentes talia quaſi repræſentari ſibi dicunt Academiam, in qua educati ſunt, & recordantes initiorum educationis ſuæ, hanc ſe ex his voluptatem percipere dicunt, Erunt fortaſsis aliqui, qui aliud habeant aut reperiant vel vtilitatis vel voluptatis, quod ex his percipiant. Non tamen neq; ad hæc, neq; ad alia reſpicientes, multò minus aliorum luminibus aut laudi obſtruere volentes,*

lentes, quorum in hoc etiam genere multò ſunt præclariores operæ, hæc edimus, qui de noſtris gloriosè ſentire aut dicere neq; didicimus neq; ſolemus, Sed quod à multis iam annis conſuetudine introducta, talia ſcripta typis exprimi & publicari ſolent, nam alij in hac parte noſtrum exemplum ſequuntur. Qui vero mediocribus etiam copijs bonas res iuuant & augent, laudem merentur ſtudij ſui, multò magis qui veritatem & doctrinam atq; eruditionem, et pietatem atq; diſciplinam, id quod voluiſſe atq; ſtuduiſſe horum ſcriptorum autores, res demonſtrat legentibus, etiamſi non pari ſucceſſu hoc egerint vniuerſi. Confido igitur vt ſuperiores tomos noſtros ita hunc etiam bonos omnes & veritatis atq; doctrinæ amantes, neq; ab humanitate alienos, æquis animis accepturos eſſe, cum Apoſtolus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000008

ſtolus in Eccleſiæ doctrina non aſſernetur ne ſtipulas quidem, quæ extruuntur ſuper fundamento veritatis.

Cæteros illos hoſtes & falſos fratres noſtros, μὴ φοβεμίζως τὸν κύριον καὶ δολδύντας τὸν λόγον ἐν κακεργίᾳ, *& ſecundum Apoſtoli Prophetiam, quæ in his completur, vltimorum temporum illos,* φιλαυτοὺς, φιλαργύρους, ἀλάζονας, ὑπερφανοὺς, βλασφήμους, ἀχαρίστους, ἀνοσίους, ἀστοργοὺς, ἀσπόνδους, διαβόλους, ἀκρατεῖς, ἀνήμερους, ἀφιλαγάθους, προδότας, προπετεῖς, τετυφωμένους, φιλήδονους μᾶλλον ἢ φιλοθέους, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένους, *quibus ἆθλον δυσεβείας ἡ προεδρία πρόκειται, Hos igitur uniuerſos* χαίρειν ἐάσωμεν καὶ λέγειν ὅτι ἂν λέγωσιν, δυδὲν ἐφέξει γλώσσης αὐτονομίαν, *permittentes eos, &* ἀδιαπτίστως *horum iuſto iudicio eius iudicis,* ὃς ἀπολεῖ τοὺς λαλοῦντας τὸ ψεῦδος, *qui & quam diu curſum hunc, tanquam canibus rabioſis, et ſucceſſum conceſſurus ſit cum petulantia ſceleratæ & flagitioſa turbantibus in Eccleſia*

ſia ipſius, quantum etiam aduerſus nos his ſit permiſſurus, ipſe nouit. Interea nos paramus ad ferendum omnia, quæ hæc temporum conuerſio & iam aſſert, et allatura eſt deinceps, quæ docet nos μὴ πρὸς μικρὸν δυσκολαίνειν, *præſertim cũ his etiam multò indigniora à ſuis iam pridem hæc ſchola perculerit.*

Hunc autem ſeptimum Tomum, cum hac Epiſtola ad vos mea, præſtantiſſimi viri, edere, et nomini veſtro inſcribere, atq; vt more à veteribus introducto fieri ſolet, dedicare volui, Quod ſcirem vtrumq; veſtrum huic ſcholæ ex animo fauere, & difficultatibus & periculis ipſius, in quæ ab improbis conijcitur admodum affici, in qua ſchola tu RVBIGALLE, vir Ornatiſſime, eo tempore vixiſti, quo maximè floruit, quo tempore et eruditione tua nomen tibi inter eos qui tum celebraban-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000009

tur alũnos huius peperisti, atq; memine-
runt multi ex conuictoribus et famili-
arib. tuis iucundissimæ cõsuetudinis, &
Optimorum sermonum tuorum, quibus
ostendisti eis, quarum laudum gloriam
adamares, quas & præclarè consecu-
tus esse diceris, Politicæ nimirum sapi-
entiæ, quæ dignitatem tibi conciliat et
Reipublicæ operam nauat. SCHA-
LIVS autem vester, ante paucos an-
nos cum spe & expectatione optima in
pietatis & doctrinæ studijs nobiscum
versatus, iam, ad eiusdem generis fru-
ctus ferendos maturuit, quos percipiet
paulò pòst ab hac patria vberrimos.

Quod tamen in doctrinæ studijs
consecutus est, eius bonam partem de-
bet etiam, et debere se libenter fatetur,
M GEORGIO ROBELIO
Ratisbonensi nostro, quo priuato ma-
gistro apud nos vsus est, Quem quanto-
perè

pere dilexerit, etiam eo ostendit, quod
hinc secum in patriam eum humanissi-
mè inuitatum abduxit, vbi cum beni-
gnissimo hospitio eum accepisset, &
aliquot iam menses familiarissimè se-
cum haberet, Doctissimum iuuenem
lues corripuit, quæ in exercitu Impera-
toris ad Danubium grassata, & à mi-
litibus dimissis etiam in vestrum oppi-
dum contagionibus tunc illata fuit,
Atq; eum laudi, et gloriæ certissimæ et
bõis literis, atq; disciplinis inprimis ma-
thematicis, in quibus iam excellere inci
piebat, ante diem, immatura morte, &
nostræ etiam scholæ luctuosa, quæ usum
huius sibi destinauerat, præripuit, Ita
ille præceptorem amisit, ego amicum et
conuictorem carissimum.

ORO igitur vtrumq; vestrum re-
uerenter, vt hanc publicam compellati-
onem meam humaniter accipere veli-
ti

tis, & ſtudium hoc erga uos meum, quos colo & diligo, gratum acceptumq; vobis eſſe patiamini, pro affectione autem erga hanc Academiam veſtra, non omittetis precibus veſtris eam æterno DEO commendare, cuius veritati & laudi inſeruit hactenus, & ſeruire ſtudet etiam deinceps omni conatu, quam diu ei concedetur. Bene valete & veſtram erga me beneuolentiam conſeruate. Perſcripta die Brumæ, cuius nocte Chriſtum natum accepit Eccleſia, quæ tum in XXV. Decemb: incidit. Anno à natali eius. M. D. LXXI.

V. dignitatis.

ſtudioſiſs:

Michaël Maius Noribergenſ., Academię miniſter publicus.

SCRIPTA PROPOSITA RECTORE

CLARISS: VIRO D. VITO ORTELio Vvinshemio patre, Philoſophiæ & artis Medicæ Doctore & linguæ Græcæ Profeſſore &c. A Calend. MAII. Anni M.D.LXVI. vſq; ad XV. Cal. IXbris, quæ eſt 18. Octob:, anni eiuſdem, cui in faſtis aſcribitur nomen Lucæ Euangeliſtæ.

DECANVS COLLEGII

IVRISC. IN ACADEMIA VViteberg. *Iohannes Poſo, I. V. Doctor & Profeſſor.*

VM tota rerum uniuerſitas ſapientiam & bonitatem architecti demonſtret, & quaſi muſæum ſit, in quo pietas & ſtudium hominum ſe exerceat contemplando atq; explicando naturam & ueritatem rerum, quam teneamus atq; ducem ſequamur actionum & operum in uita omnium, ad gloriam Dei æterni & ſalutem communem, Neceſſe fuit in tanta argumenti magnitudine operas quaſi diſtribui, & alios alias partes ſumere, in quibus ſeſe occuparent, unde diſciplinarum & artium bonarum omnium copia & uarietas extitit,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000011

cum unius ſtudium ſufficere commentationibus tam multiplicibus non poſſit, uniuerſarum etiam coniunctæ operæ non proficiunt tantum, quantum opus eſt, propter rerum infinitam copiam, quæ comprehendi uniuerſa non poteſt, multo minus commentando exhauriri. Vt tamen aliquid in hoc genere à conditione humana nauari poſſit, infudit DEVS mentibus noſtris de ſapientia ſua notiones ueri & falſi, boni & mali, quæ fundamenta ſunt omnium artium. Sicut autem aliarum artium ſtudijs aliud ſubiectum eſt, ita ſtudia ciuilia hoc agunt, ut felicitatem concilient ciuibus ſuis, & reſpub. beatas efficiant, & florentes conſeruent, quod fit, ſi legibus bene conſtituantur, & ſecundum has iudicia & iuriſdictio adminiſtrentur, quorũ neutro quicquam proficitur, quando educatione & diſciplina non ſunt ad uirtutis ſtudium aſſuefacti animi, nam leges ſine moribus nil proſunt. Itaq; fundamentum politices eſt doctrina de moribus, uirtute et officio, quam ἠθικὴν uocant, Atq; hoc modo politicen conſtituunt, & partes ſunt huius primariæ, Ethice, & legum conſtitutio, quæ eſt νομοθετικὴ, & iuriſdictio publica, quæ eſt δικαστικὴ. Vitæ autem, et faciendorum atq; fugiendorum omnium, regula immota & æterna eſt lex diuina, quæ eadem eſt lex naturæ, comprehenſa duabus tabulis Decalogi, quæ ſimul & archetypum proponit eum, cuius imago ſumus, & iuſticiam Dei explicat, quam hac etiam de cauſſa magis

magis intelligimus quam miſericordiam diuinam, cum hæc ſit ſapientia Euangelij, illa legis. Ex notionibus autem his, quæ unà cum lege naturæ & diuina inſitæ ſunt mentibus noſtris, ſolertia & induſtria humana quoquo tempore nouas leges conficit, & ſecundum has iudicia exercet, & efficit ea, quæ ſunt iuris conſtituti & introducti, qua unicuiq; reipub. accommodantur ea, quæ ipſius ſaluti peculiariter inſeruiant, In quibus Iuriſconſultorum ſcientia conſumitur, quam propterea definiunt artem eſſe æqui & boni. Cum enim ſecundum ſapientem Hebræum omnia pondere, menſura & numero conſtent, quod aliæ artes in alijs naturæ partibus faciunt, id hæc ars in negocijs conſuetudinis ciuilis, actionibus, commercijs & contractibus hominum facit, ut in his quærat pondera, menſuras & numeros ſapientiæ diuinæ, numeros inprimis, quorum ſunt rationes & proportiones λογοὶ καὶ ἀναλογίαι, in quibus eſt iuſticia poſita. In qua parte præ omnibus gentibus & nationibus operam nauarunt generi humano Latini ueteres, qui admirabili diligentia omnia momenta inquiſiuerũt iuris atq; æquitatis, & rationes & proportiones uniuerſas, Etſi enim populi huius præſtantia fuit aliquando multiplex, nulla re tamen cæteras gentes orbis terrarum, tunc etiam cum maxime floruit, magis ſuperaſſe uidetur, quam ſtudio & facultate atq; copia ſapientiæ eius, quæ eſt Iuris ciuilis propria, & qui de hoc reſpon-

responderunt, iusticiæ ciuilis fuere interpretes exi-
mij, & ut haberi uoluerunt, sacerdotes quidam me-
morabiles, quorũ responsa nunc etiam orbem Chri-
stianum & Imperij Romani reliquias instruunt, &
hanc sapientiam in genere humano sola conseruant.
Græcorum sapientia & doctrina in hac parte mi-
nus se occupauit, qui uoluerunt unumquenq; ciuem
nosse ius ciuitatis suæ, & potius de fontibus iuris
& officij & doctrina atq; eruditione uniuersa dis-
putandum sibi putarunt, de quorum monumentis
politicam illam sapientiam suam hauserunt Latini,
& lectione horum instructi & præparati doctissi-
mi Iurisconsulti, Celsus, Pomponius, Vlpianus, Pau-
lus, Martianus, Modestinus, & reliqui, hoc sunt
consecuti, ut responsa ipsorum autoritatem & uim
legum obtinuerint. In populo autem Israëlitico,
cuius Respub. diuinitus constituta fuit, sacerdotes et
Leuitas DEVS Iudices esse uoluit, & exercere
hanc partem sapientiæ politicæ, ut essent custodes et
interpretes Decalogi, non tamen hos solos unquam,
sed semper eis addidit ex cæteris tribubus sapien-
tes & prudentes homines, qui essent in consilio pu-
blico, quod ius diceret, sicut ex multis locis histo-
riæ Mosaicæ cognoscitur. Quid uero præclarius,
quam ex fundamentis legis naturæ, quæ diuina lex
est, leges salutares Rebspub. constituere, & consti-
tutas rectè interpretari, æquitate explicare, & sa-
pientiæ huius diuinæ interpretem esse, iurisq; & iu-
sticiæ

sticiæ consultum? qui reges & populos consilio iu-
uet, controuersias è medio tollat, de æquo & bono
doceat, atq; ita publicis & priuatis rebus consulat,
Vnde omnibus bonis & intelligentibus in promtu
est statuere, quid de ordine eo, qui hæc profitetur
& præstat, sentiendum sit, cuius beneficia publicæ
ergà societatem humanam in conseruatione iusticiæ
& iuris publici, in ciuilis uitæ consuetudine, uni-
uersi, priuata autem permulti in suis rebus & fami-
lijs experiuntur, atq; hunc ordinem conseruari ac
crescere atq; augescere Reipub. salutem complecti-
tur, ideoq; & peculiaria ei ornamenta præ cæteris
ordinibus tribuerunt Imperatores ueteres.

Me uerò cum hoc tempore ampliss. collegium
Iuriscons. qui in hac schola publicè docent, Præsi-
dem esse noluerit studiorum ciuilium, & collegij
nostri, & meo nomine in præsentia publicè signifi-
co, atq; uniuersos, qui in hac scholastica communi-
tate nobiscum degunt scire uolo, ornatiss. uiri Dn.
ZACHARIÆ MEIERI *Lipsici, qui nu-*
dius duodecimus de Iure publicè disputauit, et præ-
cipuos nostri temporis in Germania & Italia Iuris-
consultos audiuit, Huius igitur ornatiss. uiri ita esse
à nobis exploratam Iuris scientiam, & in actioni-
bus forensibus usum, ut collegium nostrum decre-
uerit ei testimonium publicum, quo in utroq; Iure,
iure optimo, Doctor renuncietur, Eiq; renuncia-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000013

tioni constitutus est dies Perendinus, qui est XVII. Cal. Iunij, Et inuitamus igitur, & oramus amanter scholasticos uniuersos, ut propter communia studia, & collegij nostri, & rei scholasticæ honoris causſa, ad solennitatem renunciationis eius conuenire uelint in ædem arcis, & res communes frequentia sua ornare, Deoq; commendare precibus suis Reipub., & qui huic studijs suis utiliter inseruiunt. P P. Prid. Id Maij.

IN SEXTVM ODYSSEÆ HOMERI LIBRVM.

HOC biduo non sum prælecturus, quia ex auditoribus pleriq; adhuc propter moras solutionum in mercatu absunt, sed ad diem Mercurij proximum, Deo clementer iuuante, incipiemus interpretationem sexti libri Odyſſeæ Homeri, qui liber præcedentes uincit ſplendore & suauitate, Nam de Homero ueriſs. cecinit Horatius.

Non sumum ex fulgore, sed ex sumo dare lucem
Cogitat.

Facit enim Homerus, quod omnes summi artifices solent, qui non statim prima fronte magnificè promittunt, neq; uires suas sicuti mali pugiles in primo congressu temerè effundunt, sed reseruant in recessu

recessu quæ meliora & illustriora sunt, ut sicut idem dicit, speciosa debinc mirandaq; promant, Ita quo longius aliquis in lectione Homeri procedit, eo plura occurrunt, quibus delectetur quæq; miretur. Nam antiquissimi Scriptores planè Sileni sunt Alcibiadis, qui primo aspectu propter simplicitatem & uetustatem tenues & exiles adparent, in recessis uero quiddam diuinum et sacrosanctum reconditum habent, ut quod de uirtute dixit Hesiodus ἡμίσυ παντὸς τὸ κρεῖττον de omnibus id genus scriptoribus, præcipuè uero de Homero rectissimè dici possit. Gratulemur igitur nobis, quod ea, quæ uidebantur horridiora, iam superauimus. Nunc paulatim laetior & amenior campus aperietur. In hoc libro sexto habebimus illam dulcissimam & speciosissimam orationem Vlyssis ad Virginem regiam Nausicaam, Quo ex loco Maro noster suum illum illustrem locum extruxit. O regina nouam cui condere Iuppiter urbem, Iusticiáq; dedit populos frenare superbos. Et quæ sequuntur. Ergo amemus Homerum patrem & perennem fontem omnis humanioris & suauioris doctrinæ, & fruamur hac felicitate longe maxima, Atq; æterno DEO, patri Domini nostri IESV CHRISTI iugiter gratias agamus, qui infinita & inexhausta bonitate hæc sua dona nobis per tot secula ab interitu & ruina uindicauit, & ad nostram usq; ætatem atq; hanc extremam & decrepitam Mundi senectam conseruauit.

Hoc enim etiam inter argumenta est paternæ ipsius erga nos benignitatis & amoris. Ipsi uni gloria sit & honor in Christo & per Christum in omnem æternitatem, Amen, 13. Calend. Iunij.

Vitus Ortelius VVinshemius
D. Pater.

STVDIOSIS DOCTRINÆ PHYSICES.

CVM hoc tempore plurimorum precibus permotus, mecum ipse de inchoanda priuata doctrinæ Physicæ explicatione deliberarem: haud sane ignoraui hunc laborem propter multas causas difficilimum esse, & quanquam necessarius est, tamen longe supra uires meas positum esse. Etsi enim omnes partes Philosophiæ immensum quiddam continent, Tamen nullius doctrinæ tanta est uarietas & copia, quam eius quæ naturam rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum considerat & contemplatur. Neq; ego nunc de integra & perfecta Physica loquor, quæ complectitur Mathemata,, artem Medicam & historiam de metallis, plantis & animantibus: Sed tantum de initijs, quæ sunt illius ampliſsimæ doctrinæ parua semina, & ut ita dicam exiguum uestibulum. Hæc ipsa recte & feliciter iuuentuti proponere, arduum profecto & difficile opus est, cui si me parem existimem, uidear uelut

uelut Atlas cœlum uelle humeris sustinere. Quare me quidem paulo attentius cogitantem & de mea infirmitate & de oneris magnitudine, multæ causæ à susceptione huius laboris deterrere poterant.

Sed cum multi ex priuatis meis tantopere petitionibus suis apud me instent & urgeant, uicissim me consolatur uox Paulina, quæ in ministro nil nisi FIDELITATEM *requirit, hoc est conscientiam mediocris industriæ & diligentiam coniunctam cum petitione diuini auxilij. Cum igitur doctos interpretes initiorum Physices audiuerim, nec affectatæ ignorantiæ, quæ artem quam nunquam didicit, profiteri audet, mihi sim conscius: fiducia non quidem propriæ industriæ, quæ pertenuis & perexigua est, Sed auxilij diuini, hunc laborem, priuatim prælegendi Physicen suscipiam, & à Deo petam, ut docentium & discentium studia, quæ ad ornandam ipsius gloriam & ad illustrandam Ecclesiæ doctrinam, referuntur, Spiritu suo gubernet.*

Constitui autem propter discentium utilitatem tres libellos enarrare, quos Clariſs. Vir Reuerendæ Memoriæ Præceptor noster D. Philippus de Physica scripsit, In quorum primo non solum ea interpretatur, quæ apud Aristotelem tanquam fontem omnis liberalis Philosophiæ extant in libris de Cœlo & Mundo, sed etiam motus corporum cœlestium luculenta narratione exponit: In secundo uero li-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000015

bello recitat præcipuas materias quæ in 8. libris τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως continentur: Deniq; in tertio decerpit optimos Flores ex duobus, de generatione & corruptione, & ex quarto de Meteoris, qui inter omnes Aristotelicos de natura scriptos, uelut Hesperus inter nocturnos ignes eminet. Sed quia posterior pars libelli Physices primi, de legibus motuum cœlestium ad Astronomiam propriè pertinet, & ab ijs illustratur, qui Mathemata docent: ego pro mea tenuitate enarrabo duos libellos integre secundum & tertium & eam partem primi, quæ prolegomena, locos utilissimos de Deo, de prouidentia, de contingentia, & diquot quæstionum explicationes complectitur. Ac DEO iuuante ordiar ad diem Mercurij proximum horæ Nonæ, ubi candidis auditoribus quibus horis deinceps in hac lectione sim perrecturus significabo, & si DEVS ualetudinem & uitam concesserit, dabo operam, ut primo quoq; tempore hanc enarrationem absoluam.

BeneVale.

Christophorus Pezelius Plauensis,
Professor Publicus.

STV-

STVDIOSIS PHILOSOPHIÆ MORALIS.

Sicut cum Æoli utrem socij Vlyssis aperuissent, undiq; erumpebãt uenti, qui contrarijs flatibus mare turbabant, ita & nunc soluto ueteri statu & disciplina, ubiq; ingentia mala conspiciuntur, ac difficile est statuere inter tantas confusiones, an sit aliqua Dei Ecclesia, & quæ sit. Sed & seruari à Filio Dei cœtum Deo placentem, ubicunq; sonat Euangelij uox incorrupta, sciamus, & ipsi quoq; hac spe erecti, pugnemus, ut Ecclesiam à barbarie & uastitate uindicemus. Duabus autem præcipuè rebus aduersus hæc mala nos muniamus, uidelicet doctrina & precatione, sicut ipse Dominus de his postremis temporibus præcipit: Vigilate & orate, ut possitis effugere uentura mala. Piè igitur faciunt, qui & assiduis gemitibus à DEO petunt, ut seruet sibi semen sanctum & pios cœtus inter nos, nec sinat maiorem uastationem fieri nostrarum regionum, & fideliter discunt ac propagant ueram doctrinam de DEO, & de sobria Philosophia. Cuius cùm præcipua pars sit illa in moribus harmonia, moderatio, elegantia ac suauitas, quam uocamus ἐυσχημοσύνην, cito ea quoq; cum cæteris doctrinæ studijs cognoscenda est ab Adolescentia, ad quam præcipuè pertinet. Nunquam enim mores redduntur mitiores, nec id quod præcipuè

cipuè dicitur ἠθικὸν, moderatio ac suauitas, efficitur in uita, nisi animi inde usq; à prima ætate imbuantur hac liberali doctrina, qua exculti & adsuefacti, ueras causas officiorum perspicimus, & actiones nostras ratione moderamur, & suauitate quadam, & elegantia condimus, cum interim & in priuata uitæ consuetudine, in Repub. negocijs, magnas procellas & tempestates cieant ἀνηθορήτοι. Summa uerò laus est Ethicæ doctrinæ, quòd & pœdagogia seu deductio est ad Christum, qui in ijs, qui non frenantur & reguntur disciplina, sed securi indulgent sceleribus, et feruntur quocunq; impellunt cæci animorum impetus, non est efficax per spiritum sanctum. Neq; uero extat ulla doctrina de uirtutibus melior ea, quam tradidit uir sanctæ memoriæ D. Philippus in suis libellis, quos donauit huic scholæ. Cui cum hactenus mediocri diligentia enarrauerim primum, hodie, DEO iuuante, hora & loco consueto simili studio incipiam explicare secundum, qui & amplitudine, & uarietate materiarum ac quæstionum, quæ enarrantur, & ad totam uitam pertinent, inprimis delectabit patientes auditores. Quare & ad priuatos mores frenandos, quos à barbarie ad humanitatem traducit, et ad iudicanda ciuilia negocia, atq; ad publicarum legum intellectum qui ex his elemẽtis ceu principijs suis extructæ sunt, proderit hæc lectio scholasticis. Hanc igitur etiam philosophiæ partem, quæ ad disciplinam pertinet, iudicabunt cognitione dignam esse, & Deo gratias agent, quod nos hac ipsa norma uitæ seiungit ab alijs impijs populis, qui uirtutem & iusticiam omnem, ac societatem hominũ delent, dominia transferũt ut uolunt, & quod est tristiß. parentes à natis, et natos parentibus auellunt. A quibus si probauerimus nos dissentire studijs, uita & moribus, certa spe statuemus, DEVM propitium talium barbaricarum gentium sæuitiam & crudelitatem, à nostris thalamis & ab honestis Rebuspub. & Ecclesijs benigne auersurum esse. Quod te æterne Pater, per filium tuum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM toto pectore precamur, Bene Valete. Die 20 Maij, 66.

M. Iohannes Ferinarius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

SCitis hodiè celebrari ab Ecclesia memoriam istius admirabilis & læti triumphi, in quo Filius Dei, Dominus noster IESVS Christus, spectante magna multitudine hominum, palam ascendit in cœlum, ut in omnib. spectatoribus certitudo confirmaretur, cum uerè uiuere, et resurrexisse ad alios resuscitandos, & superato, peccato morte, Diabolo, & inferno, perpetuo regnare ad dexteram æterni patris, ac do-

ac dona dare hominibus, Pastores & Doctores, Spiritum sanctum, iustitiam & uitam æternam. Quarum rerum omnium magnitudo est extra conspectum & intellectum humanæ rationis. Ideo rident hæc Ethnici & alij fanatici ac Epicurei, tanquam uana ac fabulosa. Sed nos, qui sumus uerè Ecclesiæ Dei cœtus, in hac doctrina, quæ propria est Euangelij, & historiæ traditæ testimonijs diuinis piè credamus, & beneficia huius ascendentis & regnantis Christi grati consideremus & magnificiamus. Cumq; fructus huius ascensionis sint: Dominium Christi perpetuum contra hostes suos, & Ecclesiæ suæ, peccatum, mortem, & Diabolum, donatio bonorum spiritualium & corporalium ut sunt, Spiritus sanctus, conseruatio Ecclesiæ & ministerij Euangelici, iustitia & uita æterna, & intercessio huius summi sacerdotis Christi pro nobis apud æternum Patrem, ut dicitur, Semper uiuens, ut interpellet pro nobis, Et, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, Item, Ingressus est Christus in cœlum, ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis adsiduis uotis ac gemitibus, toto pectore precemur, ut hæc summa bona hic Victor triumphans, & exaltatus in regno ac sacerdotio nobis membris suis adplicet ac tribuat, ac nos quoq; resuscitatos ex mortuis, & ascendentes in cœlum tanquam socios sui triumphi tandem ad se transferat. Talium autem rerum fides & petitio non potest in nobis

nobis esse, nisi uita nostra regatur piè & sobriè, & sit in moribus nostris harmonia quædam & elegantia honesta, qua iustitiæ & ceterarum uirtutum ac disciplinæ præstemus Deo & magistratui debita officia. Nam mens secura & ebria proprijs cupiditatibus nihil cogitat, uel de Deo, uel de sua salute. Nec Spiritus sanctus est efficax in ijs, qui furenter ruunt, quocunq; impellunt inimici Deo & legibus naturæ impetus. Ideo sæpe hortamur ad obedientiam legum, & culturam ac studia uirtutis, iustitiæ et disciplinæ nostros Scholasticos, quorum præcipua pars tamen puerum nostræ adfectioni ac uoluntati obtemperat, in quorum pectoribus haud dubiè spiritus sanctus accendit Deo placentes & naturæ suæ diuinæ similes motus. Nunc autem deferuntur ad nos querelæ, quosdam ex nostro agmine cùm alia inhonestè agere, tùm in hortis et syluis oppido nostro uicinis, pascua uagari, & pubescentes arbores & uirgulta excindere & in urbem importare. Quare hos quoq; hortamur, & seriò præcipimus, ut officij sui & iustitiæ memores, non lædant aut deuastentur res & loca aliena, quæ propter Rempub: etiam prodest non uiolari. Nam & furti species est auferre quamcunq; rem alienam inuito Domino, & sequetur paulò post publice lignorum magna penuria et caritas, quæ alioqui etiam per sese iam non proueniunt ea copia, qua creuerunt paulo ante hæc tempora, ut narrant

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000018

runt ſenes ruſtici, & alij, qui obſeruant naturæ uices ac tempora. Ac de uenis Metallicis & rebus plerisq; alijs idem dicitur, Quod accidit haud dubie propter peccata noſtra, et propter corruptionem, & horrendos abuſus rerum in mundo. Ita tota rerum natura gemit una cum Eccleſia propter profanationes, & expectat uniuerſalem illam liberationem & finem malorum. Igitur rebus omnibus à Deo conditis iuxta normam & regulam legis & iuſticiæ diuinæ utamur, & ſubinde ad illud tempus reſpiciamus, in quo deſinet rerum quæ in mundo ſunt uſus, cum ſcilicet una cum Chriſto duce & triumphatore noſtro migrantes in cœlum & nouis atq; æternis bonis perfuſi, tandem in omni æternitate de peccato, morte, diabolo, & omnibus malis læti agemus triumphum, Veni Domine Ieſu. 23. Maij, Datæ die Aſcenſionis, Anno 1566.

STVDIOSIS DOCTRINÆ SACRÆ. S. D.

ETſi conſilium Dei de reparatione hominum per filium, miſſum ad aſſumendam naturam humanam, penitus in hac uita perſpici non poteſt, Et erit hæc præcipua in Eccleſia cœleſti ſapientia & lætitia, coram cernere Deum, Et ipſo filio Dei exponente cauſas, conſilia et modum admirandæ copulationis duarum naturarum audire & intueri, Et

ſapientiam ac bonitatem Dei in tota æternitate gratudine et reuerentia ardentiſſima celebrare: Tamen cum & in hac uita fugaci & mortali, uelit Deus eſſe aliquos cœtus ipſum uere agnoſcentes, inuocantes, Et gratis mentibus filium & beneficia eius celebrantes, Et ipſe filius Dei ſedens ad dexteram æterni patris, ſubinde cœtus tales uoce Euangelij colligat ac ſeruet mirabiliter, Certiſſimè ſtatuendum eſt, initia futura illius æternæ ſapientiæ in hac uita diſcenda, & neceſſaria eſſe, Quantumuis illa in hac mentium noſtrarum caligine & infirmitate, imbecilla & ſordida eſſe uideantur, aut ludibrijs etiam Epicurcorum & Prophanorum exagitentur, Aut fanaticorum præſtigijs ac furoribus implicentur.

Hac ſe cogitatione ut neceſſe eſt erigere omnes Eccleſiæ ciues, ita imprimis illã tenere oportet eos, qui ad propagationem uocis diuinæ, docendo aut diſcendo diuinitus uocati ac deſtinati ſunt. Nec conſolatio alia eſt his uniuerſis, magis efficax, quàm hæc ipſa, Quod in his ſtudijs talem ſe operam nauare ſciunt, Qua & ipſis & alijs, ad æternam cum Deo conſuetudinem aditus præparatur. Cumq; omnium in hac uita hominũ ingens ſit ac triſtis infirmitas, quantacunq; donorum, ſapientiæ, eruditionis, facundiæ & ſimilium præſtantia ac uarietate, alij alios excellere putantur, Congruit omnibus quamuis imbecillibus, ſed cum conſcientia tamen bona, & uoluntate recta, officium ſuum in hac

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000019

docendi et discendi militia facientibus Psalmi dictum: Ex ore infantium & lactentium præparasti tibi laudem, ut destruas inimicum & ultorem. Item illud Pauli: Non erit inanis labor uester in Domino. Hac igitur fiducia et spe operas nostras facimus, qui in scholis propagationi doctrinæ præficimur, etiamsi & imbecillitatis nostræ nobis conscij sumus, & non ignoramus, quo in præcio sint illæ ipsæ operæ nostræ, cùm apud potentes tùm promiscuam prophanorum multitudinem, sed ut monet Psalmus: Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet, ita nos ueris cum gemitibus oramus, ut in hac militia nostra nobis adsit, nos doceat, regat, seruet ac protegat, & laboribus nostris benedicat, ut prosint multis, & seruiant suæ gloriæ.

Ego uerò cùm in enarratione Geneseos Mosaicæ mihi demandata percurrerim prælegendo ad eam in Tertio capite partem ac promissionem de semine Mulieris, conciturο caput Serpentis, Quæ ut prima, ita summa est Concionum ac promissionum in libris Propheticis & Apostolicis omnium, Quibus arcanum illud, & Angelis desiderabile & imperscrutabile consilium reparationis & redemptionis nostræ, copulatis & fœdere æterno inter se adunitis duabus naturis, diuina & humana, exponitur ac denunciatur, Ad eam ergo partem tertij capitis, cùm perue-

nerim, Ac DEO iuuante in institutâ ἐξηγήσει nostra, quæ aliquandiu propter necessarias occupationes nostras interquieuit, Cras hora septima nostra, & loco consueto, pergere decreuerim, significandum id publicè duxi, ut & plures inuitarem ad discendum, & de futura in posterum enarrationis huius opera hoc exponerem, Daturum me deinceps operam, ne, quod impedimento nobis hactenus fuisse dicitur, commentationis prolixitate molestus sim auditoribus, sed simplicissima ἐξηγήσει & sine longo commentario de rebus necessarijs omnibus moneam, & quantum omnino fieri per doctrinæ Mosaicæ nuclestatem potest, rectà in textu procedam, Cumq; hactenus non nisi duabus horis solitus sim prælegere, ut intelligant studiosi publicorum mecommodorum, quæ ab assiduitate doctrinæ ad discentes perueniunt, esse cupidissimum, duas deinceps horas, prioribus meis ordinarijs adijciam, De quibus inter prælegendum cum futuris auditoribus meis deliberabo. P P. die 19. Maij, Anno 1566.

Paulus Crellius Doctor.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000020

DIC: FELIC: MEMOR:
STRENNVI, ET ACERRIMI VIRI
Henrici à Beust, Fratris sui longè cariſsimi:
occumbentis Anno 1547.

A

IOACHIMO A BEVST:
L. V. D. ET PROFESSORE
in Academia VViiteberg.

E Meritis uirtus ſi Martia uiuit in armis,
Nec ſinit illa unquam fortia facta mori:
Te quoq; nulla ætas frater germane tacebit,
Sed tua perpetuò fama ſuperſtes erit.
Antè per immenſi nutantia pondera cœli
Cynthius obſcuris frigidus ibit equis:
Inclyta quàm laudum ſit fama ſepulta tuarum,
Quæ dudum multo eſt ſanguine parta tibi.
Scilicet has lacrymas, & inanes fundo querelas,
Ne tua lethæis nomina dentur aquis.
Quem Verona tulit fratrem ſic luxit ademptum:
Ille dedit cultis carmina mœſta ſonis.
Cedens ingenio, ſed non mœrore Catullo
Quæ poſſum cineri ſoluo ego iuſta tuo.
Caſtra ſequebaris Regum tu quatuor olim,
Cum Gallo Danus, Suecus, et Anglus erant.
Contrà Menapium Cæſar cum ſumeret arma,
In medijs aquilis conſpiciendus eras.

Poſtremò

Poſtremò & patrio duxiſti milite turmas
Quando transpoſita ſub trabe ruta fuit,
Quando reſidentem tranauit Carolus Albim,
Tuq; dabas uictas Ian Friderice manus.
Tunc cum ſæpe famem, frigus, ſeuumq; calorem
Diceris innumeris ſuſtinuiſſe modis.
Nunc uerò ætherea uerſaris in agmine turbæ,
Nuda ubi non æſtas, non fera ſæuit hyems:
Nullum ubi tormentum, nullus clangorq; tubarum,
Sed canit angelicus iubila læta chorus.
Quod ſine luce iacet, ſed non ſine luce reſurget
Vrbs Brunſuiga tuum corpus inane tegit:
Si tibi lanificæ ſenium, canosq; dediſſent,
Mitior, ac nunc eſt, noſtra querela foret:
At tibi uix ierat nonus uigeſimus annus
Quando non turpi uulnere uictor obis.
Sic cadis ab medijs & adhuc florentibus annis,
Non ſecus antè ſuum quàm roſa uerna diem.
Scilicet egregios cita mors intercipit auſus,
Ardua cum debet Gloria ſtare, cadit.
Sed tua te uirtus Famam præponere uitæ
Impulit, & pulchra quærere morte decus.
Si quenquam poſſet præſens extinguere luctus,
Perdere me certè debuit iſte dolor.
Nunc quoq; ſi gemitu poſſent tria numina flecti,
Conterent uitæ ſtamina rupta tuæ.
Ferrea ſed nullis cum cedant fata querelis.
Cogitur hei fatis cedere noſter amor.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000021

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

GRegorius Nazianzenus, cognomento Theologus, *in oratione funebri, quam scripsit* Basilio Magno, *exposuit morem, quo illa ætate, ante annos mille ducentos accepti fuerint* Athenis Scholastici noui, *qui primùm ad* Magistros *suos adducerentur, atq; inter alia hoc commemorat, quòd tum cæterorũ omnium ludibrijs atq; exagitationibus expositi fuerint,* ἐξεχελᾶται, *inquit,* ὁ νέος παρὰ τοῦ βωλομώου πωτὸς, *Et hoc eo directum fuisse interpretatur, ut reprimeretur in nouitijs illis animi elatio, id est,* πρὸς τὸ συσέλλειν τῶν νεηλύδων τὸ φρόνημα, *ut ipse loquitur, atq; ut statim ab initio ad omnẽ consuetudinem & subiectionem tractabiliores redderentur cum ab aliquibus minus inhumaniter, sed à nonnullis etiam durius, ab uniuersis autem nequaquam honorificè acciperentur. Quæ ludibria postquam pertulerat nouus aduena, deinceps per forum ad publicum balneum cum pompa deductus fuit à Scholasticis, et ante fores huius aliquantisper* ἀποπωτέρως *detentus, tandem intromissus, ibiq; finis initiationi illi impositus est, nam ex balneo egredientem inter suos habere coeperunt, et loci et ordinis æqualis honorem ei tribuerunt. Non autem dubium esse potest inde manasse, quæ nostris temporibus cum*

cum ijs fiunt, qui primum in congregationes scholasticarum Vniuersitatum aduenient, quas Academias uocare solemus. Etsi ἐξεχελίαι *nostrates sic instituuntur, ut simul deformata specie eius, qui initiandus est, quasi persona quædam introducatur barbariæ & ruditatis atq; inhumanitatis (quales esse solent* εἰδωλοποιΐαι poëticæ) *à qua liberant eruditio & doctrina, quibus excolũtur animi et mores, atq; ut in uersu est Poëtæ Latini. Pectora mollescunt asperitasq; fugit: His uerò studijs tum solenniter ueluti consecrantur Scholastici, & absoluuntur tanquam à reatu barbariæ perfusionibus usitatis, quæ balneum representant Atticum. Examinationes autem seriæ & admonitiones atq; uota, quæ tum fiunt apud nos ad Scholasticos nouos, magis docent quàm sint nostra ueteribus illis cultiora. Quorum tamen plerasq; minimè displicuisse Gregorio apparet. Recedit & in hoc nostrorum temporum consuetudo ab Attica, quòd non permittuntur* ἐξεχελίαι *illæ omnibus, sed unus aliquis has administrat. Hoc munus in se recepit atque gessit in nostra Academia per annos complures Nicolaus Fidelerus Gruetalensis, atq; hac commoditate utens, pietatis & literarum studia prosecutus fuit, in quibus ita profecerat, ut Ecclesiæ CHRISTI operam nauare docendo potuisset, & iam constituta apud nos familia, cui cum laude præfuit, expectare occasionem incipiebat, qua ad conditionẽ talem euocaretur,*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000022

ſicut anteceſſores ipſius aliquot, Sed occulto malo correptus & paulatim conſumptus, heri in religioſa & fideli inuocatione filij Dei mortuus eſt.

Hortamur igitur Scholaſticos, ut hodie hora quarta ad deducendum funus huius ante ædes quas incoluit, conueniant, idq; cum humanitatem ipſam tum fidem & integritatem ſpectatam demortui, & honeſtæ familiæ ſuperſtitis reſpectum, atq; etiam ſtudiorum communitatem impetrare à ſe patiantur. P P. VII. *Cal. Iunij, Anno* IESV CHRISTI M. D. LXVI.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ANTE *annos circiter ſeptuaginta, Philoſophiæ & artis medicæ profeſſione excelluit in Academia Lipſica,* MARTINVS POLLICHIVS *Mellerſtadius Francus, Vir Clariß. atq; commota ibi illis temporibus diſputatione de morbo Gallico an eſſet* ἐπίδημιον *aut* ἔνδημον, *diſſenſio inter ipſum & collegas extitit, in quibus eminuit* PISTORIVS, *natus in celebri familia oppidi Lipſici, unus & ipſe ex ſummis ſuperioris ætatis medicis, atq; factum poſtea fuit, ut hic ad Electorem Brandeburgenſem in uicinam Marchiam,* MELLERSTADIVS *autem in aulam ducis Saxoniæ* FRIDERICI *ſeptemuiri &c. euocaretur,*

Vbi conſilia ſapientiſſimi principis & excitauit & adiuuit ad huius Academiæ noſtræ fundationem, in quam ad docendum miſſus, & primus RECTOR *noſtræ ſcholæ conſtitutus fuit, principemq; locum in hac, quo ad uixit, obtinuit. Cum autem initia nouæ ſcholæ non ſe darent præclariſſimè, & multa inciderent eiuſmodi, quæ fundatoris animum abalienare poſſent, ipſe unus hoc præſtitit, ne quid pulcerrimi, & ut ut res docuit, orbi Chriſtiano ſalutaris operis extructioni obſtaret, & ut laudatiſſimi Principis uoluntas, gratia, & benignitas ei conſeruaretur. Sicut autem uitam ſuam & labores in hac ſtudij ſui uniuerſos, Ita moriens fortunas etiam ſuas Academiæ impendit, & teſtamento facto mille aureos collocari mandauit, de quorum fructibus in hac ſchola uerſantibus ſcholaſticis certis commodetur. Secutus autem ut apparet exemplum huius Collega ipſius* PISTORIVS, *ſimilem operam ad Francofurtenſem Academiam uicinam fundandam contulit, quæ triennio poſt hanc noſtrã conſtituta fuit. Atq; ita hi duo Medici de his terris præclariſſimè meriti ſunt. De noſtra quidem Academia, ut ſchola hæc ſit atq; extet publica, poſt principis fundatoris et ſucceſſorum huius benignitatem, nemo eſt præclarius meritus hoc Martino Mellerſtadio, ut qui & ante hoc tempus fructus perceperunt ex hac doctrinæ publicæ, & deinceps ut ſpes eſt, percepturi ſunt aliquos, huius etiam uiri*

& familiæ memoriam colere debere uideantur. Mortuus est autem heri tabifico morbo consumtus MARTINVS POLLICHIVS VVitebergensis, *qui fuit* D. Mellerstadij illius *fratris nepos, & patrem habuit in hoc oppido uiram & ciuem bonum atq; honoratum. Ad huius igitur* Martini *funus deducendum scholasticos in præsentia conuocamus, cum & moriens hoc ut à nobis fieret petierit, & gentilis ipsius nomen & merita, & officij ratio hoc à nobis* Vniuersis *postulet. Efferetur autem hodie hora* III. *ex domo affinis sui, quæ est uicina ædibus ijs, quas incoluerunt illustriss. Principes Pomeranici* P. P. III. Calend. Iunij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

MAgnitudo operum diuinorum, quæ in Festi huius memoriam incidunt, & tanta est re ipsa, & numero tam multiplex, ut neq; animo illa comprehendi, neq; uerbis enarrari tota possit. Et uult tamen Deus facta à se aspici & considerari à pijs Ecclesiæ ciuibus, ut quæ in his sapientia, & erga homines bonitas ostenditur, gratitudine debita celebretur. Nam & solennem illam feriarum recreationem sua ipsius uoce sanciuit olim, Et con-

gressus piorum frequentes illo ipso tempore haberi uoluit, quæ opera somna ipse exhibuit, ut à multis, eo tum & grate agerentur, & memoria operum suorum ad posteros omnes propagaretur. Ac placere DEO *hanc quamuis infantilem ac balbutientem commemorationem ac celebrationem suæ sapientiæ ac bonitatis, certissimum est: Itaq; & excitandæ sunt piæ mentes, & inquirendum acerrimo studio, quæ sint opera illa* DEI *magna & stupenda, quibus cogitandis ac celebrandis occupari in his ferijs singulos & uniuersos conuenit.*

Magna omnino & admirabilia sunt, quæ in Paschate olim acciderunt, interfectis in Ægypto primogenitis omnibus, & populo Israel per mare rubrum testimonijs glorioſis traducto, Fuerunt illa & rerum maximarum monumenta, & typi: Sed profecto paria his sunt & penè miranda magis, quæ die ab exitu Quinquagesimo, unde festo Πεντηκοστῆς *nomen est, euenerunt, prodeunte* DEO *ex arcana sede sua, & in cacumine montis Sinaici inter tonitrua & fulgura terribilia Legem sua ipsius uoce pronunciante. Magna etiam ac dulcis fuit noui paschatis gloria,* Filio DEI *Domino nostro* Iesu Christo *ex morte resurgente, Sed neq; gloriosæ lætitiæ celebritate, neq; dulcedine testimoniorum diuinorum cedit illi dies itidem ab hoc Quinquagesimus, qui nouæ Pentecostes initium fuit.*

Israelitis

Manifeſte effuſo Spiritu ſancto in Apoſtolos, & cœtum his adiunctum ſonantem, & audientem Euangelium. His mirandis operibus ac teſtimonijs quid agat conditor, quæue horum cauſæ ſint principales ac potiſſimæ, Ac cur omnino & Paſchatos & Pentecoſtes utriuſq; tempora conuenire uoluerit, operæprecium eſt conſiderare accurate. Etſi uerò & res ſunt maximæ, & cauſæ horum operum plurimæ, nec poſſunt hæ omnes hoc loco commemorari. Duo tamen præcipua ſunt, de quibus inprimis cogitare pias mentes decet. Ideo in utraq; Pentecoſte operibus ac teſtimonijs inuſitatis ſeſe oſtendit conditor, Quia uult in genere humano extare illuſtrem et indubitatam Eſſentiæ ac uoluntatis ſuæ noticiam, Et uult conuinci mentes hominum, ut & eſſe Deum ſtatuant ſine dubitatione, Et huic genus humanum curæ eſſe ſciant, uereq; ipſum ſic erga homines affectum eſſe intelligant, quemadmodum in uoce ſua, tradita ac commendata tantis teſtimonijs ingenti multitudini, teſtatur ac pronunciat, Deniq; uult certos eſſe homines uerè ſe & doctrinæ huius à ſe patefactæ, & cœtus illius, cui eam tradidit cuſtodem eſſe perpetuum, & uindicem ſeueriſſimum, ſi ſpernatur, aut indigne depoſitum hoc eiq; additi cuſtodes tractentur aut habeantur. Itaq; & ſignis perſpicuis ſeſe quis & qualis ſit in patefactionum teſtimonijs oſtendit, Et de uoluntate ſua ut certi ſint homines, perſpicua & certa eam uoce ac doctrina, exponit

exponit. Quin ut in monte Sinaico factum eſt, ſuis ipſe digitis ea quæ uoce expoſuit, tabulis lapideis inſculpit, Ac cætera quæ tanquam ἐξήγησιν adiungit, ſcriptis mandari & accuratè aſſeruari iubet. Tandem etiam ac in Pentecoſte altera ſuæ erga homines uoluntatis arrabonem ac teſtem certiſſimum in corda hominum de eſſentia ſua effundit, Spiritum uidelicet ſuum ſanctum, legem, ut Ieremias & Paulus inquiunt, uiuam, et in cordibus fulgentem & clamantem Abba Pater. Hæc ut in operibus illis mirandis & præter naturæ ordinem factis agit & patefacere conatur conditor, ita agnoſcenda & ſumma cum ueneratione cogitanda ſunt. Quantum enim beneficium eſt, DEVM ipſum de ſe et de uoluntate ſua docere et erudire homines, in quibus etſi ex creatione aliquæ ſuperſunt ſcintillulæ hoc utcunq; monſtrantes & eſſe Deum, & hunc boni omnis in natura, ut Plato dixit, cauſſam eſſe, Tamen quantulæ illæ ipſæ notitiæ forent, niſi hæc patefactionum lux accederet? Itaq; in Pentecoſten utramq; intuentes inenarrabile nobis beneficium tribui cogitemus: In priore, ſua uoce legem DEVS pronunciat, ut ſeſe nobis monſtret, Et ſe nequaquam pro derelicto habere teſtetur quod attributum nobis in creatione de noticia ſui, lapſu Parentum primorum amiſſum eſt, Quodq; ex lapſu reliquum eſt, id promulgatione hac & uoce noua ſe approbare, ſtabilire, & in autoritate eſſe uelle ſignificat. In altera

altera autē magis perſpicue ſeſe monſtrat, et ut ante hac multis teſtimonijs Filium oſtendit, ita & Spiritum ſuum ſanctum, perſonam à Patre & Filio diſtinctam eſſe peculiari flammarum ſpecie, & miranda eius miſſione atq; effuſione demonſtrat, Confirmat & in priore feſto olim approbata & illuſtrata, hoc ipſo Spiritu ſuo nunc effuſo effecturum ſe ſignificans atq; inſtauraturum in cordibus hominum lucem & motus nouos ueræ agnitionis DEI, ueræ iuſticiæ, ueri timoris, fidei, dilectionis, ueræ deniq; obedientiæ, & uitæ æternæ, Quorum omnium normam & uelut ſpeculum eſſe uoluit Legem in monte Sinaico teſtimonijs mirandis traditam.

Hæc enim omnia reddi hominibus, hæc accendi in cordibus hominum ſciamus, cum dato Spiritus ſancto mens luce noua imbuitur, cum uoluntas flectitur ad Deum, & cor motibus nouis & congruentibus uoluntati Dei completur. At quantum hoc beneficium eſt, quidue cogitari aut expeti maius ac mirabilius poteſt? Hic expauefcamus ferió nos ipſos intuentes, & ploremus ueris gemitibus duriciem & ingratitudinem noſtram, Quod neq; agnoſcimus neq; cogitamus hæc ferió, neq; pro his grati Deo ſumus, ut debebamus, et beneficij amplitudo requirebat.

Primum hoc ac ſummũ Pentecoſtes utriuſq; beneficium eſſe non dubium eſt. Sed ut bonũ unum et idẽ pro ſapientiæ ſuæ infinitate Deus prodeſſe uult multipliciter, et reuera diſtincti huius quaſi gradus ſunt, ita diuerſis temporib. diuerſa et agit et illuſtrat conditor,

ditor, ac genera doctrinarum diſtincta de beneficijs differentibus proferens, momẽta promulgationis uule congruere, ut de cogitatione & magnitudine utriuſq; beneficij homines cõmoneſaciat. Legis itaq; & Euangelij, ut loquimur, doctrinam & beneficia, utraq; in Pentecoſte diſcernit et illuſtrat. Cum Deus conderet homines, transfudit in mentes & corda horum ſimilitudinem ſuæ lucis, ſapientiæ, iuſtitiæ, & bonorum, quæ ſunt in ſeſe optima, Et hæc imaginis ſuæ titulo & elogio magnifico honorauit, imò addidit & flammam illam uiuentem ac ſubſiſtentem lucis, lætitiæ & iuſticiæ æternæ, qua filium ipſe, & uiciſſim filius ipſum ut patrem amplectitur, ut hoc quaſi uinculo ac nexu æterno diuinitati copulati eſſent homines, ſeq; uero & ardenti amore diligi intelligerent. Tanti boni poſſeßio cum ingratitudine & lapſu hominum primorum amiſſa & excuſſa ſit, promulgata Lege teſtatur quales nos condiderit, & quales nos eſſe uelit, Et additis comminationum fulminibus, into ſonis ad promulgationem adhibitis ſignis tonitruum, fulgurum, tubarum, flammarũ & terrorum horribilium, uult expauefcere homines, quod non ſint normæ huic ſapientiæ & iuſticiæ diuinæ conformes, uult metuere iram et iudicium Dei, hanc legis efficaciam in mentibus hominum eſſe ſignificat.

Etſi autem ira aduerſus homines iuſtißima erat, & fuiſſent hi abiiciendi prorſus, tamen cum interceſſiſſet Filius, & in Patre æterno σοφιὰ &

& amor erga Filium deprecatorem, & nos, iræ ſeueritatem ſuperaſſet, & donati eſſemus Filio, qui aſſumpta natura humana deriuauit in ſeſe pœnam, & iræ ac iniſticiæ Patris ſatisfecit, factus pro nobis λύτρον & uictima cruenta, Redditur nobis per Filium Spiritus ſanctus, & hic in Pentecoſte aliena ſpecie uiſibili linguarum flammantium in Apoſtolos effunditur, ut per hunc rurſus Deo copulemur, & amiſſæ imaginis diuinæ pulchritudo reſtituatur atq; innouetur. Effunditur autem & datur à Filio paſſo pro nobis & reſuſcitato & ad dexteram Patris exaltato, & quidem Apoſtolis ſelectis Chriſti huius teſtibus, et horum auditoribus Euangelium ſonantibus & audientibus, ut manifeſtum fiat, hac una & ſola uoce Euangelij, offerente remiſſionem peccatorum gratis per & propter Filium Dei inſtaurationem hanc, atq; innouationem naturæ hominum fieri, caq; ut omnium maxime perſpicua nota, uocem Euangelij à doctrina Legis diſcerni atq; ſeiungi.

Tantis de rebus in Pentecoſte utraq; conditor benigniſsimus nos commoneſacit, pro quibus ſi qui gratitudinem Deo deberi dubitant aut negant furenter, indigni ſunt, quibus hominum appellatio tribuatur. Gratitudo autem ut præſtetur, in omni illa inuocatione, maximè uerò in his ferijs cogitanda ſunt. Et quidem intentionem animorum in his maiorem atq; ardentiorem eſſe iuſtum eſt, Quia & periculs

pericula impendent terribilia, & pœnæ triſtiſsimæ non bellorum tantum aut aliarum calamitatum publicarum, ſed magis furorum & confuſionum horribilium, quibus hæc ipſa de Filio & Spiritu ſancto doctrina, & lux dulciſsima à fanaticis multis oppugnatur & obſcuratur, & in quibus maxime auxilio & gubernatione Spiritus ſancti opus eſt, ne fanaticorum præſtigijs & furoribus implicati aut turbati, à ueritate & fide recta aberremus aut deficiamus. Cogitatio autem & precatio ut intenta eſſe poſsit, modeſtè mores regendi ſunt, & uitandi furores ac tumultus cupiditatum ruentium, ebrietatis, commeſſationum, libidinum & ſimilium, quibus contriſtatur & exeuitur Spiritus ſanctus, & attrahuntur ſpiritus illi impuri & tetri Diaboli, quibus uolupe eſt Filium Dei & Spiritum ſanctum contumelia afficere. Quare hortamur ciues ſcholæ noſtræ omnes & ſingulos, ut in ferijs his modeſti ſint. Cogitent & intueantur animis pericula Eccleſiæ & totius orbis Chriſtiani, quæ profecto maxima ſunt & multiplicia, Ac petant nobiſcum ueris gemitibus, ut inter nos Deus, & colligat et ſeruet Eccleſiam, arceat ac depellat ab orbe Chriſtiano & arma Turcica, & neruos horum, blaſphemias impiæ doctrinæ Mahometicæ, cuius ſemina proh dolor unà cum armis impijs diaboli iam commouent, & ſpargere paſsim incipiunt, regat diſciplinã et ſtudia doctrinæ, & protegat horum hoſpicia.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000027

Est autem pars gratitudinis uenerari ministerium Euangelij, per quod Spiritus sanctus & datur & efficax est. Quare ut & nostra aliqua erga pios Ecclesiæ ministros gratitudinis significatio conspiciatur, Præcipimus Scholasticis ut ad aram singuli hodie munus pro more afferant, & pijs precibus ministerium Euangelij DEO commendent. PP. in Pentecoste Anni M. D. LXVI.

SCHOLASTICIS ACADEMIÆ VVITEBERGensis S. D.

MEdica schola in hac Academia hactenus magis quam cæteræ laborauit penuria non tam auditorum quam lectorum. Vt ergo hac in parte etiam consuleretur publicis studijs, Illustrissimus princeps Dux Saxoniæ Elector, Dominus noster clementißimus, constituit, ut tres sint doctrinæ Medicæ interpretes in posterum, qui cum nunc conuenerint omnes, ita in posterum partientur & urgebimus operas publicas, ut omnibus prouectioribus pariter ac Tyronibus suppetat lectionum & exercitiorum in arte nostra copia. Ego itaq; post hac quæ restant in secundo ad Glauconem Galeni (Restant autem fere præcipua) pertexam, ut auditores mei habeant integram de curandis morbis internis et externis

ternis tractationem. Nec methodus medendi morbis uniuersalibus extat ulla succinctior aut magis perspicua q̄ hæc Galeni ad Glauconem. Addam aūt enarrationem Aphorismorum Hippocratis, quam sapiens antiquitas censuit omni tempore in scholis retinendam esse propter usum in arte nostra maximum.

Biduum septimanæ prius tribuam Galeno, posterius Hippocrati. Die Sabbathi reuertar ad expositionem uel repetitionem potius Chronicorum, in quibus deinceps audiemus tristißimas dilacerationes ac ruinas terribiles Imperij Romani, conflictus inter se mutuos Doctorum in Ecclesia, Rabiem hæreticorum, ululatus furiarum in impijs dogmatibus, Sinonia consilia in incitandis aulis, præstigias sophismatum in tuendis manifestis mendacijs. Sed tamen uicit tandem VERITAS eluctata ex acerbißimis odijs & crudelißimis oppugnationibus, Filio Dei defendente agmen Ecclesiæ suæ, & iram ac iudicium suum aduersus Blasphemos hostes ostendente extirpatione Impiorum dogmatum, deletione gentium, quæ ea dogmata defenderunt, atrocitate supplicionum aduersus autores & persecutores, Vt testantur exempla Arrij, Nestorij, Iuliani Apostatæ. Et prodest considerare pios, quibus autoribus ac testibus puritas doctrinæ conseruata sit ac propagata. PP. Dominica Trinitatis.

D. Caspar Peucerus.

LINGVÆ LATINÆ STVDIOSIS.

LIberatus, Dei benignitate, morbo, quo cum superioribus diebus conflictatus sum, ad usitatas prælectionis publicæ operas, hodiè Deo iuuante, hora consueta redire decreui. Cumq; in Explicatione primi Libri Quintiliani eam partem absoluerimus, qua & puerum habilem aptumq; ad literas, et præceptorẽ rectè formandis teneroru ingenijs idoneum accuratè describit autor, et quæ in utroq; ac parentibus quoq; ipsis inesse uel abesse ab his debeant, sapienter grauiterq; monet: Nũc ad ipsa accedemus præcepta, quæ etsi exilia & puerilia uidentur, continentia nimirum elementa puerilis institutionis, Tamen eiusmodi hæc ipsa sunt, ut probè cognita & percepta eruditionem iudiciumq; augeant: neglecta aditum ad hæc præcludant, ac ruditatem in magna etiam rerum cognitione sæpe arguãt, ut ad hæc quoq; accommodari rectè possit, quod dicitur, In tenui labor, At tenuis non gloria. Non pudeat ergo iuniores solidæ eruditionis studiosos temporis aliquid etoperæ huic cognitioni tribuere. Præceptores uerò, et eos, qui priuatim docent, non tam meo quàm publico nomine hortor, ut pueros suæ curæ ac fidei commendatos, nec dum probè in fundamento doctrinarum confirmatos, & ipsi ad examinationes Grammaticas priuatim assuefaciant fideli-

ter, & huiusmodi publicis lectionibus frequentes interesse uelint. P P. Iunij, Anno 1566.

Eusebius Menius M. & publ. Professor.

ARTIS MEDICÆ STVDIOSIS IN ACADEMIA Vuitebergensi.

SI Parentibus & Præceptoribus par gratia referri nunquam potest, quod cum Aristotele uerissimum esse iudico, neq; huic Academiæ ullis unquam officijs aut meritis me satisfacere posse, quantumcunq; enitar, libenter profiteor. Hæc me enim primum egressum patrijs limitibus et quidem tenerum prorsus ætate ac ingenio, rerumq; omnium imperitum excepit, fouit, auxit, excoluit, monstratis ueris fundamentis in doctrina Ecclesiæ, qua ducimur ad æternum cum Deo commercium, & puioris philosophiæ quæ seruit uitæ communi. In his præceptorem habui & publicè communem cũ alijs et priuatim in domestica uitæ consuetudine, uirum Reuerendum beatæ memoriæ PHILIPPVM MELANTHONEN, quo cum uixi, & ad eandem mensam accubui ad id tempus usq; quo ipso hortante profectus sum in Italiam, ut Philosophos & Medicos Academiarum Italicarum audirem. Hos enim Magistros ut sequerer præ cæ-

teris ille mihi suadebat in ea arte, quam discendam exercendamq; tempore uitæ meæ susceperam. Ad hæc uetera beneficia nunc nouum addidit Academia, cum ex mandato illustrissimi Principis Ducis Saxoniæ, Electoris &c. Domini nostri clementissimi docendi mihi partes in Collegio medicorum attribuit. Quæ de re etsi mihi uehementer gratulor propter occasionem testificandæ uoluntatis, fidei, ac gratitudinis meæ erga dulcissimam, optimeq; de me meritam matrem Academiam, tamen cum meam considero imbecillitatem, uicissim perturbor uehementer, penè diffidens mihi ac metuens, ne opinionem & spem de me ab alijs conceptam, non sustineam, neue quantum requiritur, & quantum debeo, non præstem, sed erigit ac consolatur me uicissim conscientia optimæ uoluntatis quam ad docendi prouinciam & ad benè merendum de hac schola, adfero. Fides, diligentia, sedulitas, studium, assiduitas mea, Academiæ & scholasticis defutura non est, cætera præstabit misericors Dominus, æternus Deus, pater Domini nostri IESV CHRISTI, cuius benedictione labor noster nõ est irritus. Hunc uerum DEVM fontem doctrinæ medicæ & salutarium medicationum aggressurus operas mihi demandatas toto pectore inuoco, orans ut ille aspiret conatibus meis, ut mei in docendo & medicando labores sint utiles multis, & salutares Academiæ. Cum autem uoluerint Præceptores et Collegæ præ-

lectio-

lectionem me ordiri ab enarratione librorum Galeni, De differentijs & causis morborum & Symptomatum. propter eos, qui recens ad audiendas lectiones medicas accesserunt, significo me ad proximam diem Iouis horæ Nonæ in Collegio medicorum initium facturum esse. In hoc scripto ubi aliquantulum fuero progressus, si studiorum publicorum ratio uel tulerit uel exegerit, addam & de sententia Collegarum alicuius alterius libelli interpretationem. P.P. 16. Iunij Anno 1566.

Paulus Hessus D.

IN PRÆLECTIONEM PRIVATAM DOCTRINÆ Ethicæ & Theognidis.

INtelligo et probo Euripidis sententiam in Oreste, quæ uetet res bonas non esse onerandas immodicis laudibus: βάρος δ' ὄδι λίαν ἀινεῖσθαι. Itaq; doctrinam Philosophiæ Moralis, quam deinceps, Deo adiutore auditoribus meis priuatis, qui candidos & gratos se præstare uolent, propenam, non fucosè nec hyperbolicè eorum laudabo: sed simplici & minimè affectata oratione utilitates exponam, propter quas diligenter discenda est. De quibus tamen

à doctißimis Præceptoribus publicè ſæpenumero uberius dici ſolet. Principiò hæc etiam pars Philoſophiæ eſt πεῖσθυπήκοον τῆς θεογνωσίας, ut Baſilij uerbis utar, hoc eſt, Scholæ multipliciter eruditionis nos de Deo. Nam diſcrimen uirtutũ & uitiorum illuſtre teſtimonium eſt, ex quo intelligimus, non ſolum eſſe Deum, ſed etiam qualis ſit, & quòd iudicaturus ſit. Deindè in uitæ noſtræ gubernatione multum refert imbutum atq; inſtitutum eſſe doctrina Ethica, quæ mores hominum non ſinit eſſe feros & rudes, ſed flectit bona ingenia & non diſtorta ad Legis naturæ conſiderationem, informat iudicium de multis uitæ negocijs: & reuocat animos ad ſuauem actionum omnium moderationem: Deniq; ad ſtudium fouendæ ſocietatis et amorem concordiæ mentes inuitat. Veriſſimè enim de hac Philoſophiæ parte uſurpari poteſt, quod Seneca dixit: Philoſophiam tria præſtare hominibus: Senſum communem: Humanitatem: & Congregationem.

Prætereà in dicendo & ſcribendo hæc doctrina optima et pulcerrima lumina Eloquentiæ ſuppeditat. Nam omnis uera copia orationis plena rerum optimarum ex diſputationibus Philoſophorum de uirtutibus, quaſi ex ſancto auguſtoq; fonte demanat. Ac planè inſulſa & plumbea eſt oratio aut Epiſtola, niſi Noëmatis & Epiphonematis concinnè allu-

dentibus ad Locos de Virtutibus & uitijs quaſi quodam ſale & rore gratiarum conſperſa ſit. Vt autem nautæ eò directius gubernant, quòd eam tenent ſtellam, quæ curſu interiore breui conuertitur orbe, ut ex Arato ait Cicero: Ita bonorum ſcriptorum, inprimiſq; hiſtoriarum & Poëmatum lectionem præcipuè gubernat doctrina Ethica. Etſi enim Poëtæ, Oratores, & Hiſtorici interdum ad Phyſicen aut Aſtronomiam digitum intendunt: Tamen corpus Orationis magna ex parte in locis Ethicis conſiſtit, neq; poteſt in lectione cuiuscunq; eruditi authoris quidquam eſſe utilius, quàm dextra accommodatio exemplorum & ſententiarum ad Locos de uirtutibus. Hanc uerò dexteritatem nemo aſſequetur, niſi deſcriptionibus uirtutum earumq; cauſſis explorate perceptis & cognitis. Neq; uerò obſcurum eſt ſtudioſos Iuris & iuſticiæ hac doctrina, tanquam inſtitutione puerili præparandos eſſe: Cum nomen ipſum iuſticiæ ſine adminiculo huius Philoſophiæ non ſatis intelligi poßit. Vt enim Phyſicæ cognitio initium eſt artis Medicæ: Sic Philoſophia Moralis uelut Catechiſmus quidam eſt ad ſtudium Iuriſprudentiæ, ut omnes ſapientes omnibus temporibus iudicârunt. Poſtremò Eccleſia hac optima & eruditiſſima doctrina carere non poteſt. Neceſſe eſt enim ſæpè conferri genera doctrinarum Philoſophiam, Legem, & Euangelium, eaq; inter ſe conſpicuis limitibus tanquam in iudi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000031

dicio regendorum finiti discernenda sunt. Et in explicatione multorum locorum Theologicorum, quales sunt explicatio Decalogi, & legis naturæ, Item de Magistratu, de contractibus, de uirtutibus, de generibus delictorum, non modò adminiculum necessarium sed & lumen præcipuum est cognitio doctrinæ Ethicæ. Hæ utilitates cum tantæ sint, ut nulla oratione satis comprehendi possint, Ego quidem facilius me persuaderi passus sum ab ijs, qui priuatæ meæ fidei commendati, magnoperè à me petuerunt, ut EPITOMEN doctrinæ Ethicæ traditam à D. Philippo Melanthone præceptore nostro sanctæ memoriæ, per hanc æstatem in manus sumerem. Etsi enim & fideliter et dexterè Dei beneficio hæc ipsa doctrina publicè à doctissimis Præceptoribus hoc tempore proponitur, Tamen grauissimè de studijs nostris Plato pronunciauit: Etiam cum sæpè doctrina eadem repetitur, & semper audiatur multis annis, uix tamen ut aurum perpurgatur multis exercitijs. Fortassis autem aliqui ex studiosis potius eruditissimi et optimi scripti de Anima explicationem à me hoc tempore expectauerunt, cum sit uelut pars quædam Physicæ, in cuius prælectione hactenus utcunq; pro nostra tenuitate uersati sumus. Sed quia & uarietas interdum in studijs aliquid non solum delectationis, uerum etiam utilitatis habet: & enarratio Libri de Anima paulò antè inchoata publicè, multum temporis requirit, decreui hac æstate in priuata

priuata prælectione doctrinæ Ethicæ uersari. Quam spero me, Deo iuuante, ante initium hyemis adfinem perducturum esse. Huic uerò propter Græcæ linguæ exercitia constitui in usum priuatorum meorũ Theognidem Græcum adiungere, Qui dulcissimis sententijs illustrantibus disputationes Ethicas abundat. Oro autem æternum DEVM patrem Domini nostri IESV CHRISTI, ut qualescunq; conatus nostros regat & adiuuet, & ad hæc studia Academiæ, tanquàm matri nostræ carissimæ, halcyonia, & immunitatem à bellis & peste diutius largiatur, & nostra omnium studia ad sui nominis gloriam et Ecclesiæ ac Reipub. salutem & utilitatem prouehat. Benè Valete. Mense Iunio. Anno Christi 1566.

Christophorus Pezelius
Plauensis.

PIO ET CANDIDO LECTORI S. D.

QVi oculis atq; animo pulcherrimum hoc ac splendidissimũ Mundi Theatrũ perlustrant, eos, nisi à sese uelint dissentire, cũ Rege et Propheta sapientissimo Dauide erumpere in hæc uerba necesse est: Quàm magnifica sunt opera tua DOMINE, omnia in sapientia fecisti: Impleta est terra bonis tuis. Vt enim magnitudo corporum mundi

ostendit

ostendit Dei potentiam infinitam esse sic partium omnium concinnitas, pulchritudo, & ordo perpetuus ad hominum potissimum utilitatem accommodatus, monstrat opificis sapientiam & bonitatem. Quid maius atq; augustius hoc amplissimo cœli domicilio, quod tam longè latèq; patet, subijci oculis potest? Cuius tamen tanta est, conuersionis celeritas, quantam ne cogitare quidem possumus. Sol ipse, qui Epicuro bipedalis videtur, de Mathematicorum certè sententia, nastissimi globi terreni molem, centies sexagies sexies excedit. Reliquæ autem stellæ omnes, etsi Sole minores sunt, terræ tamen magnitudinem, (duobus inferioribus Planetis & ☽ exceptis) aliquoties superant: ex qua proportione, cum terrenti domicilij nostri amplitudinem mente concipimus, stellarum ipsarum uastitas æstimari utcunq; potest: nec dubitari, hæc omnipotentis cuiusdam & infinitæ essentiæ diuinæ opera esse.

Ordo autem & τελειότης in omnibus Naturæ partibus, apissimè dispositis, pulcherrimeq; exornatis, sapientiam Architecti perspicuè demonstrat. Quo enim corpora mundi sunt puriora & nobiliora, magisq; simplicia & durabilia, eo ab his fecibus terrenis longius in sublime euecta sunt: ut humiliora centroq; uniuersi illa sunt propiora, quæ terræ naturam & sordes referunt. Solus inter hæc Homo, cum & diuinæ rationis mentisq; particeps sit, & ex terræ puluere digito Dei formatum corpus

pus circumferat, propter peccatum morti obnoxium, in terræ primum superficie tanquam uermiculus repetat, terra editis nutriat & sustentatur: donec mortalis huius corporis exuuijs depositis, recepto diuina potentia et efficacia corpore immortali & anima, cœlo, primæq; suæ patriæ, ex qua Diaboli technis deturbatus fuit, restituatur. Postremo, nisi in ijs omnibus quæ infinita potentia, ordineq; apissimo & pulcherrimo fabricata sunt, etiam ἀριστότης καὶ τελειότης σοφὸν δημιουργοῦ καὶ τέκτονος & conspiceremus, quid esset cur lætari de his magnopere, eaq; suspicere ea & magnificere deberemus? Hæc uerò ipse sibi argumento in eo ostendit, quod fines rerum omnium aptè distributi, & ad salutem generis humani destinati atq; accommodati sunt. Exempla finium innumera monstrat Physica doctrina, in elementis, plantis, animantibus, partibus humani corporis, quarum singulæ ad singula officia destinata sunt. Astronomia uero, quæ leges motuum in stellis certissimas monstrat, & conseruationem superiorum atq; inferiorum corporum docet hac, nonne et ipsa bonitatem καὶ φιλοσοφίαν dei perspicuè ostendit in gratissima dierum & noctium uicissitudine, in saluberrima illa rebus natis & animantibus quatuor anni partium permutatione? Ac uerissimè inquit Cicero, nec pietatem erga DEVM, nec quanta ei gratia debeatur, sine explicatione Naturæ intelligi posse. Nam, ut de

ut de ſtellis, elementis, animantibus, metallis & gemmis nũc non dicam, id quod operis eſſet infiniti: res certè ex terra naſcentes mirabili arte et conſilio ita ſunt diſtributæ, ut aliæ proſint ad nutritionem, aliæ ad medicationem, Id quod manifeſtè teſtatur conditorem eſſe amantem hominum, quia tam multæ res præcipuè ad humanos uſus factæ ſunt. Etſi uerò nec cogitatione mentis humanæ comprehendi, nec ulla eloquentia exponi amplitudo & uarietas rerum, quas hic mundus continet, queq; obiectum ſunt humani intellectus, poteſt: tamen uult nos Deus in hac uita initia ſuorum miraculorum & beneficiorum maximorum utcunq; deguſtare ſtudioq; inueſtigare, & admiratione tantarum rerum obſtupeſcere, & cum Dauide exclamare: Quàm magnifica ſunt opera tua DOMINE. *Benedicite Dominum omnia opera eius, &c.*

Vt igitur meo loco ſtudia diſcentium adiuuem, & iuniores inuitem ad Naturæ piam, uitæq; utilem conſiderationem aliquam, deinceps horæ conſuetæ PLINII *librum ſecundum enarrabo, qui & ipſe* ἀπόδειξιν ἔχει μηδὲν εἶναι ἄτακτον, μηδὲ ἀόριστον ἐν τοῖς οὖσιν, ἀλλὰ πάντα ἴχνη φέρειν τῆς τὸ ποιήσαντος σοφίας, *ut Baſilius inquit. Oro autem filium Dei ſapientiæ & doctrinarum rum fontem, ut ipſe nos doceat, regat, adiuuet ac tueatur. Sic irritus in Chriſto non labor ullus erit. Anno 1566.*

Bartholomeus Schönborn
Profeſſor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NAta fuit ex antiqua & honeſta Moſchouicorũ familia in uicino oppido TORGA SVSANNA Vidua uiri Clariſſimi ac Profeſſoris olim in hac Academia celeberrimi, deq; publicis ſtudijs meriti præclarè IACOBI MILICHII Philoſophiæ & medicinæ doctoris, ſed generis dignitatem à maioribus acceptam longè clarioribus ipſa et uerioribus ornamentis condecorauit, ijs ſcilicet uirtutibus omnibus, quibus matronam honeſtam excellere decet, pietate erga Deum, ſincero caſtoq; amore erga maritum dum uixit, cui liberos duodenos peperit, de quibus ſuperſunt filij ſeptem, filiæ duæ, philoſtorgia erga liberos, ſanctimonia, grauitate, honeſtate, diligentia, & ſeueritate in educatione ſobolis, ſedulitate in Oeconomicis operis et officijs à morte mariti, cuius cum & deſiderium ferret grauiter, & afficeretur orphanorum liberorũ conſpectu, mœſta ſemper fuit. Inde hypochondriacos dolores contraxit ſæuos admodum, qui etſi interdum deleniti medicamentis conſederunt, & remiſerunt, ceu inducijs conceſſis ad breue tempus: tamen mox iterũ recru-

recruduerunt, & tanta interdum uehementiâ, ut sæpè sit ex magnitudine cruciatuũ de uita periclitata. His doloribus tandem consumpta, cum & febricula accessisset & obstructio meatuum Vrinæ, ex calculo se et pituita crassa et lenta pertinax admodũ ac difficilis, heri sub noctem horæ octauæ maritum consecuta est, cum ea misericordiæ diuinæ fiducia, & ea inuocatione, qua toto uitæ tempore assiduo gemitu planctuq; repetita ac frequentata sese & sobolem filio Dei commendauit. Funus ei fiet hodie horæ IIII. à concione Pomeridiana, Id ut scholastici frequentes deducant eos hortamur propter memoriam Doctoris Miliebij, cui multum debet hæc Academia, quam iustum est moueri orbitate, et affici cura orphanorum liberorum.

In hac solemnitate funebri scholastici pij complectantur etiam precibus suis publicas calamitates, quæ impendent multæ & magnæ cum toti Germaniæ ab externis hostibus, tum his regionibus & Ecclesijs, non solum à lue pestilenti, sed ab intestinis discordijs & bellis ciuilibus. Hæc à nobis pericula DEVS ut auertat ac depellat precemur, & ipsi operam date ut ea arceatis ac fugiatis innocentia uitæ, modestia, diligentia in omni officiorum genere. Non attrahatis & cumuletis flagitijs & improbitate. Crudele est non tangi cura publicorum malorum, crudelius multo est παρα̃ζαι ἐπὶ συμφορα̃ις quod nonnullos audiuimus facere, Sed in horum capita redundabit talis ἐπιχαρεκακία. PP. In festo Iohannis Baptistæ Anno 1566.

ALIA.

INtercessit iterum mediocre temporis interuallum, quo partim ualetudinis affectione, partim alijs impedimentis retractus, distuli continuationem Lectionis mihi demandatæ, quæ intermissio operarum functionis meæ, non leues mihi sæpè dolores attulit. Sed quid faciam in hac corpusculi infirmitate? cui per se imbecilli, etiam laborum plus imponitur, quàm ferre possit interdum alius uel mediocri robore præditus.

Patienter igitur hanc dilationem operarum ferant auditores mei, quibus nunc significo, me, iuuante Deo, die Iouis proximo, hora septima rediturum esse ad explicationem Euangelistæ Matthæi, & lecturum deinceps in auditorio magno ueteris Collegij, ne nostræ operæ, in nouo ludo literario, ubi aliquandiu conuenimus, uel puerorum institutionem impediant, uel eorundem strepitu & usitatis exercitijs cantionum, interturbentur.

Die Iohannis Baptistæ.
1566.

Paulus Eberus
Pastor.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000035

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HOdie ad Horam XII. Funus ducetur Nobiliß. adolescenti CANVTO, PETRI filio SCHRAMM: qui natus fuit ex celebri & perantiqua familia ordinis Equestris in regni Danici regione ea, quæ SCANDIÆ nomen habet, Quod funus, propter parentes & patriam mortui, luctuosum est. Pater enim huius, Dominus PETRVS SCHRAMM de VVrup, uir primarius est nobilitatis Danicæ, & in consilio publico eius regni principem locum obtinet, & terra mariq; militauit Regibus patriæ suæ, & propter spectatam uirtutem & fidem ornamenta consecutus est Equitis aurati, & præfectus classi fuit Danicæ ab inclytis Regibus, CHRISTIANO Patre & FRIDERICO filio, quorum utergq; summam rerum in maris ei concredidit, quibus & utriusq; in amplissimo & difficilimo munere uirtutem et fidem probauit, & de patria optimè meritus, nomen sibi peperit gloriosissimum: nuper autem propter ætatem & afflictam ualetudinem hoc munere se abdicauit, & uacationem à militia impetrauit, cum sit senex maior sexagenario. Matris uerò pietas, & matronalis grauitas, pudicitia & honestas, per omnes illas regiones celebratur, quæ est ex præcipua familia, CRABBORVM. His parentibus natus CANVTVS, & domi optimè, Vt in tali familia educatus

tus & ad nostrates Scholas missus fuit, atq; degit aliquantisper in Academia Lipsica, inde ad nos commigrauit, cumq; esset ingenio optimo, moribus suauiss. & summa modestia præditus adolescens, ita in studijs doctrinæ uersatus est diligenter & feliciter, ut nihil ab eo uulgare expectaretur, sed spes esset indubitata ornamentum eum nouum in familiam suam illaturum, & quod patriæ utiliter inseruiturus esset. Præceptor eius uir grauis, doctus & intelligens, cum lacrimis apud nos testatus est se nunquam cognouisse ingenium probius, neq; unquam ab adolescente concinnius quicquam commissum fuisse, & in erratis & lapsibus ætatis deprecationibus eum uti solitum fuisse, cum reuerentia & submissione. Correptus autem febre continua uel potius bestiritica, cum accederent spasmi etiam epileptici, inter religiosas & ardentes preces suas ad filium DEI & recitationes sententiarum ex sacra scriptura, quibus ipse se confirmauit, & inuocationem accendit, nona die extinctus est, ingressus iam annum ætatis uigesimum primum, quia est climacter septenarius tertius. Ad huius funeris exequias prosequendas hortamur & iubemus Scholasticos indicto tempore frequentes conuenire ante notas ædes honesti uiri IOHANNIS CANCELERI, & declarare hoc comitatu dolorem suum propter luctum nobiliß. parentum, & interceptos fructus Reipublicæ immatura morte, ut ge-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000036

uere, ita natura etiam & indole nobilis ingenij. Efficacißima autem est consolatio, quod scriptum est: Esse uoluntatem patris cœlestis, ut habeat uitam æternam quicunq; credit Filio, & quod hunc resuscitaturum se promittit extremo die. In cuius misericorde manu depositum esse hunc mortuum nostrũ uitæ etc xitus eius demonstrant. In miseria uerò uitæ ætatisq; præsentis & periculis undiq; appropinquantibus ac impendentibus, uideat sibi unusquisq;, quò hæc mortalis uita sic à nobis degatur atq; conficiatur, ut spem concipere possimus alterius immortalis. Propositum Calend. Iulij. Anno 1566.

EPITAPHIVM.

NAtus in illustri Danorum gente CANVTVS,
Corporis hic posuit frigida membra sui.
Petrus erat pater huic cognomine Schrammius auro
Nobilium insigni condecoratus EQVES.
Spiritus Angelicis adiunctus cœtibus una
Exultans grata uoce Deum celebrat.
Quemq; fide coluit Christum precibusq; uocauit,
Nunc coram aspiciens audit & alloquitur.

Obijt die ult: Iunij Anno 1566. ætatis suæ 21.

Canutus Schrammius Danus.

EPITA-

EPITAPHIVM NOBILISSIMI ADOLESCENTIS CANVTI SCHRAMMII, PETRI SCHRAMMII EQVITIS AVRATI FILII.

QVI satus est celebri Canutus stirpe parentũ
Qua Daniæ tractus Scandia nomen habet.
Hic lue continuæ Febris consumtus, ut æui
Vix egressus erat bis duo lustra, iacet.
Huic pater in procerum conuentu et corpore Regni
Præcipuo positus iura dat æqua loco.
Vtilis & belli rebus terrâq; Mariq;,
Auratiq; Equitis nomina clara gerens.
Illustris Regni columen, splendorq; decusq; est,
A cuius pendent omnia consilijs.
Inq; Mari summam Rerum concredidit illi
Rex Daniæ genitor Rex Friderice tuus.
Præfectusq; tuæ classi, tibi sæpè probauit
Virtutem, ingenium, fortia corda, fidem.
At Martem pietas commendat, & ardor honesti,
Et morum grauitas, & sine labe pudor.
Hæc quoq; præcipuè CRABBORVM stirpe creatæ
Condecorat morum Nobilitate genus.
Semina uirtutum ducens ab utroq; parente
Augebat studijs filius illa bonis.
Et philyræ ludum uisit, quemq; alluit Albis
Nobilis ingenio, moribus, arte, fide.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000037

Iamq; noua inualerat Domui ornamenta paternæ,
Et patriæ rebus spes noua factus erat.
Cum mors atra tulit iuuenem, quem tempore nullo
Passa foret uirtus, ingeniumq; mori.
Nunc procul à patria iacet, aspectuq; parentum
Cui cœlum patria est, & pater ipse Deus.

Obijt die ultimo Iunij. Anno Christi M. D. LXVI. Ætatis suæ XXI. Canutus Schram Danus. Mihi uita Christus est, & mors lucrum. Philip. 1.

DECANVS COMMVNITATIS STVDII BONArum disciplinarum atq; artium in Academia VVitebergensi Magister Laurentius Durnhoser Noribergensis Euangelij minister.

HOC superum cœli quàm magnum est Numen, id omne
Est amor, inq; hominum genus insatiabilis ardor,
Et natura creans hominem, & complexa creatum
Progeniem ob caram, quæ lux, & imago parentis
Humana ætherea sociauit uiscera stirpi.
At uerò manifestus amor Patris æthere ab alto
Bis magnis operum factis, geminoq; labore

Emicuit

Emicuit nobis. Et cum ratione potentem (ret,
Fingeret, atq; hominem propria ad simulacra crea-
Et cum sorte noua, Natiq; cruore redemtum
Assereret lapsum genus, in meliusq; referret.
Factus homo est, ratione potens, et corpore con-
Sanctior ut natura foret, propiorq; fugaci (stans,
Menge Deo, cui nina suorum exempla bonorum
Artificis quæ mente uigent, atq; optima perstant,
Inserere, & dio transfundere semine posset,
In qua semper agat præsens, sedesq; quietas
Incolat, his adytis gaudens, & fornice templi.
Hic amor est, ubi mens respondet imagine menti,
Et sensus idem est, & factis consonus ordo.
Non amor est illic, diuturnaq; fœdera uitæ
Cum uariat natura, nec est sine lite uoluntas:
Cen pronus in sobolem tendit pia flamma parentum
Parte sui in sobolem transfusa, & imagine mentis.
Ergò hominem factum uerò Deus ardet amore,
Quandoquidem ipse Deus uero sese ardet amore,
Et quicunq; sibi conformi mente feruntur.
Quare homines ardere Deum per mutua fas est,
Vnde opus authorem, caussam res edita, patrem
Progenies sua, principium deducta propago.
Sed primùm has leges, alternaq; fœdera uitæ,
Hanc seriem, & sancti commercia amoris utriq;,
Turbauit perfidus homo, ingratusq; salutis
Deflexis gressus à Numine, & anius iuit,
Vnde illum Pater haud ultrà sectatus amore est

Ipſe ſuo, Infernoq; lacu, Stygiaq; palude
Exceptum, æterna Satanas ditione premebat.
Cùm medio ueniens turbatam reſtituit rem
Filius, & ruptos concinnans denuò amores
In ueterem conſenſum, & fœdera prima reduxit,
Compoſuitq; iterum diſcordia nota duorum.
Verùm opere in tanto patrijs maior amoris
Emicuit, claraq; magis cum luce refulſit
Cura Dei maior, maioraq; ſigna fauoris,
Quàm quibus uſus erat prima tum in ſorte creandi.
Iram, iuſticiamq; Dei lenire rigentem,
Inflexam ueniæ dare, ſtricto abducere iure,
Aut uno in dolio ueniam miſcere benignam
Iuſticiæ rigidæ, diuerſaq; cogere in unum:
Maius opus, maius, quàm cœlũ excudere, & undas
Oceani, & terræ producere Dædala tempe.
Et nati ipſa quidem ſubmiſſio præſtita Patri,
Dum ſupplex antè ora iacet dum uictima mundo
Cæditur, atq; ultrò letho caput obuius offert,
Exuperat mundi ſapiens opus, ipſaq; rerum
Natura admirans ad tanta exempla ſtupeſcit.
Ergò etiam ob caræ ſobolis deuictus amorem
Nos Pater ipſe ſuo ſuperûm dignatur amore,
Iuſticiam haud noſtram nobis dum accommodat ul-
Collapſæq; olim dum prima exordia ponit (trò,
Iuſticiæ, Donat ueniam, pacem annuit ultrò,
Sed meritis nati ſancitam, & ſanguine ſacro,
Et flatum ipſius noſtra in præcordia fundit,

Qui

Qui uinculi in amorem nos ipſi conflat in unum,
Qualis in humano cum corpore diſſita membra
Aut ſpacio, aut ſpecie, poſituq;, uſuq; miniſtro
Iuncta tamen uiuunt communi fœdere uitæ,
Dum uegetas auras uitæ ſeaturigine eadem
Vno è corde trahunt, & ſumunt robur ab illo.
Nunc igitur talis ſibi redditus ordo uiciſſim,
Vt Verbo & flatu generatus denuo ad auras
Promptus homo leges, & dia faceſſere iuſſa
Incipiat iam ſorte noua, ſuauiq; refectus
Lætitia uitam decurrat, & hæreat ipſi
Mente Deo, Natoq; Dei coniunctus in unum,
Quos habitans Flatus idem deuincit utriq;.
Hæc ego ut in mentem reuocem, dictiſq; reclu-
Admonet iſte dies, quo ſacro Flamine fœta (dam,
Virgo parens, ſterilisq; diu, tandemq; ſuprema
Egregium Vatem Domino paritura ſenecta
Congreſſus coluêre pios, & dicta dedêre
Concilium inter ſe tantis de rebus habentes,
Qualis ſors homini primo, iam tum orbe creato,
Qui caſus mox horrifici, quæ pœna ſecuta
Excepit ſontem, & ſtirpis genus omne futuræ,
Quæ ſpes deinde illis reliqua, & fiducia uitæ
Seminis officio concepta ultrò alleuet ægros.
Talia dicta dabant primis conuentibus actis,
Et clara indicia in medium ſermone ferebant
Eruta de Vatum monumentis, orbe peracto
Temporis affulgere diem quo Virginis aluo

Conceptus ſuperas iret Seruator in auras
Verus homo, uerusq; Deus, qui ſanguine noſtrum
Mercatus genus, Infernum ſub uincla redegit
Morte triumphata, & trito calcibus Angue,
Legeq; completa, & precium pro labe ſoluto,
Stabant erantes, & munera tanta canebat
Quòd Pater ex alto miſeratus culmine cœli
Res populi afflictas, Natum demiſerit altrò
Qui naſceretur æthereo ſocians in Nomine maſſam
Fœdus inter nos ſedus, Patremq; ſeriret,
Iuſticiaq; ſua tegeret ſera crimina mundi
Inducens lucemq; nouam, proprium q; decorem.
Talia carminibus celebrant: ſimul abditus infans
Matre Dei laudante Deum tenera extulit oſſa
Aſſultu, motuq; pio ſua gaudia prodit,
Decernens Domino quem nondum uidit honorem.

Namq; pij motus tunc demum in pectore flagrant
Cum tu animo obſeruas, oculiſue, aut auribus hauris
Verba Dei, neraq; fide ſubnixus inhæres.

Inſtar, adeſtq; operi ſacer Halitus, & pia ſufflat
Lumina, lœticiam, uires, ſolatia menti.
Non ſine doctrinæ ſtudijs diuina ſubintrat
Flamma hominem, uiuaq; animum cum luce ſerenat:
Diſce igitur, ſtudijsq; pijs pia uota iuuato.

Et quia tempus adeſt quo deſignantur honores
Doctrina excultis, & honor ſuus excitat artes:
Qui ſe iudicio gaudent ſubmittere noſtro.

Profectuſq;

Profectus probare ſuos, ſpecimenq; laborum,
Illi ad me referant ſua nomina: Quemq; manebit
Ex meritò decus, & uirtuti debita palma.

In die Viſitationis Mariæ.
Anno 1566.

IN PRÆLECTIONEM PVBLICAM ETHICÆ Doctrinæ.

VERE Iudico, uirtutem eſſe amare Patriam, eiusq; ornamenta religionis, legum, diſciplinæ & pacis, omnibus officijs tueri. Me igitur dulcedo patriæ etiam non ſinit eſſe immemorem ſui. Ac lætor toto pectore, quod in patria mea Sileſia, non ſolum conſpexi famam, quem deſiderabat ille ſapiens uir, Sed uidi fulgere in illa Solem Iuſticiæ, Filium Dei, qui luce Euangelij ibi colligit ſibi Eccleſiam, & multorum corda illuſtrat, ut in illis luceat uera agnitio, & inuocatio Dei. Hæc facies publici ſtatus cum ad ueterem appellationem gentis Elyſiæ congruat, gratior mihi etiam eſt eius recordatio. Nam ego quoq; exiſtimo, noſtros maiores comitatos eſſe populos Aſiaticos, qui territi bellis & tyrannide, in hæc loca Arctoa commigrarunt, & cum uicini fuerint in illo littore Aſiæ Minoris Aſcanij, Myſi, Lygij, Heneti, credo gentis noſtræ nomen eſſe-

ab

ab Elisa filio lauan. Ac delectat me ipsa uocabuli significatio, cum, Dei beneficio, salus Domini, bona cœlestia, quæ monstrarunt primi parentes, adhuc in hac regione piè & studiosè conseruentur, ita ut isti campi Elysij, etsi non sint amœnitate, & rerum nascentium ubertate, pares insulis fortunatis, tamen etiam sint sedes beatorum, hoc est, Ecclesiæ hospitia, in quibus funduntur purissima, & dulcissima mella Euangelij, & artium uitæ necessariarum. Quos simul Deus ornauit alijs uitæ commodis præclaris, terræ fœcunditate, et honestæ disciplinæ possessione. Hæc bona ut nostræ genti perpetuò seruet Filius Dei, & semper in ea regione Ecclesiam sibi colligat, donec in uera sede beatorum nouum regnũ inchoëtur, ardentibus uotis cum oro. Etsi autem decreueram in patria deinceps meum collocare domicilium, illiq; in propagatione doctrinæ pietatis, & optimarum artium, quarum semina ibi hausi, seruire, tamen cum aliud uisum sit propitio Deo, cui uitæ meæ curriculum pijs precibus ab incunte ætate commendaui, ego etiam imitatus exemplum obedientis Abrahæ, dulce solum meæ patriæ reliqui, & obtemperans autoritati Præceptorum, quos perpetuæ obseruantiæ cultu ueneror, in Academiam alteram quasi patriam remigraui, ut in ea ipsa quoq; primam illam, quæ me nascentem excepit, & alios discentes, communicatione qualiscunq; doctrinæ et officiorũ, quo modo iuuarem. Neq; uero iudico, cum locum

cum, qui me puerum excepit, & nascenti uitales præbuit auras, uerius mihi esse patriam, quàm hanc Academiam & Ecclesiam, quæ me deinde, cum per uerbum & Spiritum Sanctum renascerer, salutari uoce doctrinæ, & gremio suo complexa est ac fouit. Eam igitur tanquam optimam matrem, quasi ἀντιπελαργῖν pietas est, quæ & Deo placet, & me coëgit, ut partem publici muneris mihi imponi passus sim. Etsi enim imbecillitatem, et infantiam meam agnosco, ac maluissem in umbra, quàm sub Sole consistere, tamen uoluntati Dei, & Præceptorum, nec debui, nec potui repugnare. Etin infirmitate mea nitor his duabus anchoris certis & stabilibus, spe auxilij diuini, et conscientia rectæ meæ uoluntatis.

Iussum sum autem à Præceptoribus auditorio meo proponere doctrinam de gubernatione morum, quã Philosophi nominarunt Ethicen, et ut habeamus nostrarum collocutionum certas formas, uisum est instituere enarrationem libelli editi à Clarissimo nostro et Sanctæ memoriæ Præceptore, qui ex testimonio Prudentum procul dubio omnium scripta in hoc doctrinæ genere superat. In eo cum aliquandiu progressi fuerimus, alterum deinde biduum, Deo dante, tribuemus repetitioni libri Ciceroniani, missi à patre ad filium, cui titulum fecit de officijs, qui et ipse, uel propter genus sermonis, uel propter rerum doctrinam semper fuit in manibus studiosorum. Quare quod faustum et felix sit, Deo iuuante, ad decimum

diem

diem Iulij hora quarta, more Scholæ recitabo præfationis loco, breues quasdam commonefactiones, de dignitate & utilitate doctrinæ Ethicæ, quas spero non ingratas fore pijs mentibus, quæ amant disciplinam, & leges. Sequenti uero die Lunæ eadem hora in nomine Domini, nostras operas, inchoabimus. Oneris quidem huius, quod suscipio magnitudinem intelligo, & scio nullius creaturæ sapientiam parem esse explicationi legis Dei. Ideo oro toto pectore uerum legis interpretem Filium Dei, qui in cacumine montis Sinai, inter tonitrua & fulmina legem suã pronunciauit, ut ipse me, & meos auditores docere, et nos omnes ad amorem suæ legis flectat. Sedulitate uerò necessaria ut iunioribus satisfaciam, diligenter dabo operã, nec aliud promittere possum, quàm me dictata, quæ ex optimis Præceptoribus, præsertim uerò, à Reuerendo Domino PHILIPPO hausi, auditoribus meis fideliter communicaturũ & prorsus τὰ κοινὰ κοινῶς, aut ut Socrates præcipuus ille Ethicus loquebatur, τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν dicturum. Hæc ratio nostrarum homeliarum scholasticarum, si ad ostentationem composita non erit, tamen, ut spero, studijs aliquorũ fructuosa erit, & precabimur Deum monstratorem omnis sapientiæ, ut labores nostros gubernet, & faciat ut discentibus sint utiles ac salutares, iuxta promißionem: ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ.

Die uisitationis Mariæ. Anno 1566.

Iohannes Eringarius Professor.

REC-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Decessit ex hac mortali & erumnosa uita heri id est, die Mensis Iulij decimo, horam circiter undecimam CVNRADVS BARTOLDVS Penicensis, qui huc uenit proximo mense Aprili, & studijs linguarum aliarumq; optimarum artium sedulo incubuit usq; ad mensem Iunium, Vixit parce ac tenuiter, pro ac ferebant facultates ipsius, usus mensæ communi in Collegio, Deinde cum corpore esset φύσει πρὸς ἀνίσους νόσους, id est, ualetudinario et affecto, & ante Brunsuigæ diu & grauiter decubuisset, semper hic ualetudine tenui & afflicta fuit, donec tandem febre correptus non quidem continua, sed tamen quotidiana, quam aliquot diebus adhuc obambulans superare conatus est, sed tandem morbo superante decumbere cœpit, ac die decimo sexto postquam decubuit morbo victus atq; consumptus, post sanctam confessionem et inuocationem filij Dei obdormiuit in Christo Iesu redemtore nostro, quo nunc fruitur in illa æterna felicitate, ereptus omnibus miserijs & erumnis huius uitæ & impendentibus pœnis. Ei funus ducetur hodie Hora XII. e ædibus domini Iohannis Rhauuen quæ sita est in platea fratrum, seu ut nunc uocent Iurisconsultorum. Hortamur igitur & iubemus ut scholastici ad huius funeris exequias prosequendas ho-

das hodie hora duodecima ad locum indicatum frequentes conueniant, Et hoc humanitatis & pietatis officium præstent optimo comilitoni summa dum uiuebat modestia, morum grauitate, & uirtute prædito, Ac simul inter se preces coniungant pro Ecclesia, Republica & hac Schola, ut Deus bella, uastationes, dissidia, & contagia clementer prohibere, & iustissimas pœnas pro infinita et inexhausta bonitate, ac misericordia sua mitigare atq; auertere uelit, per Christum unigenitum filium suum, Redemtorem nostrum. Amen. Propositum V. Id. Iulij Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

DEcessit heri ex hac uita AVGVSTINVS ANDREAS Ienensis ex honestis parentibus natus, Qui ante menses iam fere duos primum Catarrho laborare cepit, post quem, sicut fieri solet secuta est uehemens tussis cum pectus peteret defluxio, tandem ea defluxio salsa & acuta pulmones arrodere cepit, Inde secuta est Phthisis & lenta tabes, qua tandem consumptus est, cum corpus ad extremum contabuisset. Decubuit hebdomadas circiter septem, fuit enim inde usq; à puero ualetudine admodum tenui et afflicta, & pectore ualde angusto, quæ

quæ corpora talibus morbis præcipuè obnoxia sunt, extinctus est leni & placida morte, in pia & sancta confessione atq; inuocatione nominis filij DEI, ac penè sine sensu mortis, ut nobis non debeat esse dubium, quin cum Christo redemtore nostro, quem inuocauit et in quem credidit, nunc uiuat & uicturus sit in æterna felicitate. Et fuit corpore ita morboso atq; adflicto, ut penè magis ei de tali ex hac uita transitu gratulandum sit quam mors hæc deploranda. Fiet aũt ei funus hodie hora XII. Hortamur igitur & iubemus, ut scholastici atq; Academiæ huius alumni ad id tempus frequentes conueniant ad domũ fabri Serarij, quæ proxima est ædibus CVNRADI RVELII Biblopolæ propè Collegium, unde efferetur, atq; funus ad sepulturam deducant. Et simul Deum comprecentur, ut præsentium temporum mala & pœnas pro sua benitate, & inexhausta clementia ac misericordia mitiget & nobis placatus sit, nosq; tueatur ac conseruet per Christum filium suum Redemptorem nostrum Amen. Propositum III. Iulij. Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, VITVS VVinshemius Senior, artis Medicæ & Philosophiæ Doctor, ac linguæ Græcæ Professor.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000043

Circa hoc fermè tempus anni Romani, quo hodie utimur, id est, sub finem Quintilis, Vrbs Hierosolyma incensa est ab exercitu Regis Babylonici, unà cum domo Domini & Regia, & mœnia destructa sunt, Quadem uastationem Politiarum Christianarum & Ecclesiarum filij DEI nunc molitur in Pannonia exercitus Turcicus, cuius tyrannidi & blasphemijs opponunt corpora & uitam suam uiri fortes, qui ibi pro religione et patria atq; salute communi nostra, & uere ut dicitur, Pro aris & focis nostris militant. Etsi autem periculum quod ab hac parte impendet horribile est, per se tamen status Germaniæ miserrimus est, & alia minimè parua pericula nos circumstant propius, Quarum rerum consideratio in animis piorum λύπην καὶ θεὸν efficit, quæ est salutaris, de qua conciones nostræ nobis etiam funera mortuorum nostrorum, cum in metu calamitatum multiplicium oculis offeratur plurima mortis imago. Indicimus autem in præsentia funus scholastici nostri LAVRENTII RHANG, qui natus in honesta familia COLBERGÆ, quod est ad mare Balthicum, & Salis fontibus, in regione Pomeranica, & ditione Camenensi celebre oppidum, ad studia pietatis & doctrinæ huc missus est ab honestis & honoratis parentibus suis, atq; septimum iam mensem nobiscum laudabiliter uersatus cum esset, ante tres hebdomadas tenuari ualetudo eius cœpit, & mox intestinorum morbo

morbo (quod est πάθος δυσεντερικὸν) correptus fuit, ex quo cum conualescere inciperet, singultus accesserunt, quos per dies nouem continuos pertulit grauiss: atq; ita cum mensem fermè decubuisset, in uera agnitione filij DEI heri decessit, & fidem in hunc suam religiosa confessione & ardente inuocatione testatus est, sicut docent nos & Diaconus & populares ipsius, qui decumbenti & morienti affuère. Qualis exitus in uitam alteram ad DEVM migratio est certissima, & talem pietas Christiana per totam hanc mortalem uitam nostram commentatur. Etsi autem miserabile est, in flore ætatis, iam enim ingressus erat climacterem septenariam tertiam, & pleno cursu ad laudem & decus, concedi ex adolescentem, & morte, ut humana sapientia iudicat, immaturam huius, optimorum parentum conceptam de filio spem præcisam esse: Hoc tamen cogitandum, Non essemus ad hanc uitam conditos, & scriptum est, Ipse fecit nos, non ipsi nos. Itaq; quid de opere suo statuat Deus eidem permittendum, atq; acquiescendum uoluntati ipsius, & iudicio & sapientiæ occultæ, ὅτι εὐθὼς σοφῶς τὰ ἡμέτερα. Sicut igitur gratias debemus DEO cum bona promit & elargitur: Ita cum hæc à nobis repetit, & quasi in penum suum recondit, grauiter ferre non debemus. Φημὶ δὲ χρῆναι διδόντι μὲν τὰ ἀγαθὰ τῷ θεῷ χάριν εἰδέναι, ταμιευομένῳ δὲ μὴ δυσχεραίνειν, ut scribit Græcus Theologus

logus. Efferetur autem mortuus noſter hodie hora XII. ex ædibus quæ ſunt in uicinia KELNERI conſulis. Hortamur igitur ſcholaſticos, ut funus ad ſepulturam honeſta frequentia deducant: cum & officium & inuitationem noſtram, & pietatem ipſam hoc poſtulare intelligant, neq; poſſumus facere quin hoc loco admoneamus ſimul ſcholaſticos, eximiæ humanitatis atq; moderationis Illuſtriſſ: Principum & Ducum Pomeraniæ ERNESTI LVDOVICI & BARNIMI fratrum, qui cum anno ante hunc tertio in Academia noſtra ſtudiorum cauſſa degerunt, & ornârunt eam, præclareq; de hac meriti ſunt multipliciter, & ad hæc etiam officia deductionum funebriũ non piguit eos ſe demittere, ut hac quoq; de cauſſa erga ſubditos ipſorum & uniuerſos qui ſunt ex gente Pomeranica officioſiores nos eſſe deceat. Propoſitum XI. Calend: Sextilis, Anno M. D. LXVI.

IN TVMVLVM ERVDITI ET HONESTI IVVENIS Laurentij Rhangen Epitaphia.

Ἐνθάδε Ραγγίου Πομεράνου ὀστέα κεῖται,
ὃς ἡβὴ Λαυρέντα ὄνομα καλὸν ἔχε.
ὃν γέννησε πατὴρ βελτιστὴς ἐν κολοβεργῇ,
μήδεσιν ὠφελέων πατρίδα πολλὸν ἑοῖς.
ὅσσ

ὅσσε θεὸς διδαχῇσι μαθέειν ἠδὲ θέσφατα μυσῶν
σπουδάζων κλυτὰ λεύκοισιν ἤλθε πόλιν.
καὶ διὰ σωφροσύνην, μελέτην ἠδὲ ἤθεα καλὰ,
ἐυπρεπέαστε τρόπους φίλος ἅπασιν ἔην.
νοῦν δὲ νόσῳ χαλεπῇ ἐθάμερ δεδμημένος αὐτὸς
κικλήσκουσι νόσον τὴν δὲ δυσεντερίαν.
Ἄυτας ἐὺν παραδοὺς ψυχὰν σοι χθισὲ ἱκνεῖ,
εὐχόμενος πίσει τόν δ' ἐτέλεσε βίον.
ζῇ δὲ χολὴ ἐνὶ οὐρανίῃ νηῒ, ἔνθ' ἀπολαύει
ὄφρα ἀϊδίης χαρμοσύνης τε θεοῦ.

M. Martinus Henricus Saganenſis.

ALIVD.

Hic ſitus eſt Iuuenis Pomerana miſſus ab urbe,
Perſanam refluus ſorbet ubi Oceanus.
Aſpera fata tuæ nimis obſtant inuida laudi,
Optima cum mœſto quæ rapiunt gemitu.
Vtraq; iam tua ſenſiſſet reſpublica dona,
Dona etiam Muſas culta per Ingenuas.
Vita tibi enormi ſemper ſine labe peracta eſt,
Eſſe DEI tantum uuit rea iudicio.
At tibi parta quies, nos ſæua pericula cingunt,
Speq; ita deſerti decidimus miſera.
Hei mihi uita fugax fragile & miſerabile donum,
Morbida cum primis uere rapit uiolis.

Iam uita functus superi nouus incola cœli,
Gaudia promissa carpis tbi in patria.
Plebs ubi cœlicolum & sanctissima lumina patrum,
Plena Dei exultant, numine, noticia.
Spiritus ante Deum uiuit, sed corpus inane
Hîc superinducto condidimus tumulo.
Hæc extrema pijs monumenta sacrauimus umbris,
Mœstitiæq; modis condita flebilibus.

L. G. P.

ALIVD.

VT cum uerè nouo se fertilis extulit herba,
Horrentes inter conspicienda rubos:
Seu latet exigua multis non cognita parte,
Seu fert utilibus non patienda rosis.
Donec uel medica dignè tractetur ab arte,
Vt iustum capiat digna ualore decus:
Sic non æqua loco misero te fata locârant,
Laurenti cordi semper amate meo.
Siue malis cinctus, multis non notus agebas,
Seu uitæ fuerant, plurima damna, tuæ.
Exemptum duris dum te Deus ipse periclis,
Angelico socium iussit adesse choro.
Te uirtute grauem, & dignum maioribus ausis,
Leucorea genitor non uetat urbe frui.
Sed pietate grauem, & dignum cœlestibus ausis,
Cœlesti genitor, non uetat arce frui.

O nimi-

O nimium felix, cui sacra uolumina uitam
Spondent, in Domino nempe beatus eris.
Nempe beatus eris, Domino qua fisus in horæ
Clausisti uitæ fata suprema tuæ.
Sis felix, longumq; uale, dulcissime Rhangi,
Hæc precor, hæc uoti summa caputq; mei est.

G. S. Leopolensis.

ALIVD.

QValis uere nouo Borea spirante perustus,
Enoritur iustum flosculus ante diem:
Talis obit Rhangus uiridi Laurentius æuo,
Vix numerans uitæ bis duo lustra suæ.
Egregius morum iuuenis probitate, fideq;,
Ingenij cumulans integritate decus.
Virtutes alias inter ceu gemma reluxit,
Vitæ simplicitas & pietatis honos.
Discendi cupidum, uoluisti Christe doceri,
Ereptum terris, in meliora schola.
Illius hoc igitur requiescunt ossa sepulchro,
Cœlestem in patriam mens pia fecit iter.

C. B. Colbe.

DISTICHON IN CVIVS HEXAMEtro annus, in pentametro Mensis & dies obitus expressus est.

Anno 1566. 21. Iulij.

Nato CoLbergæ LoCat hoC VIteberga ſepVLo
Quintilis ſeptem ter numerando dies. (ChrVM.

H. S. Colb:

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

EXTinctus eſt proxima nocte DANIEL GROVEN Hanouerenſis, natus honeſtiſſimo patre Senatore in antiqua illa ciuitate, qui & ipſe olim alumnus fuit huius Academiæ, & titulo ac gradu Magiſterij in Philoſophia atq; ingenuis artibus hic ornatus eſt. Adoleſcens ipſe Daniel ſingulari ingenij dexteritate præditus fuit, Et ſi uixiſſet, haud dubiè in uirum magnum & præſtantem, auxiliante Deo, fuiſſet euaſurus. Sed ita fit, ſicut dictum eſt à poëta optima mors aufert linquens deterrima nobis &c. Correptus eſt morbo peſtifero ante dies quindecim, Et ſtatim initio adparuerunt ſigna ueneni atq; contagij et hunc morbũ contraxit, quod minus cautus & diligens eſſet in uitandis locis infectis, conflictatus eſt tamen cũ hoc tam graui morbo in diem uſq; decimum quintum, tunc primum morbo ſuperatus ac conſumptus eſt, et Deus eum ex hac miſera atq; ærumnoſa uita euocauit, ut diſcat in meliore ſchola. Is hodie ſub horam IIII. efferetur ex ſua habitatione, quam habuit

buit in platea Iudæorum apud honeſtum ciuem Iohannem Richter, Id ſignificamus, ut ſi qui hoc funus ad ſepulturam deducere uelint, ſciant & tempus ac locum. Nos uerò monemus ſcholaſticos, ut uitent loca contagioſa, & ſobriè uiuant, quantumq; poſſint ſe domi contineant, & nobiſcum unà Deum precentur, ut pœnas mitiget, contagia prohibeat, & nobis pacem ac tranquillitatem concedat ad hæc noſtra ſtudia Eccleſiæ & & Reipublicæ neceſſaria & ſalutaria colenda, per Chriſtum filium Dei Redemtorem noſtrum, Amen. Propoſitum IX. Calend. Auguſti Anno 1566.

STVDIOSIS DOCTRINÆ SACRÆ.

ABſoluimus tandem, Deo adiuuante, tria in Moſe capita prima, omnium, quæ in ſcriptura diuina extant uberrima & ampliſſima, In quibus cum de rebus maximis narrationes dulciſſimæ recitatæ ſint, de Creatione mundi & hominum, de hominum Lapſu, de cauſis calamitatum generis humani, de reſtitutione Eccleſiæ poſt lapſum, de promulgatione prima promiſſionis, de Saluatore reddituro iuſticiam & uitam æternam, Non dubium maxime & neceſſariam & utilem eſſe Moſis lectionem: Et quanta harum rerũ magnitudo ſit utcunq; piæ mentes cogitare poſſunt, etiamſi Prophani ho-

mines has & narrationes & explicationes contemnunt, Nos uero credamus uoci diuinæ, & in singulis narrationibus amplitudinem rerum consideremus.

Sunt uerò & in sequentibus capitibus comprehensæ res nihilo minores. Describitur enim generatio primæ sobolis, Et ostenditur qualis fuerit prima Ecclesia, quæ certamina statim inter fratres exorta sint, Recitantur et conciones sancientes legẽ, et significantes uenturum esse aliquando iudicium, in quo discrimen ostendatur iustorum & iniustorum, Denique aliæ res maximæ et cognitione dignissimæ in capitibus singulis traduntur. Accessurus ergo ad horum enarrationem, hortor studiosos, ut hanc optimam doctrinam & studio, quo par est ex Mose cognoscant. Et Crus hora septima loco solito frequentes audiant. V. Calend. Augusti Anno 1566.

Paulus Crellius
Doctor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVod iam aliquoties fecimus, ut ediceremus de ijs, quæ ad quietem publicam pertinerent, póstquam rebus ita flagitantibus, communi saluti nostræ, paterna affectio & cura Illustrissimi principis nostri, ducis Saxoniæ Electoris &c. prospiciendum esse duxit præsidio militum, qui in hoc oppidum

oppidum collocarentur, Id iam mandato etiam eiusdem Illustrissimi principis nostri faciendum nobis est, Ediximus autem iam sæpius, & cum qua potuimus seueritate, ne quis cuiquam ex præsidiarijs uerbo aut facto molestus esset, aut quemquam horum ullo modo aduersus se aut ordinem nostrum irritaret, ijs etiam qui secus facere deprehenderentur, & sibi malum hoc modo accerserent, comminati sumus, quod inter nostros non simus eos habituri, & quod nihil quicquam eorum quæ scholasticis debentur, tales, in ullo malo aut periculo suo, expectare à nobis uelimus. Atq; nuper cum seditioso scripto conuocatis nostris tumultus existeret, repetiuimus hoc edictum aliquanto quam ante uerbosius & gratius, nobisq; negocium illud, quod animos nostrorum tum irritauerat, credi & permitti postulauimus, cum de fide nostra debita rebus communibus cur quisquam dubitet, Christo gratia, caussa nulla sit. Re igitur delata ad Illustriß: Principem nostrum, excelsitas ipsius in Illustrissima aula sua de caussa cognosci uult, deq; hac uoluntate & sententia heri ad nos literas misit. In quibus Illustrissima excelsitas eius etiam hoc à nobis fieri uult ac iubet, ut nostro loco curemus diligenter, atq; scholasticis nomine ipsius seuerè edicamus, ut interea placide & quiete se gerant, atq; interdicamus, ne militibus præsidiarijs aut alijs ullam caussam occasionemúe quantũ in ipsis est, rixæ aut turbarum nouarum præbeant. Qui se-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000048

eius fecerint eos in indignationem iustißimam & grauiß: animaduersionem, excelsitatis ipsius in cur suros esse. Atq; hoc idem eodem modo & militibus Illustriß: princeps noster mandasse se nobis significat. Hæc igitur uoluntas est, & hoc mandatum Illustrißimi & benignißimi principis nostri, cuius autoritas quantum apud nos ualere debeat, omnes intelligunt. Et ne quis de Illustriß. principis uoluntate dubitet, uerba excelsitatis ipsius ex literis ad nos missis transcripta hic subijcimus: Jr wollet auch mit vleis gut daran sein/ vnd den Studenten von vnser wegen mit Ernst gebieten vnd vntersagen / das sie sich stille vnd friedlich verhalten/ vnd den Knechten in der besatzung noch Andern zu weitern gezenck oder vnlust jres teils keine vrsach geben/ Bey verhütung vnser vngnad vnd Ernsten straff / Wie die Knecht auff gleichmessigen vnsern beuehle auch thun sollen/ vñ geschehet hieran vnsere gentzliche meinung.

Mandamus igitur uobis et, si æquum est, obtestamur uos, ut primum DEO, & Magistratui, præsertim tam clementi & paterno erga nos animo affecto, hunc honorem tribuatis, Deinde uestræ et nostræ pacis et tranquillitatis et salutis communis causa quiescatis et sub noctem domi se quisq; contineat, atq; inter nos potius preces nostras ad filiũ Dei coniungamus, ut pœnæ nobis mitigentur et impendentia mala auertantur, & Deus assit nobis in tantis periculis horum temporum propter crucem mortem & intercessionem filij sui Amen. PP. V. Cal: Augusti Anno 1566.

REC-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

CVm intuemur confusiones & pericula nostrorum temporum, non ociosis aut securis animis ea consideremus, sed uaticinia cœlestia conferamus, quibus significatum est, paulò ante resurrectionem mortuorum futuras esse ingentes ærumnas Ecclesiæ. In his enim exprimitur & ostenditur nobis imago miseriarum nostrarum. Et simul consolationes quæramus, quæ proponuntur, ut animi confirmentur, ne deficiant à DEO, fracti uel scelicia impiorum, uel exemplis & iudicijs hypocritarum.

Agmen Pontificium titulo ipso profitetur, se in Ecclesia dominari, quã latè propugnauit Idolis. Hoc q; tasi è nostris Ecclesijs hactenus surdis fabulæ tantùm deritatæ essent, non solùm fatali pertinacia errores & Idola retinet ac defendit, sed etiam purè docenti Euangelium uetat, et crudelitate Neroniana, penè acerbiore quàm initio, alibi homines honestos ac pios, uel pellit in exilia, uel interficit, non alia de causa, quàm propter piam doctrinam, alibi expedit & stringit arma in eos, qui liberè & palam audent præ se ferre, quòd Idola Pontificia abominẽtur. Sunt; in hoc agmine pleriq; aut Epicurei aut Hypocritæ fascinati opinione autoritatis Pontificũ, aut sapientiæ

pientiæ ſuæ admiratione, aut dulcedine potentiæ & uoluptatum quibus fruuntur in abundantia omnium rerum & laſciuiente luxu.

Mahometica Tyrannis ex profeſſo reijcit doctrinam Prophetarum et Apoſtolorum, & palam conatur delere nomen filij Dei. Hæc peruagata ac depopulata ampliſſimas prouincias & florentiſſimas Eccleſias orbis terrarum ut noſtram ſanguinem in noſtris etiam terris hauriat, quo tot bellis Pannonicis, quod regnum penè totũ abſorpſit, expleri ſaturariq; non potuit, nunc demũ ſeſe totis uiribus in nos commouet. De hoc regno etſi prædictum eſt utrumq;, et quod eruſtaturum ſit blaſphemias in Deum, ac ſanctos trucidaturum, & manſurum ſit uſq; ad finem mundi: tamen & hoc additum eſt, futurum ut fiat inclinatio, ne Eccleſiam DEI prorſus obruat. At non fiet inclinatio humanis uiribus, ſed diuinitus, et & quidem in montibus Iſraël, id eſt, ſeu in locis Eccleſiæ, in qua uerè ſonat Euangelium, ſeu à populis uerè inuocantibus Deum in fide filij eius IESV CHRISTI. Non enim uincentur Turcæ niſi per filium DEI dimicantem pro populo ſuo, id eſt, pro Eccleſia.

Rurſus ille ipſe cœtus, in quo ſonat pura uox Euangelij, quàm miſer eſt, quàm deformis, quàm diſperſus paſſim ſub Imperio Turcico, ſub alijs regibus et Pontificibus inimicis Euangelio. Quantũ in hac tanquam ſenectæ imbecillitate habet morborum, ijs etiam

etiam in locis, ubi gubernatores ſunt pij, & conceduntur hoſpitia tranquilla. Creſcunt enim in hac infirmitate naturæ uicia multiplicia, ſecuritas, ignauia, negligentia in exercitijs fidei, inuocationis et doctrinæ, amor uoluptatum, animi mollicies, impatientia, inconſtantia, perfidia, ſtultitia, ut in deliuantibus, perſuaſio propriæ ſapientiæ, fiducia potentiæ. Ex his fontibus oriuntur & in Imperijs & in Eccleſijs magni tumultus, quos eſſi alicubi pij gubernatores uero zelo reprimere conantur: tamen ij quàm ſunt infirmi, et quàm multipliciter impediuntur? Fit igitur et uera Eccleſia paulatim anguſtior, ſqualliđior ac deformior. Sicut uoce filij Dei prædictum eſt.

Has ærumnas Eccleſiæ præcipuè agnoſcant & conſiderent pij ſcholaſtici, et propter gloriam DEI, propriam ſalutem, & publicam neceſſitatem acrius incumbant in Euangelij ſtudium, et cũ Dauide præſagio miſerarum ultimæ ætatis ingenti animi motu in hæc uoces erumpente, Ne proijcias me in tempore ſenectutis, cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me, toto pectore Deũ aſſiduè et indefinenter inuocẽt, ut Eccleſiã defendat, conſeruet et augeat.

Colligant et conſolationes prædictionibus harum miſerarum annexas quarum prima eſt et præcipua, Quod Eccleſia non ſit penitus interitura, ſed inter uaſtiſſimas colliſorum inter ſe Imperiorum ruinas, interq; circumfuſa undiq; acq; urgentia pericula duratura, ſicut inquit Chriſtus: Ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi. Et Eſaias ait,

Hoc

Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, vsq; in sempiternum. *Altera consolatio est, quod ibi mansura sit Ecclesia, ubicunq; erunt amplectentes puram Euangelij doctrinam. Ergo non moueantur animi potentia, opibus, successibus, victorijs seu Pontificijs seu Mahometicis, ut ibi querant Ecclesiam. Non est enim Ecclesia politia alligata certis regnis, sed uoci Euangelij & ueræ inuocationi* D E I. *Vbicunq; ergo sunt qui* D E VM *uera agnitione Christi & fidei inuocant, & Idola fugiunt, ij sunt uera membra Ecclesiæ, cumq; his sententia, uoluntate & confessione se quisq; coniungat, Hæc consolatio necessaria est. Sunt enim paulò post secuturæ maiores distractiones & perturbationes, quarum initia ante oculos sunt, Vt pij dispersi, & ad paucos atq; in angustum redacti, sciant quo respicere, & quibus signis agnoscere agmen illud debeant, quod est templum* D E I. *Nam & certamina doctrinæ maxima futura esse testantur uaticinia Christi & Prophetarum, & tamen* D E V M *seruaturum esse aliquos, qui populum rectè doceant, sicut Daniel inquit: Docti docebunt multos. Tertia consolatio est, quòd Ecclesia in his tantis periculis sit habitura custodem, opitulatorem, ac defensorem filium* D E I. *Hic stat pro filijs populi sui, depellens Diabolos & organa*

corum, ne totum pium cœtum delere possint, eos uerò qui ad supplicia rapiuntur, confirmans Spiritu sancto, ne doctrinæ confessionem metu cruciatuum deserant aut abijciant. Postrema consolatio est, quod hæ ærumnæ non sunt futuræ diuturnæ. Promittitur enim gloriosa liberatio et lætitia æterna pijs. Impijs uero denunciantur æterni cruciatus, & quidem propter electos dies decurtabuntur. Has consolationes firmiter teneamus, ut ceu procellis ærumnarum ingrauescentium perculsos animos ac trepidantes erigamus, fulciamus, ac muniamus, ne desperatione, quam filius Dei præmonet uim atrocem fœturam esse fidei, concidant.

Non dubitemus autem, cum uelit D E V S *conseruare Ecclesiam, quin subinde excitaturus sit aliquos & gubernatores pios & doctores, ut hi conuellant Idola, & refutent furores dogmatum, Illi præstent defensionem pio cœtui, quanticunq; fuerint in maxima multitudine generis humani, seu ululatus furiarum impia dogmata uomentium, ac tuentium manifesta mendacia, seu fremitus aduersus Ecclesiam Tyrannorum, seu mutuæ inter se lanienæ utrorumq;. Tales gubernatores & doctores pij scholastici agnoscant esse singularia dona* D E I. *Hos ament, colant, uenerentur, Pro horum diuturna incolumitate ac felicitate ardentia uota faciant. Talem nobis contigisse Principem diuino beneficio Illustriſ-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000051

simum Ducem Saxoniæ Electorem AVGVSTVM, cum experiamur quotidianis religiosæ pietatis, munificentiæ, sollicitudinis, argumentis et documentis, nihil sit nobis eius salute & incolumitate inter omnes res humanas potius et maius. Cumq; sua Celsitudo, generosa quadam & heroica affectione nuper admodum prospectum etiam & consultum uoluerit pauperibus, quorum in hac Academia semper fuit magnus numerus, qui deinceps munificentia Illustrissima fruentur, eos præcipuè obligari se ad gratitudinis officia singulari fide præstanda meminisse decet. Significamus autem uobis scholastici Illustrissimum Principem, dominum nostrum clementissimum, Ducem Saxoniæ Electorem AVGVSTVM, & Nosocomio, quod in usum & ad curam pauperum institutum est, donasse annuos reditus Quinquaginta florenorum, & ad subleuandos sumptus Mensæ communis annuatim mille modios frumenti desiniisse, ea lege, ut in septimanas singulas, qui eo beneficio utentur, non plus soluant, quàm grossos quatuor. Hæc beneficia uerè regia sunt tantis digna Principibus, quos fouere Ecclesiam decet.

Gratitudo uestra uicissim consistet in his, ut quotidianis precibus ardenti motu pectorum DEO Rempublicam, has regiones, Ecclesias, Scholas, Principem ipsum, et Inclytam coniugem ac sobolem commendetis, quod concepta precum formula fieri uo-

lumus: Vt piè, sobriè, & modestè uiuatis in Academia, non tumultuando turbetis tranquillitatem aliorum, & augeatis nobis difficultates gubernationis, quæ alioquin satis magnæ sunt: Vt seria cura doctrinam Ecclesiæ & aliarum artium communi uitæ necessariarum discendo, præparetis & instruatis uos ad Ecclesiæ & Reipublicæ ministeria. Nam & DEVS hoc officium præcipuè flagitat à genere humano, scilicet, studium discendi & explicandi Euangelium, sicut Christus inquit: In hoc glorificatur Pater meus, ut fructum copiosum feratis & sitis mei discipuli, hoc est, discatis & propagetis Euangelium. Et negligentibus studia piæ doctrinæ præsentissimi, cum ait: Quia repulisti scientiã, repellam te. Doctis contra, cœlestia et æterna proponit præmia, Daniele dicente, Qui ad iusticiam multos erudiunt, fulgebunt vt stellæ in perpetua æternitate.

Eò maiore autem cura & diligentia urgere studia debetis, quò magis refrigescere ardorem discendi, & corruentibus artibus ac disciplinis inferre sese barbariem prophanam maiore cum impetu cernitis. Cum autem ad iam enumeratas miserias nunc etiam accedant contagia pestilentiæ, de his quoq; uos monemus & hortamur, ut cum huc usq; paucas domos negligentia magis et incuria quadam quàm sæuicia mali infecerint, nec ut alibi dilatent sese. Vt

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000052

ergo auerti illa à nobis atq; depelli diuinitus petatis, ne dissipatio scholæ, quæ iam cœpit, plerisq; fama magis contagionum quàm periculo territis, adferat noua publicis studijs detrimenta, & augeat ingrauescentem per se satis barbariem. Nonis sextilibus, Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NOn reguntur sola sapientia humana ullæ politiæ aut Oeconomiæ, quantumuis paruæ, nec solis custodiuntur ac defenduntur præsidijs humanis, sed perpetuò adest generi humano atq; inprimis Ecclesiæ suæ CVSTOS filius Dei, tanquam uigilans pastor, protegens sanctum agmen circumuallatum excubijs castorum angelorum & insidias ac pericula depellens. Sicut inquit psalmus. Nisi Dominus custodierit ciuitatem frustra uigilant, qui custodiunt eam. Huic ergo Domino, qui est uerus DEVS æternus pater Domini nostri IESV CHRISTI, & IESVS Christus filius λόγος & Spiritus sanctus, debere nos gratis animis confiteamur, quod ex tot & tantis periculis domesticis & externis toties erepti, nec semel uelut in naufragio ui atq; impetu tempestatum iam iam interitũ nobis intentantium seruati, perq; collisos inter se fluctus tuto in

in portum traducti, adhuc in his nidulis nostris mediocri fruentes tranquillitate, celebramus laudes diuinas, & colimus ac sonamus doctrinas necessarias uitæ. Huic etiam acceptum ferimus præter alia innumera beneficia hoc quod post æterna bona inter humana omnia summum est, Principem nimirum affectione planè paterna nos complectentem, & sollicita cura prospicientem, rebus communibus quietiq; ac saluti singulorum, cuius si beneficij magnitudinem æstimarent ac perpenderent Scholastici, & Deo gratias pro tali principe ardentius agerent, & maiore cura ac reuerentia alere atq; confirmare illius de studijs optimarum artium præclarum iudicium, & erga Academiam clementissimam uoluntatem niterentur, Quod cum plurimos facere persuasum nobis sit, cæteros qui uel ætatis imbecillitate res tantas nondum intelligunt, uel iuuenili ferocia lasciuientes, publicarum rerum cura leuiter afficiuntur, hortamur, ut hi paulatim ferociam exuere ac deponere, utq; prouidentiæ, bonitatis, & misericordiæ diuinæ beneficia, & organa diuina, pios ac salutares principes, per quos DEVS hæc beneficia generi humano distribuit, agnoscere ac magnifacere, proq; his Deo gratias agere consuescant. Cum autem nuper motum aliquid & dissidiorum inter Scholasticos & milites extiterit, Significamus ijs, qui nostræ iurisdictioni subiecti sunt, Illustriss: Principem Ducem Saxoniæ Electorem &c. sublata

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000053

Illa esse ac sopita uelle, atq; eundem quæ est propensione ac uoluntate erga pia studia & ordinem nostrum clementissimè cupere uniuersis & singulis, sed ita si quieti sitis, & officium suum quisq; diligenter ac sedulo faciat, obeundis lectionibus publicis, & discendis atq; exercendis ijs artibus, ad quarum ceu mercaturam huc missi estis. Rursus cum ipsius muneris sit præstare, ut pax publica conseruetur, nemo uestrum lædatur, nec cuiquam iusta ac necessaria defensio desit, nulli etiam uestrum uel autoritatem, uel auxilium Illustriss: Principis, si nostræ uires non sufficerint, ubi opus fuerit (saltem iusto ac legitimo id modo imploretur) defuturum esse. Erit itaq; officij uestri τὰ ἴδια πράσσειν, καὶ παρὰ γνώμᾶ πρὸς ἡσυχίαν φιλόπολιν τεθραμμένους Vt Pindarus canit & cauere occasiones rixarum, neminem temerè lacessere, de quo quidem & proprij periculi respectus, & hæc tanta mœsticia temporum unumquemq; monere debebat. Quod si quis quærere, aut captare rixas ac certamina deprehendetur, in eum iustissima seueritate animaduertemus. Significamus & hoc uobis, moueri iusta sollicitudine Illustriss: principem Electorem de nobis uniuersis & singulis, ut uelit uos & uicina oppida contagijs infecta, & in hoc oppido loca suspecta, quæ pauca sunt, fugere, ne semina seu μιάσματα λοιμώδη, quæ Dei singulari bonitate repressa cohibent sese, uestra negligentia exceptæ

ceptæ propagentur ac dilatentur. De qua re cum sæpè antehac mandata seuera proposuerimus, confidimus cũ nunc accesserit autoritas Illustriss: principis Electoris, ea deinceps plus autoritatis ac ponderis apud uos habitura esse. Adiungetis autem ad hanc diligentiam cauendi loca inquinata, & curam regendæ tuendæq; priuatim ualetudinis uestræ, & preces assiduas ad misericordem & ad propicium Deum, ut quæ iam remiserunt contagia, radicitus extirpare, & ne maior fiat dissipatio, prohibere uelit. PP. II. Augusti, Anno 1566.

IN DECIMI QVARTI ODYSSEÆ HOMERI prælectionem.

AD diem Iouis proximum, Deo iuuante, auspicabimur interpretationem libri Decimi quarti Odysseæ Homeri, Qui continet dulcissimum colloquium, inter Vlyssem ignotum, & Eumæum Seruum, porcorum pastorem, qui solus in familia hero absenti fidus ac beneuolus erat, apud cum mira arte se fingit & refingit Vlysses, dum Seruuli fidem atq; erga se Beneuolentiam explorat, lectu iucunda hæc sunt, in quibus multum ingenij & artis ostenditur. Nam talia apte & concinne fingere non mediocris est artificis. Idco ne pigeat auditores et hæc

ſcere, quibus non diu immorabimur, plana enim ſunt & explicatu facilia.

Oro *æternum* Deum, *patrem domini & redemptoris noſtri* Ieſu Chriſti, *ut nobis pacem ac tranquillitatem, cœliq; atq; aëris ſalubritatem depulſis contagijs clementer concedat, ut his ſtudijs uacare poßimus, quæ ipſi grata eſſe ſcimus, quæq; pacem ac tranquillitatem requirunt, Sicut Muſæ apud poëtam dicunt: Et gratam ſortem, tutæ modo ſimus, habemus, ut à nobis ea fiant, quæ grata ſint æterno* Deo, *In Chriſto & per Chriſtum Filium* Dei, *Dominum ac Redemptorem noſtrum, Amen.* III. Id. *Auguſti, Anno* M. D. LXVI.

Vitus VVinſemius
Senior D.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

QVoties *auditoribus noſtris dicendi peritiam, quam multi tanquã ſplendido titulo* Eloquentiæ *ornant, commendamus, non eo fit conſilio, quod in hac temporum infelicitate exiſtimemus nos induſtria noſtra heroicam illam & excellentem ac penè diuinam eloquendi ſcientiam aſſequuturos, quæ & ſingulare* Dei *munus eſt, ac paucis contingit, ſed ut ad eius conſiderationem in magnis ingenijs, admirationem*

mirationem & amorem, adoleſcentes perducamus & excitemus. Magnum ornamentum eſt, quod hominibus inter reliqua beneficia diuinitus conceſſum fuit, uis Periclea, Platonica, & Ciceroniana, *qua cum ubertate quadam & ſplendore res bonas non modo rectè & perſpicuè expoſuerunt & declararunt, ſed & dicendo cum admiratione auditorum materias eaſdem auxerunt & ornarunt. Hanc eloquentiam cum ne ſperare quidem, multo minus acquirere noſtris uiribus poßimus, ad alteram illam dicendi facultatem ſtudioſos exhortamur quam communem quandam rationem nominamus, quæ iuſto et optimo ordine, perſpicuè non ſordide res bonas & artes neceſſarias uitæ, et actiones uirtutum in hac ſocietate ciuili dicendo et ſcribendo exponit, ac mentibus aliorum non futili garrulitate inſtillat. Eſtq; ſingulare decus & ornamentum huius uitæ hæc ipſa mediocris ſcientia ac diligentia, qua orationes iuſta perſpicuitate contexuntur, & accurata cura ſententiæ uerbis aptis iunguntur. Non tantum enim accurata ſcribendi & dicendi ratio, ingenia ut intentionem debita meditatione in cogitando præſtent aſſuefacit, ſed in nobis confirmat diligentiam, ut ſapienter cogitata,* Deo *grata & alijs ſalutaria dicamus. Ac* Plato *diſſerit facultatem dicendi gubernari iuſticia ſeu uirtute & ſapientia cum inquit* τῇ ἕκτοσικῇ ἐπὶ τὸ δίκαιον χρεόν ἀεὶ. *Etſi autem multi exiſtimant hanc mediocrem dicendi facultatem*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000055

tem cuiuis facilè contingere, nec usq; adeo difficilem ac laborioſam eſſe tamen experientia & omnis ætatis exempla oſtendunt, quod ſine literis, uarietate doctrinæ, imitatione & aſſuefactione nemo unquam ſapienter rectè atq; ornatè de rebus bonis dixerit. Quare ij, quibus ſtudia literarum cordi ſunt, omnibus ingenij uiribus contendant, ut & doctrinam, & exempla dicendi ex optimis antiquitatis oratoribus percipiant, ut cum rerũ ſcientia, coniungant rectè ac laudabiliter dicendi rationem. Vt autem dicentibus certa ratio præſcribatur, qua oratorum ac ueterum ſcripta legere, & cum fructu examinare poſſint, & ut ſimul diſcant, quo ordine optime cogitata exornare, & eleganter enunciare debeant, conſtitui redire ad explicationem Elementorum Rhetorices, in quibus ea quæ plurimum momenti ad mediocrem dicendi peritiam adferunt, qua decet fide & diligentia monſtrabo. Orabar autem explicationem huius doctrinæ ad proximum Martis diem, uolente Deo, quem ueris gemitibus oremus, ut nos docentes & diſcentes ſpiritu ſancto ſuo regat, & peſtiferæ luis incommoda, quæ præ foribus ſunt, clementer à nobis auertat ac depellat, ut inſtitutas operas ad gloriam nominis diuini & aliorum ſalutem, pertexere poſſimus. P. III. Id. Sexti; Anno 1566.

Albertus Lemeier Hamburgenſis.

DECA-

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergenſi M. LAVRENTIVS DVRNHOFER Noribergenſis, Eccleſiæ VVitebergenſis & Euangelij tunc miniſter.

FOElix ante alios, & fortunatior unus,
Qui rudibus procul à populis, ſecretus in hortis,
Argutæ Sophiæ latet inter Dædala tempe
Muſarum, & Charitum depaſcens aurea dicta,
Dicta quibus poſſit uitam informare beatam,
Factaq; dirigere, & rectos aſſumere mores.
At uerò ſophiæ tum laus ſeſe exerit altè
Cum diſcunt homines, hominem, qui conditus eſſet
Ad ſimulacra DEI, fixas in mente tenere
Noticias, lumen uelut immutabile mentis,
Et ſontem, ſemenq;, atq; exemplaria prima,
Vnde artes omnes hominum, uirtusq; reſultat
Nosq; miniſterio Sophiæq;, artisq; iuuari
Cum uera cruimus doctrinæ ſenſa beatæ,
Quam propriam gens fida ſonat, nec gentibus ullis
Ex ſeſe notam, pater ipſe in mente gerebat
Sepoſitam, & Natus nitido demiſſus Olympo
Mortalem edocuit populum, dictisq; retexit.
Ergò legi paſſim iubet, & docto ore recludi
Scripta Deus, per quæ mentem, et ſua numina nobis
Edidit

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000056

Edidit, & signis, & sancta est uoce professus.
Quæ si fortè expers Linguarum, artisq; Magistræ
Audeat in medium proferre, ille audeat idem
Findere iter Pelagi sine uelo, & remigis usu.
Tanti igitur refert linguas cognoscere & artes,
Et doctas operas facere, & per mutua dicta
Elicere alterius dicta, atq; exquirere sensus.
Sed quamuis triste excidium, penitusq; ruinam
Fatalem intentat descendens hostis ab Istro
Ille auidus nostræ necis, implacabilis hostis,
Et Lucius Præsul diris confixerit omnes,
Crudelisq; lues hæc uasta datura uidetur
Limina Musarum, & tristi mersura ueneno,
Et fugas fit, nec causa fugæ manifesta reperta est,
(Dij porro prohibete malum) sed turba sinistris
Moribus ipsa suis dat causam, & dissipat agmen
Quantum uix possent Furiæ, uix effera pestis,
Ipse equidem multæ pestes, & Erynnies atræ:
Hos inter fluctus tamen, & discrimina rerum
Sacrum concilium, quod Christi oracula discit
Esse sinet terris reliquam satus ille parente
Æthereo similisq; Deo dux aliger ipse.
Esse autem reliquum sinet, atq; impunè quietũ,
Sicubi doctrinæ feruent studia optima sacræ.
His quoniam seruit noster labor, atq; opera omnis
Indefessa, tenax, atq; in commune laborans:
Docta exercitia, & consuetos gnauiter usus
Maiorum colimus ritu, cupimusq; probari

Profe-

Profectus iuuenum, quibus hæc iam publica luce
Censura indicta est: obeant tempusq; locumq;
Addicti Musis petimus, Doctisq; uicissim
Ingenia explerent dictis, studijsq; laborem.
Dulce in amicorum uultus, atq; ora tueri,
Et uiuo inter se curas sermone leuare,

P. P die 15. Augusti
Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

SÆpè obtestamur uos scholastici, ut grassante in uicinia epidemia pestilente, sui quisq; periculi causa fugiat loca suspecta foris, intraq; urbem, quæ tamen pacata sunt Dei beneficio, & consortia eorum atq; consuetudinem uitet, qui peregre huc aduenerint. Neue receptet quisquam temerè in contubernium suum quoquo modo suspectos. Talis si diligentia præstaretur & adhiberetur circumspectio necessaria hoc tempore, & homini sanè conueniens, non dubitaremus periculi nobis hoc anno ab infectionibus pestiferis fore nihil, quod res ostendit, sua enim ipsorum incuria, uel negligentia, contagia concontraxisse, & quidem fomite magis contactuq;, quam afflatu propagata, eos qui interierunt, certo nobis exploratum est. Scitis autem præceptum esse.

Non ten-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000057

Non tentabis Deum tuum. Non temerè in uitæ diſcrimen ſe conijciat, qui declinare id poteſt, & euitare. Id enim eſt tentare Deum. Hanc commonefactionem ideo repetimus, quod comperimus adoleſcentem pium, honeſtum & doctum GREGORIVM IVNCK Schosburgenſem Tranſyluanum, qui hac nocte peſte extinctus eſt, uirus concepiſſe ex ſudore cuiuſdam amici ſui, cui & iure amicitiæ lecti uſum proprij ea nocte communem fecerat, ignorans ueneno peſtifero infectũ illum eſſe, Ita dum gratificatur amico, ſibi ipſi periculum creat. Doceat uos exemplum cautiores eſſe, ne ſi nil modo in periculum incurratis. Educetur aũt ſumus hodie hora IIII. ex ædibus Noſocomij noſtri, ij proſequi poterunt qui uoluerint. P P. 18. Auguſti Anno 1566.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergenſi M. Laurentius Durnhofer Noribergenſis, Euangelij miniſter.

PRæcipua pars ſunt Eccleſiæ Chriſti Scholæ piæ, & harum opera & miniſterio Deus præcipuè utitur ad ueritatis cœleſtis ſuæ, & ciuilis ſocietatis in terris conſeruationem: Atq; politicæ conſuetudini quid ab his præſtetur, minus eſt obſcurum. Sed

Sed Eccleſia etiam literis et doctrina carere non poteſt, Linguæ enim quaſi faſciæ ſunt Cunarum Chriſti, ut quidam dixit noſtrorum hominum: Sicut enim his ſanctiſſimum corpus eius ad educationem neceſſariam inuolutum fuit: Ita illis doctrina ſalutaris de natura & uoluntate Dei compræhenſa eſt, & orbi terrarum expoſita, Hebraica imprimis & Græca, quibus linguis hiſtoriam ſacram, & Propheticos et Apoſtolicos libros conſcriptos eſſe ſcimus, ex quibus Hebræa plerãq; primum in Chaldaicam dialectum translata ſunt.

Cum enim in ſeptuaginta annorum apud gentem illam captiuitate linguam patriam uulgus Iudaicum dediſceret, ea nimirum deinceps lingua, ad hoc inde dimiſſum, utendum fuit, quam nouerat, etſi multis ſeculis poſt, Imperatore Tito, Onkelos quidam Chaldaicam interpretationem ſuam edidit. Aliquanto ante ea tempora Hebræa in Græcam linguam conuerſa ſunt, qua lingua deinceps Euangeliſtæ & Apoſtoli, in ijs ſcriptis, quæ ad nos peruenerunt, uſi ſunt. Atq; hinc in latinam linguam translata, ut propter amplitudinem Imperij Romani quam latiſſimè ſpargerentur.

Sicut autem Chaldæa & latina primæ interpretes ſunt Hebraici & Græci Archetypi, Ita nunc barbaræ & ſemibarbaræ linguæ hac in parte

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000058

parte ueritati inſeruiunt, atq; inprimis Germanicam noſtram uernaculam nobilitat hic uſus huius. Humanam autem ſapientiam uniuerſam in Græcorum & Latinorum hominum mentibus & lingua Deus præcipuè collocauit, quibus omnis doctrina & eruditio non tantum comprehenſa eſt, ſed alijs non ita comprehendi etiam poteſt. Omnibus autem artibus bonis, & philoſophia uniuerſa, mens & intelligentia excolitur ad diuinarum & humanarum rerum omnium ueram tractationem. Neq; enim datum ad huius uitæ res & commoda procuranda conceſſum eſt hoc munus homini, ſed ut alia, ita hoc etiam ſeruire poteſt & debet gloriæ Dei, & ſapientia humana, & doctrinæ eruditio cum ſe miniſtras præbent uerbo Dei, & ueritati huius ſe ſubijciunt, operam nauant Eccleſiæ ſingulari: neq; uero & ſancto uſu horum carere religio nunc quidem poteſt, atq; hinc ſapientes & Doctores euadunt ij, quibus nox prophetica promittit, quod ſint fulſuri ſicut Lux cœli & ſtellarum. Et in medio eſt, & notum omnibus, quantum profuerit rei Chriſtianæ piorum hominum tàm ueterum, quàm recentiorum ſapientia, doctrina, perſpicacia, prudentia, eruditio, eloquentia, ad ueritatem diuinam tuendam, illuſtrandam, amplificandam, ad explicanda obſcura & implicata, ad detergendum fucum Sophiſtatum, ad patefaciendas hæreſes oppugnantium ueritatem, & ad illas refutandas

futandas & hanc aſſerendam. Nam etſi rationis donum commune eſt omnium, niſi tamen ſtudijs noſtris excolatur & perpoliatur, præſtare hæc præcipua munera dextrè non poteſt.

Significamus autem uobis in præſentia, Deo benedicente ſtudijs docentium et diſcentiũ in ſchola noſtra, et ſucceſſus largiente doctrinæ eruditæ repertos eſſe duo de quadraginta ex ſcholaſticis noſtris, qui in linguarum & Philoſophiæ ſtudijs, ita profecerunt, ut teſtimonio publico rectè ornari & commendarì omnibus poſſint, quod inſtructi ſint ad hæc in parte inſeruiendum utiliter Eccleſiæ Chriſti, & Reipublicæ. Itaq; decreti his ſunt à Collegio Philoſophico ſummi honores in his ſtudijs, & ut conſuetudine Academiarum publicè Magiſtri optimarum artium & Philoſophiæ renuncientur: hæc renunciatio fiet more ſolenni ad diem XX. huius menſis.

Tali autem tempore Eccleſiæ et Reipublicæ, quo propter labores & pericula utriusq; publicus luctus indici poſſet, & dilabente proter contagiones peſtilentes, quæ in his terris graſſari paſſim incipiunt, cœtu noſtrorum, tàm multos repertos eſſe, quibus ornamenta publica conferantur, & inter terrores multiplices Deum propitium concedere nobis feſtiuitatis ſcholaſticæ talis celebrationem, ex intimo corde noſtro gratias ei agimus, & Eccleſiæ Chriſti gratulamur, atq; imploramus miſericordiam huius, ut pacem largiatur, & aërem ſalu-

tatem, ad educationem piam & literatam iuuentutis. Neq; enim pax tantum κουροτρόφος sed contagionum etiam pericula abesse oportet, quorum mentas quo modo passim scholas dissipet, ante oculos est. Hortamur igitur uniuersos, qui sunt in communitate scholastica nostra, ut hora VIII. indicati diei in schola collegij noui conueniant & quæ tum dicentur, & fient, placide & benignè cognoscant.
P. P. XV. Calend: Septemb. Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVando apud Iudæos à Mose instituta heptemerica librorũ Mosaicorum et legis Domini recitatio fiebat Regum temporibus, Leuitæ populum ad hanc conuocasse leguntur clangore tubarum, & Reges ipsi aliquid recitabant ex Deuteronomio. Nos uerò ad recitationẽ legum scholasticarũ nostrarũ conuocare nostros solemus scripta uoce edictorũ atq; commonefactionib. sumtis ex doctrina Ecclesiæ. Et quia ad diei hodierni horam XII. instituimus eã, quæ hoc semestri debetur à nobis rei scholasticæ, omnes nostros indicato tempore in noto et destinato ei recitationi loco conuenire uolmus. Etsi autem de doctrinæ studijs, & quibusdam ad hæc loca & tempora peculiariter pertinentibus rebus aliquid necessa-

rio præscribunt leges nostræ, præcipuè tamen Decalogus his explicatur, ex quo omnia, quæ de uirtute & faciendis & fugiendis dici & institui possunt, atq; ita honestas leges & constitutiones uniuersas deduci oportet & quicquid cum hoc pugnat, aut inde recedit, lex dici aut haberi non debet, sed uox est & subiectio eius spiritus, qui est hostis Dei, & sicut natura uniuersa, ita humana etiam ratione ad perniciem abutitur, inter cæteras igitur multas, etiam hac de caussa ad hanc recitationem conueniamus, Et bonæ mentes sua sponte omnes occasiones pie & utilis doctrinæ persequuntur. Atq; instituitur etiam propterea hæc recitatio, ut cum typis expresse leges nostræ in manibus sint, ad necessariam lectionem harum, adolescentia hoc modo adducatur, Quibus addemus more solenni nostrarum subiectionum aliquid, quorum cognitio prodesse multis poterit, obesse nemini. Etiam propter conscientiam hæc reuerentia, & morigeratio debetur magistratui. Cumq; magna sit horum temporum tristicia propter multa pericula, in quibus uersatur Germania, & bellum Turcicum, etiam contagiones pestilentes passim in his terris & uicinis regionibus grassantur, atq; nostram scholam dissipare incipiunt, Tanto magis hoc nos agere decet, ut tales simus, quales esse nos Deus & respublica postulat. Allatum est arcem munitissimã ZYGETH in Vngaria ad Dranam, quæ propugnaculum est eius

uicinia, & magno exercitu Turcarum obsessa hactenus, duodecima die AVGVSTI *oppugnatum esse à Turcis per horas uiginti quatuor continuas, & diuina gratia & præsidij Imperatorij uirtute Turcas repulsos, & interfecta esse in illa oppugnatione ad quatuor millia hominum, etiam* ACHOMATEM *Bassam purpuratum globo machinæ ictum perijsse, hæc initia sunt expeditionis huius quid secuturum sit Deus nouit, quem inuocemus, eiq; publicas & priuatas res nostras commendemus.* P. P. *Calend.* VII. *Bris Anno* 1566.

ORATIO HABITA,

RECTORE MAGNIFICO ET CLAriß: Viro Vito VVinsemio seniore artis medicæ Doctore atq; linguæ Græcæ professore &c. *cùm Anno* 1566. *Calendis Septembris repeterentur Academiæ Leges publicè Hora* XII.

VTinam ea esset nostri temporis disciplina, ut hæc toties repetitæ Legum commendationes superuacaneæ uideri possent, Si enim iuuentus consideraret, quantum beneficium diuinum Leges sunt, nihil opus esset hæc toties recantare, Nam qui morbi tam uaria & ita crebra remedia requirunt, hi plerumq; incurabiles esse solent, Et longe suauius inter nos uiueretur, si nostra sponte agnosceremus hæc

hæc tanta Dei beneficia, Sed quia in hac extrema et quasi decrepita mundi senecta omnes in genere humano uirtutes languent, fit ut etiã hi precipui nerui Societatis humanæ, reuerentia erga leges et obedientia conuellantur, Nobis uero senibus custodia legum, disciplinæ, ac gubernatio iuuentutis diuinitus commendata est, Qui si officio nostro non fungimur, una cum iuuenibus à Deo punimur, Sicut accidit Sacerdoti Eli & toti eius familiæ, Et ob hanc causam in omnibus rebuspublicis bene constitutis certus erdo fuit eorum, qui disciplinam iuuentutis regerent ac tuerentur. Apud Romanos *eum locum tenebant censores,* Athenis Decem *sophronistæ inspectores & gubernatores erant disciplinæ iuuenilis, Et quamprimum aliquis inter Ephebos inscriptus esset, omne deinde tempus Sophronistis tribuere solebat, id illis laudi dabatur, & hoc qui negligebant, tanquam dissolutiores infamia notari solebant.* Erant *& alij* Athenis, *quos* Thesmothetas *adpellabant,* Hi *noctu per urbem obeuntes prohibebant, ne quid per petulantiam fieret, ita ab omni parte disciplina iuuenilis ceu cancellis circumsepta erat in ea ciuitate, sic & nos, presertim in hoc cœtu scholastico, si nostro officio recte atq; ordine fungi uolumus, cogimur quibuscunq; possumus modis ruinæ, quam disciplina minatur occurrere, & ad hanc rem omnia auxilia aduocare. Ac quamuis adolescentia monitoribus aspera esse solet, solet mordere*

frenum et legibus tanquã cupiditatum ſuarum uinculis contumaciter repugnare, Tamen nos contra ire, ſi minus libenter ac neceſſario nos opponere oportet, Nulla enim remedia, quæ uulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ ſunt ſalutaria. Ob hanc cauſam ſapientiſſimus Princeps, qui primus hanc Scholam condidit, leges & ſtatuta Academiæ ſingulis ſemeſtribus ſemel publicè ex hoc Loco deſcripto recitari uoluit, ut adoleſcentes de officio ſuo commoneſacti maiore diligentia mores regere conſueſcerent. Vidit enim optimus princeps ita diu ſaluam atq; incolumem fore Academiam, ſi in ea legum reuerentia quam maxime uigeret. Tali uero animo erga leges non tantũ Reges et principes affectos eſſe decet, Sed omnes omnino ſana mente preditos, Quid enim alia hominum abſq; legibus differt à uita Brutorum animalium? Imo homines qui ſine legibus uiuunt, longe deformiorem & deteſtabiliorem uitam agunt, quam feræ beſtiæ. De Cyclopibus Euripides ait Νομάδες, ἄκοινα δ' οὐδὲν, οὐδαὶς, οὐδενός, *id eſt, Paſtores ſunt, inter quos nullus alterum ulla de re audit, Nemo alteri obedit uel obtemperat, uiuunt incertis ſedibus hinc inde per ſyluas & montes uagantes, nulla iuſticia, humanitas nulla illis nota eſt, ſanguine & carnibus humanis uentrem paſcunt, hoſpites exceptos & mactatos comedentes, ſicut de Cyclope Polyphemo Virgilius ait:*

Nec

Nec uiſu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Viſceribus miſerorum & ſanguine ueſcitur
Dij talem terris auertite peſtem. (atro,

Vix uerba inuenire potuerunt ueteres uiri ingenijs & doctrina præſtantes, quibus immanitatem talium, beſtiarum uerius quam hominum, experimerent, ut talia uero monſtra degenerant homines, cum ſine legibus uiuitur, Ergo quidquid ad ornandas & muniendas leges pertinet, id à nobis magnificri debet. Neq; ulla de re ad hanc uitam pertinente à uiris magnis & præſtantibus ſplendidius aut magnificentius dictum eſt, quam de legibus. Cicero inquit, cum legem dico, nihil aliud intelligi uolo quam id, ſine quo nec domus ulla nec ciuitas, nec Gens, nec hominum uniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus conſiſtere poteſt, Et Plato uenuſtiſſima ſimilitudine leges cum primis literarum elementis confert, in Protagora, ubi ſic ait. Sicut in Ludis literarijs Magiſtri pueris, ſcribendi adhuc imperitis, primo præformare ſolent literas, Deinde tabellam præbent, & ipſos cogunt præformatas literarum figuras ſcribendo ſequi, atq; imitando exprimere. Ita ciuitas populo præſcriptas leges proponit, quæ ſunt ueterum & præſtantium uirorum inuenta, iuxta earum præſcriptum cogit ciues gubernare, & gubernantibus obedire, quicq; contra illas delinquunt, eos punit, Atq; illa caſtigatio tam apud nos quam alios multos uocantur

ἐυθύνσις, id est, Correctio, quasi iudicio legibus constituto id quod distortum prauumq; erat corrigente. Quod si in omni populo et hominũ genere, atq; in uniuersa uita, & omnibus eius partibus, usus legum adeo necessarius est adeoq; late patet, quanto magis opus hoc erit in uita scholastica, quæ debet esse reliquis Ordinibus regula & exemplum uiuendi. Nam Deus hunc ordinem nostrum uoluit adiunctum esse Ecclesiæ suæ, Voluit esse quasi seminarium, unde producerentur Doctores in Ecclesijs & Gubernatores in Reb: pub. Iidem enim olim Doctores erant in cœtu piorum, hoc est, in Ecclesia, et gubernatores populi, patria reuerentia atq; autoritate sui seculi homines meliores, eoq; gubernationem facilius ferentes, regebant, & doctrinam de Deo, atq; cæterarum honestarũ ac uitæ necessariarum artium illis tradebant. Cum igitur scholæ merito sacrosanctæ haberi debeant, debet in illis etiam maior legum & disciplinæ reuerentia lucere, & mores esse sanctiores atq; innocentiores. Non enim propter morum dissolutionem & petulantiam, sed propter disciplinæ honestatem, morum grauitatem & modestiam honor Scholis habitus est, neq; priuilegia concessa sunt, ut sint disciplinæ laxamentum, sed ut potius sint innocentiæ ac tranquillitatis, quæ ad nostra studia necessaria sunt, munimentum, & uinculum ac frenum honestæ disciplinæ. Segregarunt sapientes & optimi Principes hunc ordinem nostrum à reliqua multitudine,

titudine, ut indicarent docentium ac discentium ordinem, reliquis ordinibus omnibus innocentia & morum grauitate debere prælucere. Ex hoc enim cœtu deliguntur, qui Ecclesiarum & Rerumpub: gubernatores sint, qui de dogmatibus, de consilijs publicis iudicent. Grauia sunt hæc munia & omnium in hac uita difficilima, nihil enim difficilius est, quam docere & regere, & hoc propterea fit, quia Satanas omni ordinationi diuinæ infensissimus est. Docentium uerò & gubernantium ordines à Deo præ omnibus cæteris huius uitæ ordinibus instituti sunt, quia in genere humano præ cæteris maxima necessarij sunt iudicati. Igitur etiam summo honore et reuerentia colendi sunt, et quidquid ad eos tuendos et ornandos pertinet, id magnificiendum est. Scholæ uero sunt horum ordinum fundamenta & sulcra, sine quibus neuter ordo consistere aut conseruari potest, Malè enim docebuntur Ecclesiæ de Deo, malè explicabuntur controuersiæ de dogmatibus, si cathedras & suggesta tenebunt tantum homines indocti Barbiq;, præsertim si arrogantia accedat, quæ plerumq; insciticæ comes esse solet, & infeliciter respublicæ administrabuntur, si homines Idiotæ, Barbari, & à doctrinæ studijs prorsus alieni, ad rerum gubernacula sedebunt. Deniq; ubi nulla sunt studia doctrinarum, ibi necesse est, ut sit talis dogmatum abominatio in Ecclesijs, & gubernationis uastitas in populo, qualis est nostro tempore apud Turcas et Mosconitas. Sed oro æternum Deum, ut lucem uerbi

...quid nos clementer conseruet, nec extingui sinat, ...tali in gubernatione plusquam barbarica uasti-
...tate atq; immanitate nos custodiat, per Christum fi-
lium suum Redemtorem nostrum Amen. Atq; ut
Deum ad preces nostras exaudiendas faciliorem ha-
beamus, opus nobis erit, ut uicissim ad ipsum per
poenitentiam conuertamur, utq; mores & uitam
emendare enitamur, ut seriæ uereq; conuersionis
signa in nobis appareant. Deinde in assidua inuoca-
tione ipsius summa cura diligamus, quem peccatis no-
stris irritauimus, & poenas quas his adhuc longe
grauiores & atrociores commeruimus, mitigemus.
Tunc clementissimo patri non grauabit flecti se patie-
tur, & nobis placatus erit, in Christo & per Chri-
stum filium suum μεσίτην καὶ λυτρωτὴν nostrum,
Amen. Nos uero, charissimi filij, causas habemus
etiam plures & graniores quam alij, quæ nos hor-
tari & mouere debent, ut simus modesti, sobrij, &
quieti. Eluxit ex hac schola primum in hac extre-
ma mundi senecta, clarius lumen uerbi diuini, mul-
tipliciter ornauit Deus hunc locum, & cumulauit
beneficijs infinitis iam per annos multos, excitauit
hic præstantissima ingenia, sua electa organa, ad
eruendam ex tenebris & repurgandam doctrinam
sacram, & ad explicanda dogmata, quorum nos
ἐπίγονοι sumus. Horum uestigijs insistere nos de-
cet, neq; ab illorum uirtute degenerare. Reliquæ-
runt illi nobis doctrinam ueram, puram, perspicuam
&

& rectè explicatam, reliquerunt Ecclesias bene
constitutas & scholam florentem, has tantas opes ab
eis partas nobisq; relictas nos pro nostra uirili tueri
& conseruare decet, ne nostris maioribus dedecori
simus. Tunc autem præclare tuebimur, si præcepto-
rum exempla imitari studebimus, si modestiam, so-
brietatem et tranquillitatẽ amabimus, & suo quisq;
loco officium suum, nos docendo, uosq; discendo cum
timore Dei strenuè & enixe faciemus. Id ut liben-
tius faciamus, nos etiam multiplex & infinita beni-
gnitas ac beneficentia Illustrissimi Principis nostri
erga nos inuitare debet, qui hanc scholam & nos
plane paterno affectu prosequitur, & beneficijs in-
numeris largissimè cumulat, fouet, iuuat, prouehit
discentium studia. Qui sumtibus destituuntur, illis
benignè suppeditat, emit, extruit, ornatq; domicilia,
ubi Musarum alumni commodè habitare, & doctri-
næ studijs uacare queant, instruit Nosocomium, ut
sit etiam receptus et sustentatio ægrotantibus, præ-
bet frumentum, ne sumptu mensæ grauentur inopes,
Et quis tam angusto temporis spacio tot tantaq; be-
neficia benignissimi Principis commemorare queat?
Longius tempus & exactior opera ad hoc requiri-
tur, Et hæc tanta beneficia sua sponte ac propen-
sissimo animo summaq; cũ uoluptate in nos confert,
sicut pijs parentibus iucundum est liberis suis bene-
facere: ita optimo principi uoluptati est quam
plurimis hanc scholam nosq; beneficijs cumulare.

Quanta

Quanta igitur turpitudo fuerit, imò quam tetrum flagicium talis Principis animum offendere, aut noſtra petulantia, merum diſſolutione, atq; ingratitudine efficere, ut ipſum ſuæ erga nos beneficentiæ pœniteat? Digni ſimus quouis malo, ſi id faciamus. Sed cum inter homines aliqui ita profligato & inſanabili ingenio ſint, ut nulla gratia, nullo beneficio flecti poßint, quod hominum genus omnium peßimum eſt: hos ſaltem metus pœnarum refrenare ac cohercere debebat, iuxta Satyrici dictum: Oderunt peccare boni uirtutis amore. Oderunt peccare mali formidine pœnæ. Videmus quam multiplices & uariæ calamitates nos circumſtent, Quot pœnæ, quam ingentia mala impendeant. Imminent ceruicibus noſtris ab hac parte Turcæ, ab illa Moſcouœi, quorum utriq; extremam uaſtitatem, ruinam, & interitum omnium honeſtarum rerum minantur. Neq; inter nos ipſos pax firma eſt, nec deſunt, qui ſemina bellorum ciuilium ſpargunt. Ad hæc mala accedit etiã peſtifera lues, quæ multis in locis & in tota circum circa uicinia cum ingenti hominum ſtrage horribiliter graſſatur, & ab omni parte nos quaſi circumfundit. Metuenda eſt etiam annonæ difficultas. Ita omne genus pœnarum & malorum nobis imminet. An non his tot circumſtantibus periculis ac calamitatibus malisq; publicis et priuatis petulanter inſultant, ſeſeq; ipſos tanquam furioſi in pœnas præcipitant, qui tali tempore ſe non reprimunt nec inſanos animo-

animorum motus refrenant? Quam uero iucundum ſpectaculum tales Alaſtores Diabolo ſuo συμβόλῳ parant, qui ſedet cupidus ſpectator pariter flagitiorum noſtrorum, & pœnarum, & ruinæ atq; interitus noſtri. Debebat nos etiam reuerentia ſacratißimi uerbi diuini reprimere atque ad timorem Dei, modeſtiam & ſobrietatem retrahere, ne noſtra diſſoluta uita, & moribus corruptißimis, imbecilliores ab aſſenſu huius doctrinæ deterreamus, apud aduerſarios uero noſtros & Empæctas illos ſuauem riſum moueamus, qui cum mores noſtros uidere, cum riſu dicere ſolent, Ecce hi ſunt fructus huius profeßionis, hæc eſt horum hominum ſanctimonia. Quos ſarcaſmos etſi agnoſcimus, & ab ipſorum Duce et præceptore Satana concitari ſcimus, tamen non leuiter offendunt Deum, qui Sacratiß: uerbum ipſius talibus probris deformant.

Sed non dubitamus inter uos multos eſſe, quibus talia diſplicent, Quos metus pœnarum diuinarum, ſua pericula, & propriæ ſalutis ratio, atq; adeo multo magis pietatis & uirtutis reſpectus in officio continet. Illis quia ſua ſponte, quæ laudi ſunt, faciunt, hæc non occinimus, Sed hortamur hos, ut tales eſſe pergant, & cæteris, ut idem faciant, ſint hortatores. A reliquis petimus, ut noſtræ fortaſſe ſenili, attamen paternæ ſollicitudini ueniam dent. Timeant Deum, ſint in officio. Veniet aliquando tempus, cum nobis in Chriſto dormientibus, pro his tam pijs & fidelibus monitis gratias agent, ſeſeq;

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000065

ſeq; ipſos & tales mores talemq; uitam odiſſe ineli-
pient. Interea iſtam paternam gubernationem æquo
animo ferant. Et ſi minus noſtris uocibus obtempe-
rare uolent, ſaltem diuinæ uoci, & ſecundum eam
legum uoci obediant, quæ optimo & pientiß: con-
ſilio partim à ſapientiſſimis Principibus, partim à
fideliſſimis præceptoribus ad noſtram ſalutem con-
ditæ ſunt. Igitur tanq; ſacroſanctæ habendæ ſunt, &
ſingulari cum reuerentia dum publicè recenſentur
audiendæ, memoriæ mandandæ, ac ſecundum earũ
præſcriptum ſtudia, mores, & uita formanda. Qui
hoc fecerint, hi feliciter ſtudijs ſuis & ſaluti con-
ſulent, & pro hac ob.d entia uberrimos fructus
percipient, præterquam quod Deus has in iuueni-
bus uirtutes modeſtiam, ſobrietatem, & obedien-
tiam pulcherrimis & ampliſſimis præmijs ac do-
tibus ſe remuneraturum eſſe promittit, ſicut ſacræ
literæ multis in locis teſtantur. Quamuis uirtus ipſa
ſibi ſatis præmij eſt, et perpetuo ordine naturæ ſuis
dotibus comitata atq; ornata ſemper adeſſe ſolet. Sed
hæc ſua ſponte conſiderabunt ingenia non diſtorta
rectaq; educata. Nã qui diſtorti ſunt et inſanabiles,
ueremur, ut quantumuis longis commemorationibus
flecti poßint, igitur eos iudicio diuino relinquere
cogimur. Nos uerò ad noſtras leges & ſtatuta con-
uertemur, quæ dum de ſcripto recitantur, ſtudioſè
atq; ea, qua decet, animi attentione audiamus.

Lege.

Lex

Lex vltima de concurſationibus.

Optimi auditores, hanc ultimam legem ſapien-
tiß: Princeps propter neceſſarias grauesq; cauſas ſanciuit, adiuncta tàm graui pœna, ut omnes motus, concurſationes & tumultus, in Academia ac ciuitate prohiberentur. Hæc enim ſpeciem habent ſeditionum, quibus nec maiora nec tetriora mala eſſe poſſunt in omni uita humana neq; quidquam in cœtu ſcholaſtico turpius nec deformius eſſe poteſt, q̃ ſi ita tanquã furioſi et mente capti à turbulentis qui-
bus dam hominibus, qui quaſi buccinæ ſunt ſeditio-
num, concitati concurrant, cœtum, manumq; faci-
ant. Neq; ulla re grauius offendere poſſumus clemen-
tiß: Principis erga nos benignißimum & plane pa-
ternum animum, præterquam quod etiam grauiter
contra Deum delinquunt, qui talia moliuntur, no-
tum enim eſt oraculum diuinum: Et cum ſeditio-
ſis non commiſcearis. Igitur hortamur uos, &, ſi æ-
quum eſt, oramus, ut poſthac ſitis cauiores nec buc-
cinis illis ſeditioſis & turbulentis aures præbeatis,
ſitis tranquilli. ſi qua uis, aut ſi quid iniuriæ nobis
inferetur, id ei, qui ſemper in hoc ſcholaſtico cœtu
præeſt, indicate. Nec dubitate, Quin peſtora noſtra
pro uobis uniuerſis & ſingulis uigilent, curaq; ue-
ſtri afficiamur. nec uos patiemur deſertos, uel ope et
auxilio deſtitutos. Neq; ſecundum Deum uis aliqua
nobis inferetur, uiuo ſaluo; Illuſtriß: Principe &
Parẽte noſtro, Electore Auguſto. Quẽut clementiß:

Deus

Deus cum tota familia quam diutißime ſaluum atq; incolumen tueatur & conſeruet, toto pectore precamur, per Chriſtum Redemptorem noſtrum, Amen.

Moueat uos etiam pœnæ ſeueritas & grauitas. Quid enim homini amplius ſaluum eſſe poteſt, ſi ob talem cauſam, cum tali probro & infamia ex cœtu honeſtorum hominum tanquam Catharma, & putridam ac reliquo corpori noxium mebrum, abſciſſus, excluſus, abiectuſq; ſit, ſatius erat hunc hominem nunquam natum eſſe, aut quam primum mortuum, quam ita turpiter, infamem & contemtum inpoſterum uiuere. Verè enim dixit Euripides, Nullum onus in uita grauius eſſe quam infamiam.

Audiuiſtis etiam cæterarum legum uocem, quibus quantum iuſſu & decreto diuino debeamus, ſupra dictum eſt.

Hæc uerò parte noſtræ leges omnino dignißimæ ſunt, quibus cum omni reuerentia noſtra, imo ſumma uoluntate, obedientiam præſtemus: Pacem enim & tranquillitatem ciuitatis & inter nos, ſtudijs ſumme neceſſariam, tuentur, & corpora noſtra aduerſus iniurias, petulantiam & qualeſcunq; uiolentas læſiones muniunt ac defendunt, ut ſecuri noſtris ſtudijs & meditationibus uacare poßimus. Quemadmodum Muſæ apud Poëtam ſe facile ſortem ſuam ferre aiunt, Si modo uita in tuto ſit, ſic enim inquiunt:

Si modo uita in tuto ſit, ſic enim inquiunt:
Et gratam ſortem, tutæ modo ſimus, habemus.

Acceſſerunt aliæ leges ab optimis & prudentißimis præceptoribus conditæ, quæ ſtudiorum gubernatrices ſunt, ordinem modumq; dicendi præſcribunt, oſtendũt iuuentuti uiam, ſunt χαράγωγοι, id eſt, duces, quas qui ſequuntur, hi recte et feliciter in ſtudijs uerſantur, & fructus uberes ac dignos laboribus ſuis percipiunt, Qui negligunt, ſine ordine hinc inde uagantes, operam & oleum ludunt, neminí hoc imputent, niſi ſibi ipſis, qui ſalutaribus monitis contemptis in tenebris errare, quàm fidas duces lucemq; ſequi maluerunt, & propriæ ſaluti repugnantes ipſi ſibi labẽ atq; exitiũ accerſiuerunt. Quapropter ſi qui adhuc ſanabiles ſunt, qui uitæ et ſaluti ſuæ ſtudijsq; bene et fœliciter conſultum cupiunt, hi leges has amabunt, atq; pro his gratias agent primum Deo æterno, primo conditori ac fonti omnium ſalutarium legum, deinde & principibus ac uiris Heroicis, qui diuino afflatu excitati, hæc quaſi oracula prodiderunt. Tibi igitur clementiß: Deus, pater Domini & Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti toto pectore gratias agimus, pro infinitis, inexhauſtis & ineffabilibus tuis erga nos beneficijs, Teq; oramus, ut hæc tua in nobis & erga nos beneficia in æternum tuearis atq; conſerues, nec lucem ſacratißimi uerbi tui inter nos extingui ſinas, Regas & gubernes nos Spiritu ſancto tuo, & efficias ut organa & uaſa gratiæ ac miſericordiæ tuæ ſimus. Tuearis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000067

ris etiam & conserues nos inter tot pericula, quæ nos circumstant, prohibeas contagia & morbos contagiosos, prohibeas tumultus bellorum & barbaricas nationes, ut à metu periculorum atq; inimicorum nostrorum liberati, in iustitia & ueritate seruiamus tibi, utq; à nobis fiant, quæ tibi grata sunt, clementissime Deus, per Christum filium tuum Redemptorem nostrum, Amen. DIXI.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, VITVS VVinsheimius Senior, Doctor artis Medicæ, ac linguæ Græcæ Professor.

HOdie ad horam duodecimam Dn. D. Caspar *Peucerus noster uir clariss: efferet Magdalenam filiolam, quam passim iam grassantes contagiones pestilentes corripuerunt & ipsam. Hæc est μεγάλα λύγρα ἀγγελία & significatio tristissima, qua cal unitate uiri præstantissimi quantopere perturbemur, æstimare possunt intelligentes homines, quibus notæ sunt res nostræ, nos in præsentia uerbis explicare non possumas. Etsi autem commendarunt ei hanc filiam naturæ imprimis probitas et matronale aliquid etiam in ea ætate se ostendens, cùm nondum superarit annum uitæ duodecimum, & quod non tantùm moribus & ingenio in multis referret suum paternum, sed imago etiam quædam esset*

esset oris ipsius. Hæc tamen omnia eiusmodi sunt, ut consolationem admittant, tàm ad parentes, quàm externos, præsertim cùm puella sit cum Christo, quem in innocentia ætatis suæ coluit & inuocauit uiuens et moriens. Superstitum nos periculum multò perturbat grauius, cùm Domini PEVCERI *nostri incolumitas Scholæ nostræ salutem complectatur, & Soceri merita erga hanc ipse in plærisq; æquet, in nonnullis etiam superet. Hanc uerò domum, ex qua tantæ res profectæ sunt, & adhuc proficiscuntur, & qua magna ex parte nituntur res communes nostræ, quamq; hoc genus contagionum nemo meminit infestasse antea: Hanc igitur hoc tempore primam ex Collegio nostro corripi, si metuam portendere aliquid rei scholasticæ, uenia danda fuerit senectæ meæ, cùm hæc ætas ad metum, quàm ad spem soleat esse procliuior. Et oramus igitur & hortamur uniuersos nostros, ut & propter Deum & eam dilectionem, qua nos coniungi atq; adfici inter nos uult & postulat filius Dei, & propter Rempub. fidelibus & ardentibus precibus uestris commendetis Deo,* σωτῆρι πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα δὲ πιστῶν, *salutem* D. Peucceri *& ornatissimæ familiæ huius, & uxoris puerperæ, quæ & difficultatem auget uitæ primo consulendi sibi & suis. Et propter uenas uirginis puerperium immani odio prosequitur Diabolus omnes grauidas & puerperas. Votis uerò & precibus nostris adesse huic*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000068

huic tali & tàm benemeritæ familiæ omnes poſſumus & debemus. In cæteris præſtet unuſquiſq;, quod firmitas animi & officij ratio ei permittit. Propoſitum Non. Septemb.

EPITAPHIVM MAGDALENÆ, FILIÆ D. CASPARIS Peuceri, artis Medicæ Doctoris.

Si quid conſpicuos meritis habuiſſe parentes,
Si ſtudium, ueræ ſi pietatis amor:
Inclyta ſi uirtus homini prodeſſet & ætas,
Communem ferret quo minus ille necem:
Viueret eximij neptis generoſa Philippi,
Sanctáq; Peuceri non foret orba domus.
Viueret egregiæ præſtans uirtutis alumna,
Magdalena patris ſpesq; decuſq; ſui.
Sed nulli mors parcit atrox, & numina Parcæ
Parca nimis, parcè penſa uoluta trahunt.
Nil tamen hæ meruêre, Lues crudelior illis
Crimen habet, tanti cauſa caputq; mali.
Hæc furit innumeras circum metuenda per urbes,
Proh dolor, hanc etiam turbat iniqua Scholam.
Et ne principium grauius, ne triſtius omen
Deſit, ab hac ingens eſt ſcelus auſa domo,
Vnde tot externas bona ſunt diſperſa per oras,
Et tot adhuc fontis quæ parit inſtar opes.

Ab

Ah ſanctam tueare domum, Sator optime rerum,
Vlterius dirum non ferat illa malum.
Excepto te, noſtra ſalus, ſpesq; omnis ab illa
Pendet, & interitu nos trahit illa ſuo.
Parce precor, ferat hanc triſtem gens impia ſtragẽ,
Nominis & cultus neſcia, Chriſte, tui.
Cultoresq; tuos defende tuamq; Sareptam,
Diraq; de noſtris pelle uenena locis.
At tu parte tui uiuas meliore ſuperſtes,
Angelicos inter uirgo beata choros.
Nos tibi ſerta damus, lacrymis quæ ſparſimus ante,
Dicimus ad cineres & bona uerba tuos.
Rurſus in amplexus ibis rediuiua paternos,
Cum tuba terribili, ſurgite, uoce canet.
Cumq; erit in Sanctis ſanctus Deus omnibus omne,
Suſpicor hanc ipſam non procul eſſe diem.

Sebaſtianus Artomedes Fr.

EPITAPHIVM MAGDALENÆ, FILIÆ CASPARIS Peuceri, Doctoris Medicinæ, & Profeſſoris in Academia VVitebergenſi.

Hoc eſt condita Magdalena ſaxo,
Peucero benè nota ſat parente,
Sed magno magis ex auo Philippo.
Annos quam probitate, moribusq;

I 3 Vincen-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000069

Vincentem, ingenij ſolertiaq́;
Peſtis dira, nimis citò peremit.
Hinc deſiderium ſui reliquit
Ingens. Mens pia ſed fide beata
In Chriſti recubans ſinu quieſcit.

P. H. M. F. C. F.

EPITAPHIVM EIVSDEM, SCRIPTVM A CASPARE Peucero Fil. Sorori cariſſimæ.

Hic ſata Peucero, neptis Madalena Philippi
Cara ſoror triſti peſte peremta iacet.
Nondum biſſenos ætas tua uiderat annos,
Et iam Matronæ es uiſa referre decus.
Omnia quo ſimilis, faciem, mentemq; pudicam,
Et placidos mores, & ſine labe fidem.
Sed te ſæua lues uirtutibus inuida tantis,
Et Patris, & Matris inuida deliijs,
E medio tulit ante diem, tecumq; Parentum
Gaudia, ſpemq; omnem, ſuſtulit ex animo.
Nec tibi mî licuit ſupremo in tempore adeſſe,
Et digitis oculos claudere cara tuos.
Namq; uidebantur ſenſa in contraria leges
Natura & Pietas pectore ferre meo.
Suadebant quoties? Animæ ne abſiſte propinquæ:
Mox ledi, atq; unà uelle perire, uetant.

O peſtis

O peſtis crudele malum, quæ dulcia iura
Naturæ, & uinclum ſoluis amicitiæ.
Tu leges inhibes Pietatis: Tu fugere ipſam
Iubes Naturam, ſeq́; timere facis.
Sed tibi cara ſoror, tibi ſæua in peſte iacenti
Non λόγῳ & in medijs abfuit ipſe malis.
Ille ut fraxinea luis æſtum depulit umbra,
Et flatu erexit languida corda ſuo.
Ille, ubi nec gemmæ iuuêre, aut ſuccus, & herba,
Vrbe Nazaræa Planta ferebat opem.
Te Vitis, cui Palmes eras, te Nectare dulci
Exhilarans, ſuccis imbuit Ambroſiæ.
Et ſons quem ſitijt Vates Ieſſæus anhelans,
Is tua Ephratæis ulcera lauit aquis.
Præreptamq; malis, mundo quæ plurima reſtant,
Viuentum in terra donat habere locum.
Dat cœli bona, dat Natum tibi cernere Patris,
Et læto aſpectu, colloquioq; frui.
Sic uitæ iactura, lucrum: ſic triſte uenenum,
Certa ſalus: & Mors, uita perennis erit.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IN tantis uitæ huius miſerijs atq; periculis, fieri aliter non poſſit, quàm ut mentes omnium extra Eccleſiam, ueluti duris uiarum procellis agitentur, & hinc inde, fluctuent: diſputantes in magna

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000070

caligine & de prudentia, & de causa mortis, et miseriarum, quibus hæc tàm præstans natura præ cæteris animantibus, subiecta est. Vnde uetustum illud, & sapientum Ethnicorũ literis celebratum extitit: κράτιστον εἶναι, μὴ φύναι βροτῷ. Sed nos in Ecclesia discamus immenso beneficio Dei monstratum esse Ecclesiæ fontem humanarum miseriarum, & tristissimi oneris, quod uniuersa hominum natura sustinet. Et ideo uenisse filium Dei, Samaritanum, in carnem humanam, ut in se deriuet sordes nostras, sanet, obliget uulnera nostra, tollat peccatum & mortem, ac restituat uitam, & iusticiam sempiternam. Hanc firmam, & efficacem consolationem in animis adsiduè circumferamus, eamq; opponamus fluctibus dubitationum Ethnicarum & querelis ex impatientia, et fremitu aduersus Deum ortis, quibus frustra excruciari animos multorum, & abduci à uerbo, & mandatis laboribus, cernimus. Quod, si sæpè multumq; cogitaremus, & causas miseriarum humanarum, & diuinitus monstrata remedia, non solum assensus seu fides in cordibus nostris confirmaretur, sed & certa spe liberationis erecti, facilius ferremus communes ærumnas huius misserimæ ac fugacissimæ uitæ, quæ, ut ille ait in Tragædia ὁυ βίος εσίν, ἀλλὰ συμφορὰ. Amisimus autem heri tristi exemplo, ciuem huius oppidi, & amicum nostrum, GEORGIVM MASSECK, senatus scribam publicam, qui cum ὰμέμπτως uixerit

uixerit subitò est fortissima Apoplexia correptus & extinctus est, ex uehementis iræ commotione, susis, agitatis, atq; magna ui in cerebri uentriculos adactis humoribus: Cuius rei exempla aliquot meminimus. Cum autem & pietas ipsius, atq; uirtus publicè nota sit incolis huius oppidi, & amans fuerit Academiæ, atq; plenus officij & humanitatis erga ordinem nostrum uniuersum, Decet nos significationem etiam nostri doloris atq; luctus ostendere postremo illo deductionis funeris officio, quod tota antiquitas singulari religione & fide præstandum esse defunctis censuit. Hortamur igitur scholasticos, ut hora IIII ante ædes ipsius in platea consulum, frequentes conueniant, & funus piè, ac modestè ad Cœmiterium deducãt, seq; adfici communibus rebus ac periculis horum temporum declarent. Simul etiã Ecclesiam & scholam huius oppidi, salutemq; suam et omnium nostrum ἐπὶ ξυζῶ ἡδὴ ἐόντων ἀκμῆς. Filio Dei commendent. Ac commonefacti hoc exemplo, mores atq; animi motus frenare discamus, illud cogitantes.

Certa tibi mors est, incerta est funeris hora,
Extremam idcirco quamlibet esse puta.

P P. VII. Septemb. Anno M. D. LXVI.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000071

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HAC nocte extinctus est morbo contagionis pestilentis & mortiferæ PHILIPPVS VVALTERVS, uiri optimi atq; doctissimi olim Professoris diligentissimi in hac nostra Academia Magistri ANTONII VVALTERI filius, qui & ipse noster alumnus fuit. Sed ita fit, sicut dictum est à Poëta: Optima mors aufert, linquens deterrima nobis. Is hodie hora IIII. efferetur ex suis ædibus, quas habuit proprias, è regione Reuerendi & Clariss: Viri GEORGII MAIORIS, Theologiæ doctoris ac Professoris, id significandum duximus, ut si qui propter memoriam, & merita parentis, filij Philippi funus ad sepulturam deducere uelint, sciant & tempus & locum. Nos uero monemus scholasticos, ut uitent loca infecta, & sobriè uiuant, quantumq; possunt se domi contineant, & nobiscum una Deum comprecentur, ut pœnas mitiget, contagia prohibeat, & nobis pacem ac tranquillitatem concedat ad hæc nostra studia Ecclesiæ & Reipublicæ necessaria et salutaria colenda, per Christum filium redemtorem & opitulatorem nostrum uerum & unicum. Amen.

P P. V. Idus Septemb.
Anno 1566.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS VITUS

VVinshemius senior, artis Medicæ Doctor, & Græcæ Linguæ Professor Publicus, S. D.

RES nostræ eò redactæ sunt, ut non amplius pericula disseminantis sese passim pestiferæ luis foris in uicinis, sed domi intra muros ac parietes in membris ac uisceribus nostris aspiciamus ac sentiamus. Hæc pericula cùm indies crescant: etsi unumquenq; suis ipsum se uiribus metientem docere poterant, quid factu foret optimum & conuenientissimum: tamen de uoluntate consilioq; uos nostro quoq; publicè monendos esse duximus. Non est eadem conditio omnium in Academia, Professorum ac Scholasticorum. Quidam ex Professoribus ab infectis locis adhuc longius absunt, & DEI beneficio, animo sunt satis firmo præsentiq;. Quosdam contagia circundatos undiq; et conclusos infestissimè urgent: & ex his aliqui familias habent numerosas, sobolem teneram & copiosam.

Cùm ergò locum in uicinia reperiamus nullum, qui immunis à contagijs mediocri cœtui per hyemem, quæ iam præ foribus est, receptus ac hospicia tuta aut commoda saltem præbere possit: Nec sumptus aut nostri aut uestri ferant longas migrationes: & spes sit hyemem sæuiciam grassantis malè

mali abrupturam atq; inhibituram esse, uisum fuit nobis, hanc Academiæ patriam nondum prorsus deserendam esse.

Etsi itaq; aliqui, quibus pericula incumbunt, familias suas translaturi sunt: manere tamen reliquis & operas usitatas persequi constitutum est. Ex his etiam, qui familias abducent, nonnulli intra paucos dies, ea ceri ubi æquinoctium præterierit, & quam spem initia hyemis ostenderint, ubi animaduersum fuerit, huc reuertentur. Neq; enim spem protinus de Academia omnem cum armis ipsis abijciemus, sed auxilij ac protectionis diuinæ fiducia faciemus officia uocationis nostræ. In IPSO enim uiuimus, sumus & mouemur. IPSE est uita nostra & longitudo dierum nostrorum. IPSIVS sumus, siue uiuamus siue moriamur. Nec dubitamus, quenq; nostrùm fideliter seruientem gloriæ Dei & Ecclesiæ in uocatione sua Deo curæ fore. Sed & uos Scholastici dissimiles estis. Si qui itaq; abiectioribus animis pericula præsentia exhorrescunt, eos nolimus horum euentum suo cum discrimine, & parentum mœsticia ac solicitudine hic expectare.

Si qui rursus animis confirmatioribus uelint audire docentes Præceptores, donec extrema necessitas cogat utrosq; coniunctim uel seorsim loca quærere tutiora, his prælectiones publicæ non deerunt. Sed hos monemus, ne ipsi in periculà incuriâ

incuriâ sua uel officijs non necessarijs sese conficiant. Nam si qui inficientur, ijs de omnibus rebus necessarijs, quæ ad medicationem, et curationem pertinent, accuratè in nostro Nosocomio prospectum est. Et sentientes initia infectionis, citò id significent. Nam comperimus remedia maturè adhibita efficacia esse, & multos seruare. Nec decrit cuiquam fides, consilium & opera nostra.

Confidimus autem DEVM, *& propter gloriam nominis sui, & propter piorum multis in locis suspiria ac gemitus, citò & clementer contagionum sæuiciam repressurum ac mitigaturum esse: sicut hactenus mitiora fuerunt hîc, quàm alibi, ne interrupta paulò longiore tempore necessariæ doctrinæ studia ruinam faciant immedicabilem cum clade maxima Ecclesiæ & Reipublicæ.*

TE ergò Fili Dei, qui es nobis factus à Patre Sapientia, Iustitia, Redemptio, Sanctificatio, TE, *inquam, oramus, respice nos, & in ira tua Misericordiæ recordare. Serua aliquem cœtũ docentium et discentiũ: prohibe ne fiat dissipatio Ecclesiæ perniciosa, quã comitetur uastitas Ecclesiarũ et doctrinæ tuæ obscuratio. Protege sonantes uocem doctrinæ tuæ et aliarum artium uitæ communi necessariarum, ut* TV *celebreris in hac uita, & in tota æternitate.*

Propositum pridie Idus Septembris, Anno 1566.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

INter officia ministerij sacri à Græcis recensentur ἐπισκέψεις τῶν ἀσθενούντων, παρακλήσεις τῶν λυπουμένων βοηθείαι τῶν καταπονουμένων. Etsi enim mandatum diuinum, & dilectio Christiana postulant hæc communiter ab omnibus hominibus: Inprimis tamen eos, qui in Ecclesia curant adesse ijs oportet, qui animo & corpore ægri, consolationem quærunt Euangelij, Quam operam commendabili fide, & animo intrepido præstat huic Ecclesiæ, & ut spes est, præstabit etiam deinceps, Reuerendus uir, & optimarum artium Magister, GEORGIVS SCHONBORN, qui in præsenti periculo contagionum mortiferarum, quæ in nostro etiam oppido uagantur, hactenus omnibus præsto fuit, qui operam & opem ministerij sacri expetiuerunt, quomodo factum est, ut uenenum in suam domum inferret, et correpta pestilentiæ lue die ab hac quinta honestißima uxor eius ANASTASIA, & nudius tertius ipse etiam atq; ita ambo coniuges simul decumberent, ex quibus uxor heri mortua est, de marito quid futurum sit, in manu DEI est, hic in mortifero morbo suo, hodie hora XII. funus uxori faciet, quam scitis fuisse filiam, meritis erga Ecclesiam Christi, et rei Theologicæ intelligentia et usu Clariß: Viri IVSTI MENII. Hæc ideò significamus, ut excitetur in pijs mentibus ex conspectu

spectu calamitatum talium precum studium, quibus se & salutem Reipublicæ & eorum qui ei utiliter inseruiunt, Deo commendent, atq; ut hoc etiam modo gratia aliqua à nobis rependatur M. Georgio Schonborn, qui suam & suorum uitam impendit communi saluti, pro quo tamen tanto merito minimè dignam gratiam expertus est hoc tempore suo. Et animaduertere licet inhumanitatem in nostris hominibus hac in parte immanem, & portentosam, quæ metuimus ne iustißimam & grauißimam iram Dei prouocet aduersus hanc ciuitatem uniuersam. Oramus igitur æternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ne respiciat ad peccata nostra, sed intuens in faciem filij sui, mitiget æramnas Ecclesiæ suæ. Cauere sibi & suis par, est uniuersos, & suam unicuiq; salutem Deus & natura commendat, atq; salutaris res est circumspectio, sicut dicitur in Græca Tragedia: Sed prodere officium & pietatem, ad homines turpe est & ad Deum piaculare, & scriptum est. Qui habet aliquid me carius, non est me dignus. Quare & propter debitum dilectionis Christianæ, & merita M. Georgij erga hanc Ecclesiam, etiam propter iusti Menij & Philippi Melanchonis sanctiß: memoriam, quorum familiæ affinitatem inter se contraxerunt, commendemus precib. uestris salutem decumbentis M. Georgij, & oremus ut Dominus eum confirmet animo & corpore. P P. XVIII. Calend. VIII bris. Anno 1566.

RECTOR

Heri circa meridiem ex hac uita decessit honestus & pius iuuenis, PAVLVS GOPPERVS natus honestis parentibus in pago Gösnitz propè Alteburgum: Qui patrem puer amisit, Matrem uerò in Misniæ inclyta urbe Cygnea adhuc superstitẽ habet, quæ matrimonio iuncta est Clarissimo uiro VVOLGANGO HINDERMOLTZ publico scribæ ciuitatis Cygneæ. Ab hoc liberaliter educatus in studio bonarum artium hic Paulus, & in hac Academia uersatus sesqui annum, Vsus est disciplina & contubernio eruditissimi uiri Domini M. Christophori Pezelij, cuius ductu et informatione laudabiles progressus iam fecerat, in primarum artium cognitione: cumq; esset natura sedata, & freni patiens, mores etiam rexit ad præscriptũ uerbi diuini, cuius erat studiosissimus, Mirifice delectatus lectione scriptorũ Propheticorum et Apostolorum, & ardenti inuocatione quotidie se, sua studia, ac uniuersam uitam, parentes suos, Ecclesiam, ac politias Deo commendans, sicut & libellus catecheticus continens formam examinis Ordinandorum sub ipsius iam defuncti ceruicali inuentus est, Quem totum memoriter exactè tenebat. Constituerat enim de parentum consilio se totum Theologiæ studio dedere, ut seruire Ecclesiæ in propagatione uerbi diuinitus patefacti aliquando posset. Sed uisum est Deo ipsum adhuc iuuenem. (Attigerat enim annum ætatis XXII.) ex hac ærumnosa uita euo-

uocare, ne uideret mala impendentia, quorum initia aliqua cernuntur et sentiuntur. Neq; tamẽ pestilentiæ luc, cuius contagia hic serpunt, extinctus est Quod certũ est: Sed ut Medici ex signis indubitatis compererunt ex catarrho uehementi, aucto alui obstructione diuturniore: Ad quem accessit heri subita Apoplexia. Etsi autem ipsi Paulo gratulari debemus tàm facilem ex hac calamitatum plenissima ta emigrationem, in ætate tali, quæ & Deum uerbo suo agnoscere, & fide acceptis beneficijs Dei erigere, & sine conscientiæ uulneribus Deum inuocare potuit: Tamen meritò dolemus talia ingenia immatura morte Ecclesiæ præripi, quæ iam diu dum magna penuria laborat sincerè fideliter & feliciter docentium.

Hortamur igitur scholasticos, ut cum nullus ab hoc funere contagium metuendum sit, ad eius deductionem, quæ horæ XII. fiet, frequentes in Collegio conueniant, & sua præsentia testentur, se Ecclesiæ uicem dolere, quæ uerè in luctu est, quando ceu pia mater magno cum labore & spe ingentes fructus educatis filijs ante iustum tempus priuatur. Et cum talibus exemplis subitò extinctorum admonentur de incertitudine huius fugacis uitæ, & fragilitate humana, maiore studio se instruant agnitione Dei ex uerbo ipsius, & in timore Dei uiuentes, singuli suam uitam & incolumitatem Deo commendent. P P. 16. Septemb. Anno 1566.

K RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

INter varias huius seculi difficultates, & urgentia mala, quotidie exempla humanæ infirmitatis ac fragilitatis conspicimus, quæ in nobis piam solicitudinem excitare, et ad debitam modestiam nos in uitæ cursu debent, quod & diuinæ uocis præmonitione inculcatur, vigilate & orate, ne opprimamini tentatione, Quam triste fuit uidere & audire hoc triennio, multis & diuersis in locis multos præstantes homines pestilenti lue & bellis absumptos, & aliquot in ipso flore ætatis excellentes ingenio & eruditione extinctos esse. Ac magis dolorem nostrum, in hac publica mœsticia auget, quod pestifera lues intra muros nostros, ædes aliquot infecit, & diffusione ueneni dissipare cœpit scholasticam cœtam, in quo ingenia præclara ad usum Reipub: & Ecclesiæ salutarem informantur atq; instituuntur. Si quis enim non iudicat generi humano ex tot Academiarum dissipatione, maiorem ipsa peste cladem existere non satis intelligit, quantum damni ac mali posteritati impendeat, cui barbaries, quæ præ foribus est, denunciatur ex eo, quòd his proximis annis studia literarum in præcipuis Germaniæ scholis conticuerunt, ac multi dotibus ingenij exculti in uniuersum bonarum artium culturam deseruerint. In huius miseriæ quæ humanum genus urget cogitatione, dum in

luctu uersamur, cogitantes & quid nostris familijs eueníre possit, noua luctus caussa affertur. Nam ante dies paucos, pestis, quæ, ut uetusta translatio psalmi 91. loquitur, in tenebris ambulat, domum Reuerendi Viri, & Ecclesiæ huius Diaconi infecit, & ante biduum fœminam omni matronali laude decoratam, coniugem eius extinxit, Nunc matutino tempore hoduerni diei, circa horam quartam, pestifera lue & ipse M. Georgius Schönborn mortuus est.

Cum autem multis de caussis uir Reuerendus & artium bonarum Magister Georgius nobis charus sit, & uitæ ipsius integritas in uocatione ipsi cõmissa industria, atq; fides et assiduitas, huius Academiæ alumnis perspecta & probata sit, non potest fieri, quin hic casus nobis quoq; mœsticiam afferat. Orbata est enim hæc Ecclesia fidelissimo Diacono, Toto hoc tempore quo ues apud nos grassatur, in ægrotis inuisendis ac consolatione erigendis cum admiratione & prædicatione multorum assiduus fuit, nec tantum diurno sed nocturno quoq; tempore lue correptis adfuit, nemini expetenti opera sua deesse uoluit, usq; adeo, ut fidem suam aliorum salutí postponeret. Erexit non tantum salutaribus consolationibus eos, qui iam morti essent uicini, sed & medicamenta, quibus morbi depelluntur, multis præbuit, quos & hoc modo liberatos esse memi-

fuit, cum animæ tum corporis. Nec male cum ipso actum esse existimemus, quem Deus, *è summis miseriis, ac curis liberauit, & uenturis malis præripuit, sed nostram uicem deploremus, quòd amiserimus & inuocationis publicæ socium & uigilem nostrum, qui pro communi salute insomnes noctes egit, & uitam suam saluti* Ecclesiæ *impendit, quæ si erga ministros sacri ministerij & dispensatores eorum quæ salutem animarum concernunt usq; adeò ingrata erit, experietur pœnas longè maiores, quas ut à nobis auertamus, assiduis precibus ac pœnitentia opus est. Cũ autem pietatis ac humanitatis sit declarare luctum erga piè mortuos, significamus auditoribus nostris quod hora* IIII. *funus efferemus, ad cuius deductionẽ conuenite, et simul* Deum *orate, ut à nobis contagionem mortiferam depellat aut grassationes huius mitiget.* P P. 16. Septemb. Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS VITVS VVinshemius Senior, Artis Medicæ, et totius Philosophiæ Doctor, & Linguæ Græcæ Professor.

EAS *consolationes uniuersas, quibus hoc tempore opus est maximè pestifera lue oppressis, complectitur & explicat Psalmus* XCI. *dulcissimis*

mis & significantissimis uerbis ac figuris. Non *enim de occultis insidijs tantùm uenenata fraude structis quocunq; modo, deq; sæuitia ac* Tyrannide *manifesta hostium* Ecclesiæ ἀλλαγορικῶς: *sed & de periculis ac sæuitia pestilentiæ iusto* DEI *iudicio iugulantis ac ferientis magnam hominum multitudinẽ propter peccata, uerba Psalmi accipiamus, sicut sonant. Idcirco consolationes inclusas illis ad hæc etiam pericula externa corporum à contagijs pertinere statuamus, atq; inde acceptas nunc usurpemus, & fide, inuocatione ac meditatione assidua exerceamus.* Docet *Psalmus inter cætera hoc etiam: Si pestilentia depopuletur ac deuastet totas regiones ac prouincias, qui illæsi mansuri sint, & quomodo, quóue præsidio, qua ipsorum conditione. Tuti erunt ij, quos complectitur, & souet alis, tegit umbraculo, abdit in latebras suas* DOMINVS. *Præstat hoc autem ijs, quibus ipse est spes atq; munitio, quibus ueritas eius, id est:* Promissiones *sunt clypeus & scutum, hoc est, qui assentiuntur uerbo Dei, qui animos totos certa fiducia præsentiæ diuinæ, speq; immota auxilij cœlestis in uno & solo Deo collocant atq; defigunt, qui desiderio cordis anxio requirunt, & gemitu assiduo implorant eum. Hos circumuallat, protegit, eripit, & seruat: his ponit custodias, & adiungit præsidia sanctorum Angelorum, qui scientes ut uocationis fideliter, & sedulò ubi*

atq; depellunt impetus atq; insultus Sagittarum pestilenti veneno illitarum, ne insiliant in hos emissi, neue adhæreſcant, sicut uerba Psalmi testantur: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. In manibus gestabunt te, ne impingas in lapidem pedibus tuis. Est autẽ usus Psal. pulcra prosopopœia pestilentiæ, fingens uagari tam ferriq; inter homines uolatu celeri, ac ceu ex intento arcu eiaculando uirus in obuios quosq;, omni ex parte edere ingentem stragem & horribilem, noctu maximè & in meridie, quibus ad naturam eius alludit. Non enim fomite tantùm & contactu propagatur, sed expiratu egesta è corporibus infectis, & halitu impulsa et micantium arteriarum uibratu exeussa, cùm traijcitur in circumsitos ex interuallo, tùm inprimitur in aërem atq; ad huius motum dispergitur longè lateq;, sed nocturno tempore uehementius atq; in meridie. Noctu quidem cum ὀυτιπροπεσόσα nocturni frigoris densato aëre seminaria seu inquinamenta uolitantia in aëre, quæ σπέρματα καὶ μιάσματα λοιμώδη uocantur, ceu coguntur atq; coarctantur, ut et uires suas ualidius contrahant, & uelut ex angusto maiore cum impetu ac uibratu elidantur, sicut ex densata nube fulmina ac uenenati halitus exprimuntur. Circa meridiẽ autem cùm Solis calore corpora fusa atq; laxata & & hiantia venenum promptius hauriunt & absorbent. De his ergò periculis cùm simul nos Psalmus admoneat,

admoneat, gratias agamus Deo promittenti ac præstanti nobis protectionem ac defensionem per sanctos Angelos, et ut id faciamus ardentius conspectu periculorum, & hoc ipso festo castorum Angelorũ moneamur, quorum memoriam hodie consuetudine pia Ecclesiæ celebramus. Demus etiam operã, ut retinеamus, non repellamus à nobis satellitium sanctorũ angelorum. Retinebimus eos autem in officio, si manserimus ipsi in officio, seu ut Psalm. loquitur, in uijs nostris, id est, si operas & officia uocationis exercendo ac præstando assidua precatione nos DEO commendauerimus. Sit verò infixa perpetuò animis uestris dulcissima promissio adiecta ad finem Psalmi, quàm inter precandũ semper et mente intuemini et uoce repetite: Quia desiderauit me, inquit Psalmus, eripiam eum, protegam eum, quia cognouit nomen meum. Clamabit ad me, & exaudiam eum. Sum cum eo in tribulatione, liberabo eum et glorificabo eum, Longitudine dierũ replebo eum, & ostendam ei salutare meum. Nihil dulcius his uerbis: nihil ad pauidas ac consternatas mentes atq; in calamitates demersas erigendas, efficacius dici potest. Cognoscitur autem DEVS ex uerbo per ministerium Euangelij, de quo uos reuerenter sentire, ut testificemini publicè: hortamur uos, ut hodie quisque munus suum adferat ad Aram.

In Festo castorum Angelorum.
Anno 1566.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IN plurimis et grauissimis periculis horum temporum nulla res animos piorum tranquillare aut sustentare potest, quam fiducia nitens promissione misericordiæ & opis diuinæ, & inuocatio huius religiosa, ut sublatis in cœlum cordibus, oculis & manibus puris cogitent quod Psalmus canit: Deus spes nostra & fortitudo & auxilium in rebus aduersis nostris. Hic conseruabit Ecclesiam suam, & semen sanctum, quod colat cum cultu uero, quicquid fiat in rebus humanis.

Quamuis terra tremat, quamuis decussa ferātur
In pelagus iuga ueliferum de montibus altis,
Et metuendarum fluctu elidantur aquarum
Conuulsiq; soli motu fundamina nutent
Quam tamen ipse suam sibi sacrauit Deus urbem
Semper ubi ciues teneant habitacula sancti (bene
Lætifici scateantq; perennia flumina fontis,
Non uis euertet, non obruet impetus ullus.

Sicuti sententiam psalmi pijs & latinis uersibus reddidit D. IOACHIMVS CAMERARIVS *Vir Clariss. Cumq; scholæ piæ præcipua pars sint Ecclesiæ, in quibus conseruatur societati humanæ & ueritatis cœlestis illustrationi necessaria*

ria doctrina, ut plantentur Cœli, hac consolatione etiam nos sustentemus, qui in his discimus & docemus, & in fiducia certa opis & protectionis diuinæ nihil remittamus utrinq; de operis nostris.

Agnoscere etiam et celebrare nos misericordiam Dei par est, quam in præsentia experimur. Etsi enim contagiones mortiferæ uagari apud nos non desinunt, non tamen multos tollunt hactenus, & unius mensis iam diebus compluribus nullum funus in oppido fuisse constat, neq; desunt apud nos, Dei beneficio, qui discunt & docent utiliter. In optima igitur spe de futuro etiam tempore faciamus officium singuli suo loco, & nos nostro, quæ ad scholæ huius utilitatem publicam pertinent, cum ea fide qua debemus præstabimus. Cum autem crastina dies ab antiquo constituta sit, quasi comitijs scholasticis ad Rectorem creandum, qui præsit rei scholasticæ per semestre hybernum, Mandamus omnibus Iurisdictioni nostræ subiectis, ut tum hora VII. matutina in æde arcis conueniant, ibiq; suas preces nobiscum pro salute communi, & ut, quod tum agetur, Deus bene & feliciter euenire uelit, nobiscum coniungunt, et renunciationem Rectoris noui placide expectent.

PP. XVI. Calend. IX bris
Anno 1566.

RESIGNATIO PVBLICA MAGISTRATVS SEmestris æstiui recitata publicè.

QVOD fœlix & fauſtum ſit, Duce et auſpice Chriſto Redemtore noſtro, renuncio uobis, conſentientibus ſenatus noſtri ſuffragijs, electum eſſe Rectorem Academiæ in hoc Semeſtre hybernũ clariſs: & doctiſs: uirum D. M. Euſebium Menium. Hunc uoſtrum Magiſtratum uobis optimi auditores & Chariſs: filij, officioſe ac reuerenter commẽdo, etſi apud bonos hac cõmendatione nihil opus eſſe ſcio. Sed quia non omnes eodem ingenio præditi, nec eodem modo affecti ſunt, Et ſicut nimis uerè cecinit Satyricus:

Mille hominum ſpecies, et rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno. Ideo nobis ſubinde hæ ordinis diuini et Magiſtratuum commendationes ad iuuentutem repetendæ ſunt, & adhuc præclarè nobiſcum agitur, ſi modo apud maiorem partem hæ noſtræ paternæ uoces aliquid momenti habent. Nam inter præcipuas calamitates huius mundi hæc non minima eſt, imo quaſi fons & origo reliquarum calamitatum, quod iuuentus, cum obedientiam erga Magiſtratus & hunc diuinitus conſtitutum ordinem commendari audit, ſtatim ſuſpicatur ſibi uincula & frenos parari, inſidias ſtrui libertati ſuæ, & Tyrannidem intentari, quo

minus uiuere poſſint liberius. Atq; ea cogitatio non à bono genio ipſis inſpiratur. Si enim ſana mente uterentur, aut ſi ſaltem aliqua propriæ ſalutis cura afficerentur, meritò debebant æterno Deo pro hoc ingenti beneficio toto pectore gratias agere, idq; obuijs, quod aiunt, ulnis amplecti & magni facere. Quod autem id non fit, inde non minima pars calamitatum & malorum in uita humana exiſtit. Quas pœnas diuinas, etſi quidã ita ſunt ἀπηλγηκότες ὥσπερ πεπονότες πλὴν μανδραγόραν, ut minus ſentiant uel curent: tamen qui ſana mente præditi ſunt, et eas conſiderant, ij uident horribilem lernam malorũ, in quib. hæc miſera uita demerſa eſt. Hinc bella, ſeditiones, & florentiſſimorum regnorũ extremæ uaſtationes exiſtunt. Hinc prælia et exercituum clades, fames porro, & morbi peſtiferi uulgo cum ingenti hominũ ſtrage graſſantes. Hinc nobiliſſimarum familiarum interitus, & quis hoc in loco omnes calamitates humanas cõmemorare queat? poſſum hic uerè dicere, quod Virgilius dixit:

Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum,
Ferrea uox, omnes ſcelerũ comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina poſſem.

Ab his uero magna ex parte liberi atq; immunes eſſe poſſemus, ſi hæc beneficia diuina, nempe ordinẽ et diſciplinam agnoſceremus, et pro eo ac debemus coleremus. Si enim huic ordini diuinitus conſtituto pro ſe quiſque obediret, eumque ſibi ſanctè colen,

dum

dum et conseruandum esse duceret, primum pacem, bonorum in hac uita omnium maximum et dulcissimum, conseruaremus, & multiplicibus bonis, quæ pacem comitantur cum tranquillitate frui possemus, Ac Deus reliquas etiam pœnas haud dubie mitigaturus esset. Nunc nostra nobis insania & contumacia ipsi attrahimus & cumulamus mala ac miserias, et cum quasi Deorum uitam agere possemus, nobis ipsis infernales pœnas etiam in hac uita accersimus. Sed omissa hac nihil proficiente & tamen necessaria querela de pœnis diuinis, consideremus quanto bono nos ipsos spoliemus, cum hunc ordinem gubernationis excutimus, quem Deus inter nos constituit, sanxit, tuetur, & omnino sacrosanctum atq; inuiolatum uult esse, ac cum uiolatur, ipse horribilibus exemplis uindicat. Primo enim condidit Deus cœlestes illos Spiritus, nempe angelos castos, cisq; hoc munus mandauit, ut sint partim ministri & custodes partim etiam gubernatores hominum, præsertim eorum, qui gubernationem ipsorum non excutiunt. Deinde quia eorum ministerium, custodia & gubernatio, cum sint spiritus corpore carentes, sensibus nostris non perinde comprehendi possunt: Substituit eis optimus ille rerum omnium conditor & conseruator alios angelos corporeos et sensibus humanis comprehensibiles, Nempe Magistratus & gubernatores, Quibus secundum angelos hoc ministerium, custodiam & gubernationem hominum mandauit.

Et

Et quia pueri atq; hæc prima ætas, quæ seminarium est Ecclesiæ ac rerumpublicarum imprimis Deo cure sunt: Igitur huic ætati præcipue cum cælestes illos Spiritus Angelos suos, tum quoq; hos corporeos angelos custodes ac gubernatores adiunctos esse uoluit, scit enim Deus, iuuentus quæ in utramq; partem flexibilis est, & sicut Horatius dixit, Cerea in uicium flecti, quam facilè à Satana uerti possit, Et nouit quantum hoc sit detrimentum Ecclesiæ & Reip. cum hoc seminarium quasi in flore uratur, Igitur eos undiq; circumsepsit custodia cœlestium Spirituum & horum angelorum corporeorum, hoc est parentum, & qui loco parentum sunt, præceptorum ac Magistratuum.

Cogitet igitur iuuentus hos etiam quos oculis cernunt, quorum uocem quotidie audiunt, esse suos angelos diuinitus constitutos, sibiq; adiunctos, Atq; illorum custodiæ & gubernationi non modo libenter se submittant, Sed & Deo toto pectore Gratias agant, pro hac Paterna cura, qua ipsorum causa afficitur, Quod non sinit eos errare sicut oues sine custode, donec in Lupi, hoc est, Diaboli fauces incidant, Igitur non repudient hanc tam fidam & paternam custodiam diuinam, cum Saul impietate sua angelum Domini à se repulisset, mox arripuit eum angelus malus, Quo duce post multa immania facinora tandem & hac uita spoliatur, & in æternas pœnas præcipitatur.

Proinde

Proinde hæc beneficia diuina mature & in hoc flore ætatis iuuenes discant agnoscere & magnificare, Neq; ea profanent aut temere effundant, ueniet aliquando tempus, cum ætas ingrauescens, & miseriæ huius uitæ ac pœnæ diuinæ, coperint eos grauius premere, tunc hos errores iuuentutis suæ multo cum gemitu deplorabunt.

Et facile fieri potest, ut & ipsi tunc ad rerum gubernacula adhibeantur, & experiantur, eius loci atq; ordinis miserias, contumaciam, maliciam & ingratitudinem hominum.

Ad hoc enim hic in palestra instituuntur atq; exercentur, ut olim usui esse possint Ecclesiæ Christi & Reipub. Atq; tunc fortasse duplici mensura remetientur eis homines, pro ea mensura, quam ipsi in iuuentute suis gubernatoribus tribuerunt.

Nam Deus sub uno, nempe sub Quarto præcepto comprehendit utrosq; Magistratus & parentes, qui impij, ingrati, & contumaces sunt erga parentes, Hi nunquam impune ferunt, quòd si adhuc clementer à Deo puniuntur, tamen hoc certo eis euenit, ut ipsi multo crudelius à suis liberis tractentur, idq; in senectute, quando præter reliquas uitæ atq; eius ætatis miserias hæc domestica uulnera multo magis dolent, Ostenditquotidiana uita multa huius rei exempla, Eodem modo qui se in iuuentute ingratos, contumaces & rebelles prebent erga Magistratus & gubernatores, hi magno quidem dolore illos afficiunt, & gubernandi laborem eis augent ac multiplicant, sed si modo non grauiore aliqua pœna opprimuntur, tamen hæc illorum contumacia & impietas eis deinde in ætate grauiore multo cum fœnore rependitur, Quamuis multi prius pereunt, quam ad id tempus uitæ perueniunt.

Neq; propterea scholastici uilipendant aut contemnant Magistratum suum, quod non gerit gladium, quod non lictorum aut carnificis opera in sua gubernatione utitur, Nostra enim gubernatio paterna est, sed habet scutum & gladium inuictum atq; inexpugnabilem, quem Deus pro nobis gerit uibratq;. Igitur qui huius scholastici Magistratus gubernationem atq; authoritatem contempserunt, eorum aliquos uidimus hic dedisse pœnas sane tragicas & horribiles, pleroſq;, cum hinc discessissent, mox alijs in locis miserrime periisse.

Erat adolescens hic ualde ferus & indomitus, qui per petulantiam aliquot commilitonibus inflixerat uulnera, nonnullos & mutilauerat, is cum hinc abijsset, paulò post prope Francofortum ad Via-

ad Viadrum ab Agricolis interficiebatur, Lipsiæ utraq; manu male mutilabatur Iuuenis equestri loco natus, quam hic nemo regere neq; domare poterat. Edelbergæ à uinitoribus interfectus, qui hic nemini parcere uoluerat, Misere perierunt aliqui et Aurelijs in Gallia, qui propter feritatem & contumaciam hinc exciderant, quæ exempla testantur, Quamuis nostra gubernatio imbecillior sit, quam ut quæuis præfracta & indomita ingenia reprimere, atq; in officio continere posit, tamen Deum ineuitabilibus pœnis illos postea reprimere, qui nostræ gubernationi obedire recusauerint. Et quãto deinde optabilius eis foret, huic paternæ gubernationi paruisse, quam ita miserabiliter perire.

Vnumquemq; igitur uestrum moueant hæc Tragica exempla, ut sit in officio, & regi se patiatur, timeat Deum uitamq; ac mores emendare studeat. Scitis quomodo Christus Redemptor illos à se dimittat, qui de immani crudelitate Pilati in Galilæos nuncibant, imo inquit, nisi conuersi fueritis, & pœnitentiam egeritis, eodem modo & uos peribitis, Igitur quos amor uirtutis & naturæ bonitas minus in officio continet, hos saltem timor Dei, & tot circumstantium pœnarum metus coherceat. Sed spero maiorem inter uos partem sua sponte facturos officium, ut onus gubernationis leuius ac facilius efficiatis uestro Magistratui, uere enim dictum est à Plauto, Facile est imperium in bonos.

Tibi

Tibi igitur nunc Doctiss: uir & magnifice D. Rector, hunc Magistratum scholasticum in hoc Semestre trado, & commendo, Teq; oro, ut hoc quidquid est oneris ac molestiæ quod hæc gubernatio secum affert in te suscipias, Cum enim cœlestium exercituum Principes non pigeat esse puerorum ministros, illis inseruire, custodire eos, regere & tueri, Nos etiam non debet pigere ut illi ætati inseruiamus, præsertim cum sacræ literæ testentur, quanti Deus pueros faciat, quam unice amet, ut illis pene solis hæreditatem regni cœlorum destinet.

Cogites igitur tibi nunc commendari uere pusillum et infirmum gregem discentium, Sed eundem ualde charum Deo, Sunt enim hæc illa prima & tenera germina Ecclesiæ & Reipub: Sunt charissima pignora æterni patris, De quibus per Prophetam ait, requiram animas eorum de manibus tuis, quibus custodiam angelorum suorum adiungit, quorum nullum uult perire, et grauissimam pœnam minatur omnibus, qui saltem unum ex his offenderint, Et si quis aliquem ex paruulis hisce recipiat, id sibi tam gratum esse testatur, ac si se recepisset, Igitur non leuem nec puerilem putemus hanc iuuentutis gubernationem, Magni Deus hanc facit & ingentibus donis ac beneficijs diuinis remunerat ornatq;, Hæc enim reuera sunt secundum sacratiss: uerbum Dei preciosa illa κειμήλια & pignora Ecclesiæ ac Reipub: ucrius quam ulli alij Thesauri,

L unde

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000083

unde satis adparet, quanta labes rebus humanis sit educatio prava, et gubernatio nimiosa huius ætatis.

Oro igitur æternum Deum, patrem Domini & Redemptoris nostri Iesu Christi, ut hunc suum pusillum gregem clementer tueatur & custodiat aduersus omnia mala, Regat etiam spiritu sancto suo, & præsidio sanctorum angelorum suorum defendat, Tuæque gubernationi, Magnifice D. Rector, clementer adsit, Quemadmodum in Psalmo promittit, inquiens, intellectum tibi dabo, & docebo te in uia qua gradieris, oculo meo te regam. Prohibeat scandala, tumultus bellicos, & regionum uastationes, ac dissidia doctrinæ, quæ sunt opera Satanæ. Mitiget etiam reliquas iustissimas pœnas, prohibeat contagia & pestiferos morbos, ut à timore inimicorum nostrorum & reliquarum pœnarum liberati, in pace et tranquillitate seruiamus æterno

Deo & Redemtori nostro Iesu

Christo, Amen.

SCRIPTA

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA,

RECTORE VIRO ORNATISSIMO, & Doctissimo EVSEBIO MENIO, Philosophiæ, & liberalium artium Magistro, & Professore latinæ linguæ in Academia VViebergensi publico. Fuerunt autem hæc scripta proposita tempore eo, quod est à diem festis Euangelistæ Lucæ Anni 1566. vsq; ad Calendas Maij Anni 1567.

IN DEFINITIONVM THEOLOGICARVM D. PHILIPPI prælectionem.

TSI nec securitatem stabilem certo nobis policeri possumus, cum cernamus τὰ λοιμικὰ μιάσματα, quanquam cæco ac tardo motu non desinenter tamen serpere, & in pluribus domib. sparsim hinc inde uagari, ἀφορμὴν etiam suppeditantibus causis nonnullis ex cæli ac temporis constitutione & consuetudine uitæ quotidianæ: Nec qualis sit futura κατάσασις hyemis, prospicere possumus, etsi austrinam fere ma-

gna ex parte quibuſdam argumentis non obſcuris conijcimus. Tamen operas ſcholaſticas faciemus, quam diu licuerit. Cum autem maior pars eorum, qui me medica prælegentem audiuerunt, ceſſerit hinc, contagijs graſſantis luis, decreui ordinarias meas prælectiones ad tempus ſuſpendere, & ad humiliora deſcendendo me captui diſcere incipientium accommodare, Vt conſulatur ſtudijs, & profectui eorum, qui remanent, Itaq; deinceps priore biduo ſeptimanæ enarrabo libellum definitionum, Reuerendi D. Præceptoris, eaſq; in Decalogum diſtribuam, & hac occaſione Philoſophica conferam cum Eccleſiæ doctrina, quæ ſola legem diuinam integram & legis interpretationem incorruptam retinuit. Altero biduo, ne prorſus diſcedam à mea profeßione, proponam εισαγωγὴν in artem medicam, quam utilem fore ſpero non tantum progreſſuris in doctrina Medicorum, Sed cæteris omnibus adiutam omni tempore meliore ratione & ordine inſtituendam, & ualetudinem rectius regendam & tuendam. Ac ne prolixitas auditoribus faſtidium pariat, præcidam ea omnia quæ in Anatomicis & libello de Anima ab alijs erudite & copioſe explicata ſunt. Die ſabbathi hebdomadis ſequentis reuertar ad Chronicon. Et Deum æternum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti toto pectore oro, ut in his tantis periculis publicis ac priuatis et domeſticis in ira iuſtißima miſericordiæ etiam ſuæ recordetur,

recordetur, ne barbarica uaſtitate diſſipentur cœtus honeſti, & deleantur ſtudia neceſſaria, atq; his extinctis ceſſet & conticeſcat in maxima multitudine generis humani celebratio nominis diuini.

Die 18. Octob. Anno 1566.

Caſpar Peucerus.

ASTRONOMIÆ STVDIOSIS. S. D.

HIC dies, quo ante annos LXII. munificentia inclyti Herois Friderici I. Electoris Saxonici conſtituta Academia noſtra ſolenni ritu in hanc Sarepta introducta eſt, de inſigni & incomparabili beneficio Dei nos admonet, & ad gratiarum actionem inuitat: quod nimirum Deus rurſus aperta puritate doctrinæ, & expreſſo uerbo ſibi in genere humano uicturam cum ipſo in omnem æternitatem in his terris Eccleſiam colligit, eamq; potenti manu aduerſus diabolorum & impiorum inſidias conſeruat, regit ac protegit: Ac ſimul in ueram Eccleſiam omnibus temporibus reliquarum etiam artium lucem accendit, quæ ad doctrinæ cœleſtis cognitionem aliquid conferunt, et fragili hominum uitæ neceſſaria præſidia ſuppeditant. Inter quas cũ & Aſtronomia quoq; non poſtremum locum occupet,

quæ semper ornamentum singulare fuit Ecclesiæ, in qua certa ac perpetua eorum mundi series sine motuum cœli & stellarum cognitione, non potuit conseruari: docet nos quoq; eam ad pietatis studiũ & ueram Dei inuocationem adiungere, præsertim cum per se dulcissima sit pulcherrimorum cœli corporum aspectio & effectionum, quas habent in orbe Elementari consideratio, præterquam quod in uita communi utilitates præbet manifestas, quas contemnere furor est & indignus homine liberali, & contumeliosus aduersus D E V M, *qui ut Plato ueracissimè inquit, gratam de se famam in his artibus sparsit. Itaq; ut meo etiam loco excitem iuniorum studia, cosq; inuitem ad pleniorem doctrinam ex fontibus artificum petendam, iussus sum à collegij nostri senatu, absente doctissimo Viro* D. *Blochingero, differre ad tempus Plinij enarrationem atq; interim proponere elementa iucundissimæ doctrinæ de primo mobili, comprehensam in Spherico libello Cl. V. D. Peuceri. Eam qua potero fide & perspicuitate ita tradam, ut fructum ex hoc labore non contemnendum discentes capere possint.*

Cum q; rogatus sim priuatim ab auditoribus meis, ut ipsis in explicandis planetarum Theoricis gratificer, ne generosis mentibus studiorum amore & cupiditate quoq; modo deessem, uolui ipsorum petitioni

petitioni morem gerere, idq; publicè significandum duxi, ut si qui ijs se adiungere uellent, scirent meam ipsis operam non defuturam esse. Etsi enim me meo pede metior, & agnosco me in his disciplinis tyronem esse: tamen D E O *dante perficiam, ut pro mea mediocritate dilucidè explicem & tradam ea, quæ à meis præceptoribus ipse accepi uelut depositum, præsertim cum me harum artium tractatio unicè delectet, quæ illustria de Deo testimonia præbent, & mentes humanas è cœlo ortas hoc dulcissimo uelut pabulo alunt & reficiunt, easq; ad rerum cœlestium uelut ad patriæ gratissimum conspectum deducunt.*

Inchoabo itaq; D E O *auxiliante sphæræ prælectionem proxima die* ♃ *hora* I. *Theoricarum uerò in ædibus soceri mei, Collegio uicinis, die* ♄ *hora* VIII. Ac Deum oro *ut his nostris studijs pijsq; conatibus adsit, hanc sareptam nutriculam nostram et hospitam deinceps quoq; benigne foueat, protegat & seruet.*

M. Bartholomæus Schönborn.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000086

ETſi in præſentia & metu publicorũ malorum, priuatarum miſeriarũ ſenſus hebetior eſſe ſolet, Republica enim ſalua ſemper eſſe ſpes poteſt, et in plæriſq; etiam occaſio, emergendi ex priuatis calamitatibus, ſed euerſis publicis nunquam poteſt eſſe priuatum quicq̃ ſaluum, aut gratũ ſaltem & iucundum, cuiquam intelligenti & bono, Non poſſumus tamen non grauiter affici optimi & doctiſſimi uiri Magiſtri MATTHÆI BLOCHINGERI Collegæ noſtri ægritudine & luctu, qui cum intra annos non multos octonorum liberorum ſuorum, quatuor filiorum, & filiarum totidem funera uiderit, nunc nonum eius domus funeſta ſit, & herici, infantulus quem unicũ ſuperſtitem habuit, mortuus eſt, ſuccumbente natura in dentitione, & accedente morbo qui huic ætati familiaris eſt altero. Hunc nonam ſobolem ſuam Vir optimus efferet poſtea hora quarta. Hortamur igitur ſcholaſticos cum neq; contagionis periculum ſit illum, & in aedis primariæ intra oppidum ſepeliatur, ut ad funeris deductionem tum officioſe conueniant. Magnus dolor eſt ſepelire liberos, & maximus multos, Itaq; ſapientiſſimi homines Poëtæ ueteres in ſaxa ex hoc cõuerſos aliquos finxerunt, quòd ſtuporem inducere poſſit & ſoleat morti ſimilem, non confirmantib. ſe ſpe indubitata reditus in uitam ſuorum. In triſticia tamen & metu horum temporum etiam hoc conſolationẽ præſtat aliquam quod qui ſuperſtites relinquimur uix poſſimus ſperare eiuſmodi ſtatum Reipublicæ, qui nos aut noſtros exhilarat urus admodum ſit, aut cuius cauſſa uitam nobis & liberis noſtris produci optare poſſimus. Deum oramus per Chriſtum, ut miſereatur noſtri & propicius ſit peccatis noſtris. P P. XV. Calend. Nouembris, Anno 1566.

IN ELIÆ HEBRAICÆ GRAMMATICES PRÆlectionem.

DVlciſſimè dictum eſt in Pſalmo, In Eccleſijs benedicite Deo domino de fontibus Iſraël, quo dicto inuitat nos uox diuina, ad agnitionem iſtius ueri Dei, qui ſe in Iſraël certis & illuſtribus teſtimonijs patefecit, et ad doctrinam ac promiſſionem de Meſsia ibi traditam, quam ſingulari beneficio Deus Prophetarum ſcriptis conſeruari & propagari uoluit. Certiſſimum eſt autem, ſine linguarum cognitione ueram Eccleſiæ doctrinam puram retineri, ac ad poſteritatem incorruptam transmitti non poſſe. Veriſſimum eſt enim diſtichon illud, In tenebris ueluti nauis ſi nocte uagetur, Neſcia mens linguæ ſic pia ſcripta legit. Inprimis autem Eccleſiæ neceſſariam eſſe & Hebrææ linguæ cognitionem, res ipſa teſtatur, cum fontes

doctrinæ cœlestis ex Hebræo sermone petendos esse nemo ignorat. Quantum enim errorum sit in uersionibus, quantumq; Ecclesiæ nocuerit huius linguæ insciti, probè norunt ij qui sacrarum literarum ac ueræ pietatis studiosi sunt. Nam hanc linguam ignorantibus idem accidit, quod in prouerbio dicitur, ἐκ πηλοῦ βύλα ζητεῖν, τὴν δὲ λοῦσαν πάνυ ῥᾳδίως ἑκάστῳ πορίζειν. Cum igitur hanc sit huius linguæ cognitio necessaria & utilitas, sinum eò diligentiores in eã discendã. Quod ut commodè fieri possit, & ne ad literarios exercitia huius linguæ subeundi decreui institue Grammaticam Ebream Bibliæ Lectiones, quæ diebus huius linguæ discere uolentibus propè proxima plurimum prodesse potest. Assit laborantem ad precationem ad principium discendi Deo iuuante, hora prima in maiori Collegio. Die F. 24. Octob. Anno 1566.

Iohannes Brgenhagius D.

DECANVS COLLEGII MEDICORVM IN ACADEMIA VVitebergensi, Vitus VVinsheimius Medicinæ D. & Professor.

ADuersus unam partem miseriarum generis humani, qua uita hæc mortalis, uel nostra culpa, uel interueniente casu aliquo præcipitatur, & solet, Deus artem medicam dedit hominibus, quã et ipse

ipse se facturum ad populum suũ policetur. EGO DOMINVS MEDICVS TVVS &c. Sicut enim nemo superat terminum, quem constituit Deus uitæ nostræ, ita animis mihi scientes & uolentes cursum uitæ concessum sibi præcidunt, uel ἀπολαῦσι, ἐντες, ut Græci loquuti fuere. (cessi hæc ῥαῳθυμία non est, sed ignauia & mollities diabolica) uel negligentia ualetudinis, aut etiam uoluntaria contentione aduersus ea, quæ hæc postulat. Multo enim plures crapula moriuntur, quam gladio & uiolenta morte, aut natura consumente, et Deo euocante. Aliqui uerò imperitia, aliqui etiam penuria earum rerum, quibus ualetudo conseruatur, corpora affligunt & mortem sibi accelerant. In his igitur quæ casum habent, aut culpam nostram, aut Deo etiam siue uolente, sine permittente, uitam nostram aue diuinitus constitutam terminum attentant, opera uanat generi humano & imbecillitati naturæ nostræ Medicus, & benignitas & misericordia diuina ita mitigat iustissimam iram suam cum morbi una pars sint pœnarum diuinarum, ut hoc modo, et medicorpe, morti adiudicatum corpus sustentetur usq; ad eum terminum, quem prouidentia ipsius constituit, uel κατ' εὐδοκίαν uel ἢ συγχώρησιν. Hoc beneficium agnosci uult, & honorifice haberi medicum, & facientes hanc, ut diuinæ beneficentiæ suæ argumentum atque testimonium nobile, Quæ cogitans atq; considerans sapiens Hebræus scripsit, Honora medicum, cuius usus & opera

sanitas

sit uitæ necessaria, uel carere potius his non possit, & quod scientia & opera huius, diuina benignitate, sit concessa rebus humanis ad gloriam nominis ipsius, sicut & medicinas ipsas, quibus ad salutem hominum utitur, Deo iubente, terra producit, εἰς τὸ γνωσθῆναι πᾶσι ἰσχὺν αὐτοῦ ἀπὸ ἀνθρώποις καὶ ἀυτὸ ἔδωκεν ἀνθρώποις ἐπιστήμην ἐνδοξάζεσθαι ἐν τοῖς θαυμασίοις αὐτοῦ. *Hoc senserunt etiam ex Philosophis ij, qui ἐξ οὐρανοῦ πεφοιτηκέναι medicinam prædicarunt. Quare ab omnibus ordinibus summis & infimis semper in honore habiti fuere, & honorandi sunt, & ut Sapiens ille loquitur apud reges & magnates in honore et admiratione sunt Medici & honore quidem excelso qui ἀνύψα κεφαλὴν αὐτῶν.*

Vnde & amplissimis ornamentis & priuilegijs, ab imperatoribus affecti sunt, & donati. Omnium autem maximè uenerationem merentur ij, qui huius salutaris generi humano artis scientiam & usum sibi comparauerunt eum, ut non tantum Medici sint ipsi, sed etiam Magistri esse et Doctores possint ijs, qui studio huius teneantur. Tales enim hoc sunt & præstant Medicis, quod Medici populo seruiunt.

Spectata autem & explorata est huius diuinæ artis peritia disputationibus publicis, & examinatione priuata, et usu longo, duorum doctrina præstantium uirorum et optimarum artium & Philosophiæ Magistrorum MICHAELIS SCHREIBERI AVRO-

AVROPACHENSIS, ET PETRI VVANDEREISEN NORIBEGENSIS, *qui ad hanc scientiam suam, pietatem & probitatem, atq; in uita uniuersa moderationem studio medico & professione ipsorum dignam, adiunxerunt. Itaq; petentibus ipsis decreti sunt summi in studijs nostris honores & testimonium publicum, quod eis tribuatur à collegio nostro, & conferantur eis honores & ornamenta, ut Philosophiæ & Medicinæ Doctores sint & appellentur iure optimo. Huic festiuitati scholastice dictus est dies perendinus, quo hæc omnia, ita ut decet, & ab antiquo fieri consuuit in æde arcis, fauente Christo peragentur, Agi autem incipientur hora matutina octaua. Et hortamur igitur et inuitamus scholasticos, ut eorum quæ tum fient & dicentur spectatores atq; auditores esse uelint placidi & fauentes, quo præstabunt quod decet, & simul operæ pretium facient ut confidimus.*

Agimus autem gratias toto pectore filio Dei, qui tam tristi tempore, et in periculis contagionum tanti erarum conseruat hanc Academiam nostram, & docentium et discentium in hac cœtum minimè infrequentem, & talis etiam festiuitatis honorem & copiam conciliat. Cui unico σωτῆρι nostro publica & priuata nostra commendamus.

PP. 27. VIII bris. 1566.

DE

DE ECLIPSI LVNÆ DIE XXVIII. OCTOBRIS, CVIVS initium erit H. 3. S. 7. P. M.

Anno 1566.

Hæc etiam tandem perueniunt, undiq; nostris
Serpat ut in terris iudicis ira Dei.
Namq; merebantur tam tristes crimina pœnas,
Crimina non dubij caussa futura mali.
Nec tu, tanta premant cur nos discrimina rerum,
Quære, nil iniustum dixeris esse Deam.
Sæpe tibi tellus eadem prædixit & æther,
Quæq; undæ insolitis intumuêre modis
Illuuies agros steriles, flagrantia cœlo
Chasmata, per terras bella futura notent.
At verum dum tota erepat natura, quis unquam
Fudit ad æternum seria uota Patrem?
Quis uitam instituit monitus reuerentibus ausis,
Delicti ueniam corde petente fuit?
Hinc nos ergo premit moles tàm dura laborum,
Iratum nobis quæ monet esse Deum.
Hinc quoq; Turca minax consurgit in arma, feroxq;
Tartarus immani seditione furit.
Sæuus uterq; pijs, & Acinace dirus uterq;,
Qui trahit in durum subdita colla iugum.
Hic feritate prior, miserorum carnibus aluum,
Humanoq; replet sanguine guttur hians.
Parte alia, passimq; adeò contagia serpunt
Morbida, quæ tacita transitione nocent.

Hæc

Hæc etiam studiosa procul sorte agmina pellent,
Discipules quondam magne Philippe tuos.
Illic seditio furit, ingentesq; tumultus,
Thyrsiger hic, alia est parta negata Ceres.
Et quis in exiguo referat genus omne malorum
Carmine, quæ terras undiq; cuncta tenent?
Attamen est hominum uecordia tanta, stuporq;,
Vt non ulla animum damna mouere queant.
Pars secura manet, pœnis nec flectitur ullis,
Pars fieri cœca talia sorte putat.
Sunt etiam, quibus est scelera accumulare uoluptas,
Atq; augent culpa publica damna sua.
At uos qui studijs à primo assuescitis æuo,
Ingenuis dignos artibus esse decet.
Atq; animos frenare, nec ultrò accersere cladem,
Ne sint in tantis consciа corda malis.
Est aliquid cœlo puras attollere dextras,
Et sic auxilio posse uocare Deum.
In tantis ergo imperij mundiq; ruinis,
Feruida cœlesti soluite uota patri,
Præcipuè toties clàm signa trementia cœlo
Præ foribus monstrent grandius esse malum.
Namq; hodie Phœbo sese condente sub undas,
Quinta ubi iam cursus fecerit hora suos,
Luna recensebit flammantis cornua Tauri,
Aduersa Fratri parte locata suo.
Vltus hic subitò pallescet lucidus orbis,
Stabit ut in magno, sed sine luce, polo.

Marq;

Marsq; uenenata peragrabit cuſpide ſæuum
Scorpion, adiunctus candide Phœbe tibi.
Ille ſibi oppoſitam minitanti fronte Dianam
Aſpiciens propria ſede locatus erit.
Iuppiter, & Maia, genitus cum Cypride blanda
Iuſta per æquatos pondera lancis erant.
Faleiger in ſexta ſedem regione recepit,
Exceptus gremio candida Virgo tuo.
Aſtrorum hic poſitus, donec caligine tecta
Lurida per cœlum Luna uehetur, erit.
Ne dubita, grauium prænuncia ſigna malorum
Sidera ſunt, toties de quibus illa mones.
Principium cernis, pariter loca cuncta fatigant
Seditio, bellum, cum lue iuncta fames.
Gnate Dei ſemper noſtros miſerate labores,
Nunc etiam auxilio nos tueare tuo.
An Mahometigenas ludibria ſpargere cœlo?
An tua cum cultu uertere templa ſines?
Res uocat ipſa, tuum nunc exere robur, & hoſtem
Proſternens, uindex Nominis eſto tui.
Dira etiam circum quæ nos contagia ſerpunt
Diſcute, & optatam fer miſeratus opem.
Dulcibus alueolis noſtrum ne diffluat agmen,
Sit tuta auxilio noſtra Sarepta tuo.
Sint tua qui ſolidè diuina oracula diſcant,
Sint qui te ſano corpore Chriſte colant.
Sic te ſeruati tranquilla mente canemus,
Sic tua maior erit gloria, nomen, honos.

Georgius Mauricius Noribergenſis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ANNVS iam quartus eſt, cum decreto conſilij publici noſtri Eleemoſynæ à uobis publicè corrogari, atq; colligi cœpere, ad ſuſtentationem & curam eorum, quibus ualetudinario noſtro opus eſt, Atq; multorum ex noſtris pia benignitate tantum iam partum eſt, ut alleuetur aliquantum ſumtibus publicis res ſcholaſtica, & ſuppetat nonnihil unde uictitent egeni, ſicut eſt in uerſu Poëtæ Eccleſiaſtici. Quomodo autem curentur ex Eleemoſynis noſtris ij, qui his utuntur hactenus, ex ipſis potius qui experiuntur, quam de noſtro preconio diſci malumus, & fauente Chriſto res ipſa magis oſtendet deinceps, Niſi tamen Illuſtriſſ: Principis & domini noſtri ducis AVGVSTI Electoris Saxoniæ &c. magnificentiſſima liberalitas acceſſiſſet, quem Quinquaginta aureos penſionis annuæ ualetudinario attribuiſſe ſcitis, non poſſemus, hoc præſertim tempore, neceſſariam ægrotis noſtris ſubleuationem præſtare, Et eorum igitur omnium uota & preces, qui Eleemoſynis his Illuſtriſſimi Principis, & ueſtris uſi ſunt, ſine dubio gratias agunt benefactoribus ſuis, Et nos publico nomine idem facimus. Cum autem ex græcis ſapientibus unus magnum theſaurum eſſe iudicet gratiam, quæ à bonis uiris debetur, multò maior theſaurus ha-

bendus est eius, quæ à pijs, profitentibus nomen et fidem Christiãnam, debetur, quod quæ his præstantur beneficia, ijs æternus filius Dei sese ipsum obligari testetur, & quasi sibi præstarentur, habiturum se dicit. Vota etiam & preces piorum cœlum penetrant. Quoniam uero his diebus iterum circummittendi sunt, qui Eleemosynas ad usus ægrotorum nostrorum à nobis petant, atq; colligant, Ideo & consideratione eorum, quæ iam commemorauimus, & quæ præter hæc pietas sua unicuiq; suggerit, atq; ut uno uerbo complectamur omnia, propter filium Dei, & eam dilectionem, quam inter nos mutuam esse uult & postulat, uos oramus, Vt nunc etiam tam tristi & formidoloso tempore largitores benigni esse uelitis. P P. IIII. Cal. Nouemb.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

POST medium noctis proximæ, mortua est, pia & modesta puella SABINA. D. LEONHARTI STETNERI Iuris utriusq; Doctoris filia, cum tertia die ante decumbere cœpisset, ut lue mortifera, quæ iam passim grassatur, correptam hanc etiam fuisse suspicio sit, uel non esse potius non possit. Venenum autem, si quod habuit, cerebrum occupauit, & Epilepticum aliquid

quid in corpore commouit, ut cor suffocaretur, & sermonis usus celeriter intercluderetur. Decem annorum fuit uirgunc[u]la, & ingenio probo & bono, in quo excolendo in difficultatibus domesticis suis nihil tamen omiserunt optimi parentes, ut quam rectissimè educaretur.

Sepelietur autem hodie Hora I III. Hoc uero tam tristi & formidoloso tempore hortamur scholasticos uniuersos, ut ante omnia protectionem & opem diuinam religiosa inuocatione petant, & pro publicis & priuatis rebus orent filium Dei, Vt æternus pater ad huius potius intercessionem, quam ad peccata nostra respicere uelit, Deinde, ut sibi unusquisq; sua diligentia, & cautione propria prospiciat, cum contagionibus etiam huius luis uenenum propagari soleat, etiamsi diuinitus unusquisq; euocatur, & secundum Poëtam mors non tantum pauperum Tabernas, sed diuitum etiam turres pulsat. P P. III. Non. Nouemb.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IN acerbissimum luctum conjecta est nobilis matrona Domina à Balbitz, quæ nata in familia schonbergica, nobilitatis equestris harum terrarum una præcipua, ante annos duodecim maritum amisit

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000092

cariß., SEBASTIANVM A BALBITZ genere nobilem uirum, & uirtute præſtantem, mortuum lenta morte ex uulneribus quæ biennio ante acceperat propugnans pro his terris & patria in prælio ad Sifferhuſam, Ducc illuſtriß. Principe & Heröe poſt hominum memoriam fortißimo principe Mauricio Elect: Saxoniæ &c. Reliquit autem hic Balbicenſis Viduæ ſuæ duos filios Antonium & Sebaſtianum, prorſus adhuc pueros, quos optima fœmina, & matrona præſtantißima, cum in pietatis & literarum ſtudijs diligentißime & ſanctißime educari curauerit hactenus, maior natu ex his Antonius à Balbitz, nudius quartus ignoto & mortifero malo correptus, heſterno die placide & inter preces pias, ſuas, fratris, & materteræ, mortuus eſt in Prædio ante oppidum paterno pagi uicini, cui nomen Broto, quo uocabulo lingua Vuandalica traiectus ſignificatur. Erat ingenium pueri eiuſmodi, quod natum uideretur ad doctrinæ & ciuilia ſtudia, atq; indoles omnino egregia, qua ipſe ſe incitabat ad omnia, quæ laudem habere & uſum in uita ciuili præcipuum docebatur, ut ſpes eſſet certißima, nouum eum in familiam ſuam ornamentum illaturum, operamq; nauaturum Reipub: præclariſſime, et ſuperaturum in hac parte aui materni ſui Dn. Antonij à Schonberg ingenium & induſtriam, cuius tamen hoc nomine celebris eſt in his terris memoria. Talium autem ingeniorum cum non

non ſit maxima copia uſum fructum horum immatura morte præcidi atq; intercipi, Reipublicæ cauſa dolendum eſt, Quæ quibus undiq; præſidijs & bonis, tam præſenti ſaluti huius quam ad poſteritatem neceſſarijs, orbetur, quomodoq; à culmine ſuo miſerabiliter ruant res Germanicæ, ante oculos eſt, & intelligentes uident & deplorant animis ſuis. Hic uerò nobilis puer hodie in pago uicino ubi prædium eſt Balbicianum, & in æde eius pagi ſepelietur, quo neminem euocare ad funeris deductionem poſſumus aut debemus, Quia tamen pars una nobilis cœtus noſtri fuit, et locus in quo mortuus eſt quaſi ſuburbanus quidam uideri poteſt, propter uicinitatem, ideo cũ his de cauſis tum q, memoriæ meritorũ patris ipſius erga hoc oppidũ, quod fidei eius et præſidio aliquando concreditum fuit, atq; humanitati et benenolentiæ, quam tum cũ præfectus eſſet oppido, præſtitit ordini noſtro, debere hoc officium uidemur, ut de morte & ſepultura huius Antonij, atq; dolore communi noſtro, propter luctũ nobiliſſimæ familiæ, publice ſignificemus, præſertim cum celebrari hoc modo literis noſtris puerum mortuum, familiæ non ingratum, & conſolationi eſſe poſſe confidamus, & omnino nobilis indoles huius mortui hoc mereatur. Debetur etiam hoc officium noſtrum nobiliſſimæ matronæ pietati, cuius domus quaſi ſanctißima quædam ſchola eſt, in qua & ſuos & ſuorum liberos ad pietatem, uirtutem, doctri-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000093

nam & honestatem religiose educari curat hactenus. Nunc aũt cum familia hæc uniuersa magno luctu perturbetur, & in grauibus curis & periculis uersetur, oramus filium Dei, ut consoletur eam, confirmet, gubernet, & conseruet, atq; simul omnes nos, qui sanctissimum nomen eius inuocamus, propterq; infinitam misericordiam suam, cruciatus atq; mortem, quam obiit pro peccatis nostris, benigne mitiget ærumnas & miserias publicas et priuatas Ecclesiæ suæ dilectæ. P P. VII. id: IXbris. *Anno Iesu Christi* M. D. L X V I.

ANTONIO BALBICENSI SEBASTIANVS FRATER.

Fueris hæc monumenta tui, luctusq; tuorum,
Sacramus tumulo, frater, habenda tuo.
Qui nostram moriens cari post fata parentis
Conijcis in luctus altera causſa domum.
Morte tua mea uita mihi grauis, hac quoq; matri
Augescunt Vidui tristia damna thori.
Non te degenerem, non ingeneroſa probasti
Indolis ingenij signa fuisse tui.
Ergo nouas de te spes, & noua nomina laudum
Concepit de te plurima nostra domus.
Ante diem quæ in flore suo cecidere, nec inde
Participes fructus contigit esse boni.

Ostensumq;

Ostensumq; decus solum, sed te meliorem
In uitam Deus & transtulit una fides.
In qua uiue mihi atq; uale carissime frater,
O sanctas inter uiue ualeq; animas.
Dum uocet illa pijs tuba læta ex æthere in unum
Et iungat melior nos locus atq; dies.
Interea hic tua per uestigia teq; sequentem
Me faciat laudis uas Deus esse suæ.

EXEMPLVM MONVMENTI QVOD AD SEPVLcrum in pariete ædis extat, DIC. MEM. S.

Antonio Sebastiani Fil: Balbicensi Genere & indole nobili puero, qui patre V. fortiss. Anno duodecimo ante mortuo, in Academiã Vuitebergensem, ad pietatis & literarum studia adductus, cum præclare disceret, ignoto malo correptus, in prædio huius pagi paterno, inter preces suas & suorum, beato fine clausit uitã in terris S. VIII. I D. IXbris. Anno Ætatis XVI. uertente, Christi Iesu M. D. L X V I. Cui in hac Æde sepulto, mater uidua superstes, Barbara Schonberg, Antonij ad Schonbergam filia, in luctu ac mœrore H. M. P. C.

Beati mortui qui in D. M.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000094

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Peſtiferæ luis contagia hactenus ſingulari Dei beneficio, pepercerunt ædibus Academiæ publicis. Eam ob cauſam nec ſpem de conſeruandis his ſcholæ reliquijs depoſuimus, nec de operis publicis aliquid remiſimus. Nunc poſtquam Oeconomiæ domus infecta eſt, non poteſt, non augeri ſollicitudo noſtra. Etſi uerò turbantur hoc caſu rationes noſtræ, tamen ne deſtituamus conſilio & ope noſtr. ſcholaſticos, quibus & ſtudia cordi ſunt, et migrare difficile eſt, conſilium cepimus de reducenda ad tempus Oeconomia in locum priſtinum. Et ut caueatur quantum in nobis eſt, ne ex priore domo Collegij illuſtris mortifera ſemina huc etiam deriuentur, dimiſſo Oeconomo, conduximus ad eam curationem operam alterius, quo adminiſtro qui uti menſa communi uolent, ij nomina ſua hodie hora XII. edant apud miniſtrum Academiæ Magiſtrum Matthiã, eo in loco, ubi antiqua conſuetudine menſæ inſtituentur, Alteram quam præ manibus habemus mutationem, inſtituere et exequi nondum poßumus, cũ inſtructi ad eam nondũ ſimus ſubſidijs neceſſarijs Et futura eſſet ea mutatio difficilis nouo Oeconomo, ſtatim in primo aditu. Quare pretium quod hactenus fuit numeratum, & quidem eodem modo ac tem-

pore, ſicut fuit uſitatum, ſoluere non grauabimini. Orabitis etiam nobiſcum coniunctis precibus miſericordem DEVM patrem æternum Domini noſtri IESV CHRISTI ut collectos nos ſub alis ſuis complectatur ac protegat, Et præſtet nobis auxilium & defenſionem in propagatione ueræ doctrinæ. Scutum enim eſt & Clypeus noſter, VERITAS eius.

Mandamus etiam ut priori Oeconomo ſatisfaciant, qui aliquid debent, pecunia apud Magiſtrum Matthiam repræſentata. PP. IX. *die Nouemb. Anno Chriſti* 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HOC die elapſi ſunt anni Octodecim quo Reuerendum & Clariß: Virum D. CASPARVM CRVCIGERVM *immatura morte extinctum in hoc Templo ſepeliuimus: Cuius excellens ingenium & labores aſsidui atq; indefeßi non huic ſolum Academiæ, ſed exteris quoq; gentibus plurimum ad doctrinæ illuſtrationem & propagationem profuerunt. Cum & morbo ſuo, quo multis annis grauiter excruciebatur, & aliorum exemplis de hominum fragilitate & miſerijs commonefactum, crebrò uſurpare illud ſolitum acce-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000095

pimus. Omnia præcreunt præter amare Deum. *Etsi enim ingens est humanæ naturæ imbecillitas, onerata peccato & morte, uarijsq; casibus obnoxiæ, & Diaboli quoq; insidijs expositæ: tamen inter hæc mala assiduo circumferamus animis dulcissimas consolationes filij Dei:* Ego sum via, veritas & vita, Ego viam æternam do Ouibus meis, quæ vocem meam audiunt. *Horum & similium dictorum recitatione se erexit ac confirmauit cum morbi totius tempore, tum in agone extremo, honestus & eruditus adolescens,* IOHANNES CVNRADVS, *natus in oppido Silesiæ* STREGA, *qui cum amplius bimestri decubuisset, morbo non quidem contagioso, sed ex eruditate ac coacernatione pituitæ in uentriculo ac intestinis contracto: Cuius quidem indicium præbuit ante paucos dies reiectus uomitu Lumbricus satis grandis ex eorum genere, qui græcis sunt ἔλμινθες στρόγγυλοι: beri ante lucem placide expirauit, cum quidem paulo ante in ore habuisset dictum Apostoli:* Cupio migrare, & esse cum Christo.

Cum autem in tota uita non doctrinæ solum liberalis & sacræ amantissimum, sed honestitis quoq; morum et pietatis studiosum fuisse ad nos referatur: non dubitemus eum in numero esse illorum, de quibus scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. *Etsi autem Reipublicæ cassa*

dolemus bona ingenia, ut milites ex ipsa acie præmatura morte abripi, tamen uoluntati Dei obtemperandum esse sciamus, & oremus Deum ardentibus uotis, ut inter nos sibi seruet semen sanctum, clementer auertat, aut leniat saltem impendentia mala, quæ & lues pestifera & Turcica arma terribili specie nobis minitantur. Hortamur etiam scholasticos, ut ad funeris deductionem hodie hora XII. *ante ædes Magistri Iohannis Galeni conueniant, ibiq; et suam singuli uitam & Ecclesiam mœstam hasq; regiones Deo pijs precibus commendent, sicut iubet filius Dei, inquiens:* Orate, vt possitis effugere venientia mala.

PP. XV. Calend. Decemb:
Anno 1566.

DECANVS COLLEGII IN ACADEMIA VVITEBERgensi Iohannes Ferinarius Professor.

SI Academia nostra tantum humano regeretur consilio, dudum funditus perijsset, in tam parricidiali conatu & γιγαντομαχίᾳ multorum, qui eppugnarunt eam, sæpe horribili modo, inde usq; ab initio, quo est condita. Sed sicut Diabolus, horrendo odio erga Filium Dei accensus, id unum agit perpetuo, ut opera Dei destruat, & pios omnes deleat,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000096

deleat, ac prohibeat, ne in toto genere humano fiat aliquid Deo gratum, Ita semper etiam filius Dei, inuitis Diabolis, in medio inimicorum suorum regnat & præsentiam suam in Ecclesia mirandis liberationibus declarat.

Hic igitur Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, dux & custos suæ Ecclesiæ, & nostrum hoc doctrinæ ac uirtutis celebre domicilium, immenso beneficio, hactenus seruauit, ac defendit aduersus Diabolorum & hominum multiplices iniurias ac crudelitatem, qui saluificam Dei lucem, in hoc illustri oculo Germaniæ accensam, docentium & Præceptorum sanguine etiam extinguere sæpè conati sunt, & aduersus concursum multarum calamitatum, quæ diuersis temporibus eam exercuerunt. At nunc quoq; tempore pestiferæ luis, bonus est Dominus & misericors, ac pœnitet eum mali. Non enim facit furorem iræ suæ, accendens eam totam, sed in ira misericordiæ recordatur, ne penitus consumamur, aut diuulsi distrahamur, uult Deus in Ecclesia, in pœnis, tamen conspici bonitatẽ suam, & misericordiam, atq; ἐπιείκειαν, qua lenit pœnas etiam iustas. Quod ut publicè recitemus hoc tempore libentius, admonet nos dies crastinus, quem nostri maiores uoluerunt esse festum nostro Collegio, cum in fastis dicatus sit memoriæ Catharinæ Virginis, quam in illa regni pontificij caligine, propter sapientiæ & eloquentiæ famam, attribuerunt

runt pro numine tutelari, & ipsi communitati nostræ, & Philosophiam in ea discentibus. Nos uerò toto pectore testamur, non petere uel expetere nos defensionem, aut sapientiæ donationem à pontificia Catharina. Sed sumus memores præcepti diuini: Non habebis Deos alienos. Et, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies, Item, Qui indiget sapientia petat eam à Domino.

Tibi igitur fili Dei, Domine Iesu Christe, sine quo nihil possumus facere salutare in Ecclesia, et in quo lucet idea omnis sapientiæ diuinæ, ostensæ in creatione mundi, in redemptione generis humani, & collectione ac glorificatione Ecclesiæ, toto pectore gratias agimus, quod fuisti & initio οἰκιστής, & deinde huc usq; etiam οἰκοδεσπότης, gubernator & defensor nostræ Academiæ in tanta uarietate ærumnarum, certaminum & Sycophantarum, quibus oppositi fuisti salutaria organa tua in hac schola, sonantia tuam ueritatem, repurgatam ab impijs inquinamentis, Et te oramus pijs animi suspirijs, ut & deinceps non relinquas nos orphanos, sed Germaniæ hanc officiosam studiorũ matrem, custodias, & lucem accensam in ea serues, & nobis quoq; initia tuæ diuinæ sapientiæ instilles, ut lux cœlestis doctrinæ, et artium uitæ necessariarum possessio, ad omnem posteritatem fœliciter transmittatur.

Hæc uero mentis nostræ pia uota & preces, ut nobiscum publice recitent & nostri auditores, ac sin-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000097

ac singuli Academiæ ciues, CRAS Deo iuuante, in solenni Collegij nostri congressu ac festiuitate repetet eadem Clariss: Vir & Poëtarum hoc tempore flos, & præcipuum decus, D. Doctor IOHANNES MAIOR, qui simul etiam addet, carmine illustri et splendido descriptam, doctrinam & commonefactionem, pijs mentibus hoc tempore utilem & gratam.

Quare nostros omnes hortamur, ut ad hæc uere θεοφορητα & ad boni ac laudati carminis recitationem, cum beneuolentia conueniant in maiori lectorio hora [illegible] sint: ut uere dixit Aristoteles, ἡδὺ διδασκάλων παῤῥησίας, καὶ πρὸς πᾶσαν ἡδονήν. Cumq; uersemur in communi periculo, ac in luctu simus, et in communi precatione, Ideo gaudeant honesti scholastici, se quoq; conspici, & nota facere ad Deũ, in cœtu præceptorum, qui hoc tristi & lugubri tempore, in statione manere uoluerunt, ac quo magis intelligunt uitæ nostræ pericula, eo libentius tales congressus instituunt, ardentiusq; petunt, se & suum agmen seruari & gubernari à Deo, qui haud dubie & seruabit hic uocem suæ doctrinæ & Ecclesiæ reliquias, etsi multi hypocritæ horribiliter nostræ scholæ irascũtur. Ipse etiã, ut in Euãgelica lectione dulcissime dicitur, iubeat stare gestatores, et satellites mortis, Decedentib. aut instillet ueram fidem, intuentem ipsius præsentiam in media morte. Ipse uere attigit feretrum et gustauit mortem

mortem, at postquam sua uiuifica carne terram attigit, fecit eam suis electis leuem, & in illa cubilia ponit custodes sanctos suos angelos, qui obseruant cineres & exuuias illas, quæ fuerunt, & rursus erunt, Spiritus sancti domicilia. De his igitur tantis rebus in nostris congressibus libenter & pie cogitemus & nobis eas dari serio petamus & credamus. Datæ pridie dici, qui est dicatus memoriæ Catharinæ Virginis, præsidis artium & Philosophiæ. PP. XXIIII. Nouemb. Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

DE fugacitate & incertitudine uitæ humanæ etsi passim extant dicta plurima sapientum: Tamen maximè insignia sunt, & consideratione dignissima, quæ diuina uoce traduntur, ut Psalmo XC: Facis Domine diffluere homines tanq̃ nimbũ, Somnũ sunt, sicut gramen quod subitò exaresçit, q. mane floret et mutatur uesperi, exciditur et aresçit. Et XLIX. Frater non redimendo redimet quenquam, Non dabit DEO placationem suam, Quia preciosior est redemptio animæ suæ, ita ut omittere cogatur in æternum. Verissima hæc esse, exempla ostendunt multorum, qui cùm & corporis uiribus ualere, & præsidijs alijs instructi uideantur ad diuturnitatem, subitò tamen concidunt & ab-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000098

& abripiuntur. Et accelerare mortem cùm alias causas plurimas, tum uerò & occultas quasdam cœlestes, humanis quidem ingenijs inexplicabiles, sed obseruatione tamen eruditorum ab euentibus deprehensas manifestum est. Quo ex genere sunt illæ, quas in annos, ut nominant, climactericos eruditi referunt, Quorum aliquos uitæ hominum insigniter infestos & fatales esse, itidem in exemplis plurimis obseruare licet. Decessit autem nudius tertius sub horam noctis decimam, in confessione pijssima, & ardenti inuocatione filij DEI adolescens optimus LAVRENTIVS MILICHIVS, filius Viri clarissimi & doctissimi D. Iacobi Milichij, Artis Medicæ & Philosophiæ Doctoris, ac quondam in hac Academia Professoris, uix dum egressus annum primum & uicesimum, qui & multis adolescentibus fatalis esse solet, cùm ex conuersione illa seu periodo septena, quam κλιμακτῆρα docti appellant, tertiam constituat, Ita & hunc LAVRENTIVM ætate uerè adhuc florente tanquàm floseulum abripuit atq; extinxit. Cùm quidē & præclara doctrina & fideli medicatione fratris, Viri clarissimi & doctissimi in artes patrias feliciter educati, præsidium uideretur habere domesticum, quo uim morbi, qui initiò neq; maximus uisus est, neque atrociter illum inuasit, sustineret ac superaret. Sed occultum fuisse malum euentus ostendit. Cum enim longo iam tempore corpus circumtulisset obnoxium catharris ac defluxionibus capitis, quibus factum est, ut aure una subsurdescere existimaretur, humor ille in capite collectus mole et impetu ingenti commotus, et ad fauciū angustias copiose defluens, finem ei uitæ inexpectatum attulit. Itaq; mors eius exemplum est fragilitatis insignis, quibus in hac uita obnoxij sumus omnes, congruens ad dicta, quæ ex Psalmis citauimus, quæ et in metu hoc contagionum uenenatorum confidenter iuniores, et his uera & efficacia uitæ præsidia petita ab ardenti inuocatione filij DEI, & non dubia fide, expectatione ac spe protectionis ipsius exponant, ualde eos hortamur. Sunt omninō terribilia & exitialia, quæ nunc grassantur, contagia, & celeriter correptos interficiunt. Sed non solis illis moriuntur homines, Abripiunt hos & extinguunt etiam causæ ac morbi alij, qui sæpe non existimantur esse lethales. Et casus infiniti sunt, quibus afferri hominibus uitæ finis solet. Itaq; in Deo esse, uiuere ac moueri adolescentes sciant, seq; ac uitam suam assiduis gemitibus ac uotis filio Dei protegendam commendent, quod & hic LAVRENTIVS toto morbi tempore, quo decubuit, uotis fecit ardentissimis. Quare non dubitamus, eum ad æternam consuetudinem Dei translatum lætari, se miserijs & fragilitate uitæ huius ærumnosæ tàm citò perfunctum esse, & nunc corām sui conspectu & uoce filij DEI, & dulcissimo-

rum parentum, quos paulò ante præmissos tanquàm orphanus desiderio ingenti requisiuit. Fiet autem huic LAVRENTIO funus hodiè hora XII. ad quod honorificè deducendum, ut Magistri, Doctores, Professores & scholastici omnes frequentes ante ædes paternas conueniant, uel sola eos memoria et ingentia erga hanc scholam merita patris Viri clarissimi hortentur ac moueant. Qui enim doctrina, uirtute, pietate uir opt: D. Iacobus Milichius excelluerit, quantum Academiæ, dum uiueret, ornamentum ac præsidium fuerit, quibus ille officijs ac studijs publicè prodesse ac priuatim benefacere quàm plurimis studuerit, meminisse speramus plerosq; qui uiuentem nouerunt. Et quidem memoriam eius, ut præceptoris optimè de nobis meriti, apud nos ætas nulla delebit aut extinguet. Propter hunc ergò ut funus filij cohonestent, qui ad Iurisdictionem nostram pertinent, quanto debemus ac possumus studio singulos & omnes hortamur: Et oramus toto pectore filiũ Dei, Dominum Iesum Christum, ut nos omnes clementer in his periculis seruet ac protegat.

PP. 28. Nouemb: Anno 1566.

IN PRÆLECTIONEM DECIMI SEXTI LIBRI Odysseæ Homeri.

Deci-

Decimus sextus liber Odysseæ Homeri, cuius interpretationem ad proximum diem Iouis, Deo auxiliante, incipere decreuimus, inter cætera lumina continet locum, ubi describitur primus congressus & colloquium inter patrem & filium, qui post exactos uiginti annos mirabili casu conueniunt, Pallade ita rem dispensante, cui Poëta suam Oeconomiam attribuit, ibi mirum uideri potest, qui fuerint uultusq; gestus, quæ animorum commotiones, qui deniq; sermones, & hæc omnia ab Homero tanto artificio effinguntur, neq; nerui eum in his diuinis naturæ motibus exprimendis destituunt. Apelles cum Iphigeniam ad aram duci pingeret, comitante toto principum cœtu, Et in singulorum uultu peculiares quosdam commiserationis ac doloris gestus expressisset, Postremo loco uenienti Agamemnoni patri faciem uelo obducto tectam pinxit, significans se neq; tantum ingenio uel manu ualere, ut paternum affectum in tali casu assequi uel exprimere posset, Proinde se texisse, ut pro se quisq; ipse apud animum magnitudinem & uehementiam huius affectionis expenderet, Et nostrum Senecam in Tragœdia quamuis alioqui satis eloquentem, grandem & subtilem, tamen nonnunquam in ultimis Catastrophis, ubi præcipuè opus erat, nerui quod destituerint uidemus, Nisi fortè, sicut Apelles fecit, atrocitatem tragicorum facinorum aliquando tegendo potius, quàm aperiendo indicare uoluerit,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000100

Quale hoc est in Thyeste, cui cum filiorum ca-
pita, manus & pedes, quorum carnes patri in cœ-
na propositæ fuerant, ostenderentur, nihil aliud re-
spondet, quàm, agnosco Fratrem. significans et ipse
& Poeta se magnitudinem doloris uerbis exprime-
re non posse. At noster Homerus in contraria af-
fectione, & ea in humanis rebus ut multo rariore,
ita etiam ad eloquendum longè difficiliore, elo-
quentiæ neruis, quanta ea in homine esse potest,
non destituitur, Sed ita pingit, ut te ipsum natu-
ram, & storgas, sicut diuinitus conditæ sunt, &
humanæ naturæ insitæ, planè uiuis uerisq; colori-
bus expressas, & oculis & mente cernere putes.
Quis igitur doctrinæ atq; humanitatis amans, non
miro quodam amore afficiatur hæc cognoscendi ac
uidendi? Ad picturas Apellis spectandas non tan-
tum Vulgus concurrisse dicitur, sed etiam summi
Principes & Reges, inter quos et Alexander Ma-
cedo Victor orbis, sepè singulari studio spectatum
uenire consuerat, Qui, (ut hoc etiam addam) cum
in picturis quædam imperitius reprehenderet, ue-
recundè & comiter admonitus fuit ab Apelle, ut à
talibus reprehensionibus, posthac abstineret.

Nam cum primum, inquit, intrares admirabantur te pueri mei, qui colores terunt, propter purpu-
ram et regium splendorem, Nunc uerò incipiunt
deridere atq; contemnere, propter insciti am, quod
ea reprehendis, quæ non intelligis. Cum igitur tan-
ta ad-

tæ admirationi fuerint illæ picturæ, quibus tantum
corporeæ figuræ, utcunq; expressæ erant Quanti à
nobis fieri debent Homeri imagines, quæ animos,
quæ naturam ipsam, quæ deniq; humanitatem, sicut
diuinitus condita est, suis uerisq; coloribus expri-
munt? Ergo non pigeat scholasticos Doctrinæ hu-
manioris amantes ista cognoscere. Mea fides & di-
ligentia, ut fert hæc mea senilis imbecillitas, non
deerit auditoribus. Oro Deum æternum Patrem
ut pacem, tranquillitatem, & salubrem aërem nobis
clementer concedat, ad hæc studia Ecclesiæ & Rei-
pub salutaria colenda, ut à nobis docentibus & uo-
bis discentibus ea fiant, quæ grata sunt Æterno &
Clementissimo Deo, per Christum filium ipsius
Amen. Calendis Decembris. Anno 1566.

Vitus Vinshemius
Senior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VTinam grata mente agnosceremus et celebre-
remus cum alia beneficia Dei, tum uero hoc
quoq;, quod immensa misericordia & bonitate
seruat hoc tempore nostrum agmen scholasticum,
ne totum peste diuellatur, ac dilabatur, cum qui-
dem paulo ante uniuersalem eius dissipationem su-

bitò metueremus. Ita in ira & misericordiæ Deus recordatur, & non facit furorem iræ suæ, nec accendit eam totã, ut doctrina utilis & necessaria in nostra schola & Ecclesia tradi ac percipi possit. Agnoscunt autem aliqui hoc ingens Dei donum, eoq; cum gratitudine pia ad Dei gloriam & suam utilitatem rectè utuntur. Verum inueniuntur alij nonnulli in nostro cœtu, qui inter media funera nostra, & uicinorum nostrorum, & inter alias ærumnas ac calamitates horum temporum innumerabiles, uerè Sardonium rident risum, & hoc quolicunq; nostro statu ad animi sui prauas cupiditates & cæcos impetus abutuntur.

Et accessit hactenus ferocia ac petulantia etiam militum quorundam, qui aliquos ex ciuibus, & nostro ordine læserunt, cui malo omnino, pro muneris et officij nostri ratione quantum fieri potest, sit occurrendum. Significamus igitur Academiæ nostræ ciuibus, præfectum militum habita seria & grauissima cũ senatu Academiæ deliberatione suos expressa formula iuramenti denuo obligasse & severe imperasse, ne quocunq; modo uel tempore, nedum nocturno in nostro oppido tumultuentur, aut quemquam iniuria afficiant, aut lædant, sed sese intra metas muneris sui contineant. Aq; hanc quidem & Illustriss: Principis nostri Electoris &c. & suam uoluntatem planè declaraturus est, & in pœnarum seueritate quas pro modo delicti in autores proximi tumultus, & quotiescunq; deinceps iusta querela

querela de quo cunq; milite ad eum perlata fuerit, severè statuet. Ideò ut nos quoq; testemur, nobis quietem & incolumitatem huius Ecclesiæ & scholæ curæ esse, nunc iterum serio mandamus, & uehementer etiam atq; etiam hortamur & obtestamur nostros scholasticos, ut præstent uirtutis & pietatis officia & ipsi modestè, maneant domi in necessarijs studijs & pia precatione, ac omittant & uitent omni modo cuiuscunq; generis aut temporis tumultus, nec sese obijciant aut pestis aut digladiationum cum militibus periculis, Cumq; aliqui sub prætextu Musici exercitij in multam noctem circumcurrerint, & hoc etiam modo causam afferant rixis & digladiationibus: Atq; aliqui etiam honestè & sine molestia aliorum exercentes eam artem, tamen in pericula, citra ipsorum meritum & culpam incurrant, ut res aliquoties ostendit: Et alioqui difficile sit discrimen constituere, noctu præsertim, eorum, qui modestè in Musicis periculum faciunt, & qui ea arte abutuntur, ad interrumpendam aliorum quietem & turbas concitandas: Paterne prorsus monemus, ut hoc saltem periculoso & tristi tempore abstineatis ab illa musica, quæ in tenebris exercetur, Et uestra & aliorum pericula consideretis, Quæ quidem grauiora imminent, quam aut uoce nostra exprimi, aut numero comprehendi posse uidentur. Temporis præsentis status & ratio, rebus lætioribus locum esse nunc ut

mus non finit, & si qui in hac mœsticia publica, & communi Ecclesiarum & patriæ suæ calamitate non preces & suspiria fundunt potius, quam ut intempestiua Musica obstrepere laborent, Hi perinde facere uidentur, ac in Æsopi fabulis Cochleæ, quæ ad ignem appositæ, canere, accensis domibus suis putabantur. De populo Israëlitico, qui læto & tranquillo patriæ tempore in Dei honorem & laudem, Musicæ piæ & compositæ operam dare consueuisset, canit Psalmus, Quod in Babylonica captiuitate sepositisset illa instrumenta ad læticiam comparata, nec in calamitate sua ijs uti amplius consueuisset, Ne Ethnicis in seruitute sua cachillare, aut in calamitate superbire & ridere miserias suas crederetur. Nos etiam nunc si tantum lachrymarum funderemus, quantum undarum pleno alueo uehit noster Albis, non satis deplorare possemus Ecclesiæ & Reipub. detrimenta & calamitates. Dolendum est igitur, non flecti ad modestiam & precationes & ad domandos errantes impetus plures. Ac profecto qui non mouentur horum temporum tristissimis spectaculis, ut timeant Deum, omnibus rupibus et scopulis in Caucaso sunt horridiores et duriores. His proponimus cogitandam grauissimam concionem & fulmen filij Dei: Nisi POENITENTIAM egeritis, omnes similiter peribitis. Et Iob inquit, uerebar omnia opera mea, sciens quod non parcis delinquenti: Ac Psal: inquit. Non uolens iniquitatem

tues, Metuamus igitur uindicem Deum, & priuatæ & publicæ salutis atq; tranquillitatis causa, regamus mores et uitam nostram seuerius ac honestius. Nos quoq; nostro loco officij nostri memores erimus, ac in tumultuum autores, si qui fuerint deprehensi, ea seueritate, ac pœna animaduertemus, quæ in legibus nostris expressa est grauissima. Te uero fili Dei Domine IESV CHRISTE toto pectore precamur, ut sis in medio nostri, et umbraculum ac custos huius Ecclesiæ & scholæ nostræ, ac depellas à nobis Diabolos, qui Bella & Venena spirant, ut multa tibi inter nos fiant et dicantur grata.
PP. Die III. Decemb: Anno 1566.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

OMnium quæ unquam in genere humano acciderunt operum, summum ac maximũ est, incarnatio unigeniti filij Dei, qua ante annos Mille, quingentos, sexaginta & septem, assumta & unita sibi, sic uolente patre, cum sua tum Spiritus sancti efficacia inenarrabili, in utero matris Virginis massa naturæ nostræ, homo natus est, & uenit in hunc mundum Dominus ac redemtor noster Iesus Christus: Hanc ut inde usq; ab initio uotis ardentissimis expetiuerunt & optarunt sancti & electi

omnes: Et cū nunc facta est, Angelorum sanctorum exercitus, prospicere in hanc gestientes, & cœlo erumpentes primi nunciarunt, ac læti celebrarunt: Ita non dubium est, illam ipsam filij Dei ad nos missionem & mirandam in incarnatione ipsius humiliationem, fore in tota æternitate, post præsentem intuitionem ipsius diuinitatis, & arcanæ trium personarum unitatis aspectionem, argumentum præcipuum et summū sapientiæ, considerationis. Letitiæ et celebrationis ardentissimæ in angelis et hominibus beatis. Nam cunc & causas mirandi huius operis omnes, plenissimè exponet filius Dei. Et nos coram eum uno cum patre æterno & Spiritu sancto intuentes, non solū intelligemus has ac perspiciemus penitus, sed læti bonis æternis omnibus fruemur, quibus parandis & acquirendis opus hoc consilio tam mirando institutum ac peractum est. De hac cogitantes futuræ æternæ Academiæ sapientiæ, lætitiæ ac celebratione, tanto maiore nos studio atq; alacritate ad lætitiam ac celebrationem operis tanti excitemus, quoties in hac uita memoriam eius repeti ab Ecclesia, & inculcari rudibus atq; explicari utcunq; in festis his annuis audimus. Cumq; ad æternam illam cœlestis scholæ societatem ac celebrationem non sit aditus futurus ullis, qui in hac uita initia huius sapientiæ non didicerunt, lætemur & hoc præcipuo ac summo huius uitæ bono, Quòd uocati ad Ecclesiæ ueræ societatē, cuius summus eorum

agminum

agminum, in quibus sapientia hæc animis gratis docetur, discitur ac celebratur. Et quamuis exigua sunt et infirma hæc docentium ac discentium agmina, sunt et initia sapientiæ huius, quæ discere aut sonare in hac uita possumus, perexigua, & multa adhuc caligine, imperfectione & infirmitate nostra impedita, similia prorsus infantium ac lactentium uocibus ac præconijs, Contra uerò maxima hominum & multitudo est, & furores horribiles, quibus sapientiam hanc oppugnant, & cum filio Dei belligerantur, ut de utroq; sæpissimè uox diuina monet. Tamen neq; paucitate aut utilitate nostra, neq; hostium aut furorum Christo aduersantium multitudine aut potentia moueamur. Sed eò ipso magis hāc sapientiam amemus, ac gratis mentibus rectè discamus & sonemus, ut cum pauci simus & infirmi, collati ad hostium ac contemtorum multitudinem, à nobis tamen filius Dei rectè agnoscatur & ueris laudibus cū patre æterno et Spiritu sancto celebretur, Lætemur toto pectore quàm longissimè nos ab illa multitudine dissentire & abesse, quæ cum filio Dei bellum gerit. Qualis est longa series hæreticorum & fanaticorum hominum omnibus temporibus, qui uocem ac sapientiam diuinam de hoc mirando opere patefactam ac commendatam Ecclesiæ, & multo sanctorum labore & sanguine defensam, & rectè explicatam atq; obsignatam, mendacijs, præstigijs aut furoribus suis corrumpunt et contaminant,

Aut

Aut qui pios Ecclesiæ cœtus, laudes filij Dei rectè & uerè sonantes quoquo modo turbant, distrahant & dissipant. Telum ululatibus blasphemis in Filium Dei, opponamus nos uerum & ardens sapientiæ huius discendæ ac sonandæ studium ac desiderium. Quod quidem tunc & crescat & sit ardentissimum, cum in festis solennibus ab uniuersa ad Ecclesia in cœlo & in terra, haud dubiè communibus uocibus repetitur ac celebratur. Osculemur, ut Psalmus monet, Filium, hoc est, uera cum reuerentia ac desiderio excipiamus, sitq; reuerentiæ huius testificatio assidua & ardens huius Filij inuocatio, gratiarum actio, pietas & modestia in moribus. Et quidem tunc propter publicas Ecclesiæ miserias, præsentes & imminentes dolorum nostrorum cum sanctis συμπάθεια ac societas. Ac de miserijs Ecclesiæ cogitantes, etiam causas harum quæramus, deploremus, & quantum in nobis est, auertere studeamus.

Crescit in dies & procedit, proh dolor, potentia barbaricæ, blasphemæ, immanis & obscenæ gentis Turcicæ, & uastitatem facit Ecclesiarũ horribilem, qualis hoc anno in Hungaria facta est, trucidatis multis hominum millibus, multò plurib⁹ in captiuitatem tristißimam abductis. Crescunt apud Pontificios odia erga has Ecclesias, & crudelitas in pios ac rectè de Deo sentientes horribilis.

Sunt

Sunt; intenti illi in occasiones omnes, quibus Ecclesias nostras opprimant ac deleant fanatici. Passim homines miseri fame conabescunt, Aut conciliijs uenenatis ubiq; locorũ regnantibus, concidunt. Nunc quoq; Panici in Germania motus, & dissensiones principum intestinæ nouas Ecclesijs æramnas, & pericula non dubia nec leuia minitantur, πάσῃς γὰρ ἐκκλησίᾳ, ut olim dicebatur, ἐς ἑκάστοτε καιρὸν ὅμοια φέρει. Tantarum miseriarũ esse causæ sunt aliquæ, tristis in maxima multitudine securitas, ἀσέλγεια, luxus, rapinæ, furta, auaritia omnium ordinum, βδελυγμία & ignauia principum, & alia populi & principum peccata. Tamen haud dubiè potiores ac magis efficaces earundem causæ sunt, hæc nimis uulgata & latè grassantia peccata apud pontificios & alios. Quòd manifestorum errorum defensione, & parricidijs sanctorum contumelia Deus afficitur, Quòd obruta ueritate passim crescit petulantia ingeniorum ceuissim, quæ doctrinæ sinceritatem corrumpunt, Quòd passim furores blasphemiarum damnatarum uelut ab inferis reuocantur, Quòd negliguntur à potentibus studia doctrinæ, Quòd nulli his Ecclesijs curæ sunt, quibus omnibus collapsis aut extinctis, etiam honorem filij Dei immunui atq; obscurari necesse est. His & alijs similibus peccatis magnis, attrahi miserias & pœnas tristes non dubitemus, Nec nos ipsos ἀναμαρτήτους esse putemus,

etiamsi

etiamsi ab erroribus, Idolis & blasphemijs damnatis Ecclesiæ nostræ repurgatæ sunt. Itaq; causis miseriarum agnitis, emendemus nostra peccata, & ueris gemitibus Deum inuocemus, ut propter filij sui nomen, & propter suam gloriam nobis & a[illegible] seriùs leniat. Vitemus summa uigilantia & [illegible] contagia blasphemiæ Mahometicæ, Arianæ, [illegible] satenicæ, Ebionæ & similium, ex quibus constatum est atq; constitutum terribile hoc & cunctis gentibus formidabile regnum Mahometicum ac Turcicum, inimicum Filio Dei, & nomini Christiano. Id etsi uerum fuit postremo mundi tempore exortum esse, Et tanto tempore successisse, uictorijs & uiribus tantis florens, confessum & procedens tolerari à Filio Dei posse: Tamen non dubitemus puniri hoc tanquam flagello Dei ob alia omnium gentium peccata & Idola, atq; impia mis Idolum pontificium Missæ, tùm uerò & has blasphemias, quæ omni tempore aduersus Filium Dei sparguntur. Nam imperij Mahometici ut ea tuba fuit prima & præcipua blasphemia Ebionea, quam postea Samosatenus, Arrius & aliæ furiæ repetiuerunt: Ita certò statuamus attrahi triste hoc flagellum regnis ac gentibus ijs uniuersis, in quibus similes furores sparguntur ac defenduntur impunè, Quales ingenti cum dolore nostro spargere audimus in uicina Polonia, Vngaria & alibi Valentinum Gentilem, Blandratam Italum, & alios horum

rum socios, gentium totarum[illegible] alastores. Horum ergo atq; aliorum omnium, qui Filium Dei oppugnant, furores uitemus ac detestemur. Doleamus affici contumelia Filium Dei, & attrahi pœnas totis gentibus. Afficiamur dolore piorum, & gemitus cum his nostros coniunganus. Nos etiam cogitatione doctrinæ ueræ & testimoniorum diuinorum de Filio Dei muniamus, & assidua eius inuocatione confirmemus: Vtq; inuocatio fieri & ostendi possit, mores modestè regamus, simus sobrij, iusti, casti, ueraces, benefici erga pauperes uerè egentes, & tanquam in procinctu stantes, propediem iam redieurum filium Dei læti expectemus atq; exosculemur.

De tantis rebus in his Festis cogitandum, et his animis ad templa & cœtus sacros accedendum esse sciamus. Nec ambiguitate ulla teneamur, si animis talibus ἐσχατέζειν studebimus, adfuturum nobis deinceps Filium Dei, & pœnas ac miserias omnes benignè mitigaturum & auersurum esse. Scitis uerò λόγον eum esse & ἐξηγητὴν arcanorum omnium, quæ de Deo sciuntur, Et nunc sedentem ad dextram patris, dona dare hominibus in perpetua conseruatione et propagatione uocis semel à se prolatæ, missis subinde doctoribus idoneis, qui hanc explicent, illustrent, propagent, et Ecclesiam sibi æternam colligant. Horum uoce sciamus nunc eum alloqui nos omnes,

omnes, & oratorem esse, qui in cordibus nostris ipse dicat consolationem, qui erigat, confirmet, seruet, pauidas ac perterrefactas mentes nostras. Itaq; cùm munsterium esse ut sit, sciamus id non despiciendũ, sed summo in honore habendum esse. Prædicat filium Dei Ecclesia hoc ipso festo, Angelum magni consilij, sancta appellatione ex Esaia, ab hoc missos tanquam διακόνους ἐγγέλους ac legatos nos alloquentes, ac consilium nobis idem cum cœlesti angelorum exercitu nunciantes atq; enarrantes, uenereмur.

Quare ut gratitudo nostra aliqua conspiciatur, præcipimus ut more Ecclesiæ huius, cras ad aram singuli munuscula sua offerant, quæ signum sint gratitudinis & reuerentiæ erga hos Angelos huius magni legatos ac nuncios: Offerant uerò & uota & gemitus suos singuli, ut clementer nos seruet, regat, doceat, ac protegat Filius Dei, nec sinat diuelli factum nobiscum fœdus, cuius incarnatio ipsius testimonium est euidentissimum, Sed ut sit & maneat in nobis, & nos in ipso in tota æternitate. Hæc uota ut fieri possint præcipimus auditoribus & scholasticis nostris uniuersis, ut sobrij sint hoc tempore & modesti, uitent circumcursationes, clamores, ac tumultus omnes nocturnos ac diurnos. Si qui petulanter contra fecerint ac deprehendentur, seuerè hos puniemus. P. P. in die, quo repetitur memoria nati Domini nostri Iesu Christi ex Maria

Maria Virgine initio anni 1567. Qui ut Ecclesiæ ac Scholæ nostræ, atq; adeo Germaniæ uniuersæ, totiq; orbi Christiano faustus, fœlix ac salutaris ueniat ac decurrat, toto Deũ pectore oramus. Amen.

PRECATIO AD CHRISTVM.

CHRiste Dei soboles, æterni Patris imago,
Cuius parta mihi munere, uita, salus.
Respice me, nimia peccati mole grauatum.
Sed me luminibus respice quæso tuis.
Istis luminibus, quibus illum CHRISTE notasti
Esse suum, qui te uoce negabat, herum.
Illum quæ lachrimis lustrans, tergensq; capillis
Detulit ad sanctos oscula fida pedes.
Deniq; quibus illum uidisti fronte serena,
In Cruce qui tecum triste pependit onus.
Ecce meum crimen tristi me destinat Orco,
Et sine te non est, qui ferat alter opem.
Peccaui fateor, peccaui terq; quaterq;,
Et mea tam multa est culpa, ut arena maris,
Sed tua peccati destruxit Gratia regnum
Vltima spes miseris Gratia sola reis.
Ergo qui lapsis es portus & anchora rebus,
Tu mihi uictricem porrige Christe manum.
Vt cum conuerso plorem mea crimina Petro',
Et te, peccatrix sicut amauit, amem.

Vtq; tuos multus poßim & tua Templa uidere
Quæ latro fœlix Templa beata uidet.

Ioach. à Beust.
I. V. D.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia Vuitebergensi, M. Iohannes Fernarius.

ILluxit faustum tempus, quo uniuersa Ecclesia, uiuens in æterna, & uisibili consuetudine Dei, & beatorum angelorum, & ea, quæ in terris est, lætis uoce celebrat admirandum fœdus, quòd filius Dei, assumta massa nostri generis, nobiscum pacisci uult. Nec dubium est, hoc tempore Ecclesiam ecclesiam, quæ fulget sapientia, iustitia, & æterna uita, Deo in electis lucente, & eos uiuificante, supplicem filio Dei redemtori, & saluatori generis humani pro immenso amore ipsius erga naturam humanam, abiectam propter peccatum in æternam mortem & damnationem, agere gratias. Omnibus etiam ætatibus, inde usq; à nato saluatore, hoc tempus uere Ecclesiæ fuit celebre, quod prima Ecclesia augusto nomine appellauit θεοφάνια, eamq; festiuitatem hoc die Ecclesia Græca nominat γένεσιν κ) σάρκα τ̃ κυρίυ, κ) θεοῦ κ) σωτῆρος ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ. Et religiosa

religiosa nostræ Germanicæ gentis antiquitas, appellatione pia has ferias nominauit, noctes sacras, & meditationibus sanctis dicatas, cùm Ecclesiæ uetustæ mos esset instituere, hoc præsertim anni tempore, congressus de nocte, quem posteritas, etiam quietioribus deinde temporibus retinuit. Ad beatum igitur agmen uniuersæ Ecclesiæ nos etiam aggregemus, & segnes animos nostros ad tantarum rerum considerationem excitemus, & toto pectore filium Dei, ἀρχηγὸν nostræ salutis precemur, ut ipse in nobis lucem suam accendat & augeat. Ac ut ipse, qui est sapientia æterni patris, indutus nostra tenera & imbecilli massa, edit uagitus in cunis inter homines: ita ipse etiam suam sapientiam, uagientem in nobis hac languida fidei initia, prouehat, & ueritatem huius articuli in nobis obsignet.

Horribiliter Diabolus omnibus temporibus doctrinam de persona, & beneficijs filij Dei oppugnauit, ac multis blasphemijs, calumnijs & sarcasmis detrusit, ac totam Ecclesiam sonantem hanc sapientiam, immani rabie delere conatus est. Nam primus blasphemus, & parricida Cain, filio Dei, & beneficijs ipsius maledixit. Deinde in furoribus Ethnicorum, constituentium noua numina, & impudentissimos atq; obscœnos cultus, cernitur Diaboli audacia, & rabies. Terribilia etiam deliria hæreticorum, Samosateni, Arij, & aliorum, detrahen-

tium filio Dei gloriam diuinitatis, tantùm fuerunt vilulatus Diabolorum, insultantium Christo, & lacerantium personam, & beneficia ipsius. Tandem verò regnum Mahometicum expressè constitutum est, ut hunc articulum in genere humano deleat, et omnes, qui Arij cloacam execrantur, jugulet. Sicut tamen inde usq; ab initio conditi mundi, Diaboli insania est repressa, et aliquæ reliquiæ veræ Ecclesiæ, quæ dominum nostrum Iesum Christum rectè agnouerunt, & celebrarunt, conseruatæ: ita seruabit sibi etiã deinceps, aliquod semen sanctum in genere humano filius Dei, usq; ad iudicium, ne totũ genus humanum fiat blasphemum, & ruat in æternam damnationem.

Auditis autem aliàs testimonia, tribuentia huic personæ diuinitatem, & docentia de beneficijs ipsius. Ac dulcissimè dictum est ab Irenæo: Semper assuit generi humano ὁ λόγος. Iste Christus, natus ex aluo virginis, est illa persona, quæ affata est primos parentes, luctantes cum pauoribus æternæ mortis, quibus reddidit uitam & iusticiam, alloquens eos foris, uoce promissionis, & intus in corde retrahens eos ex media morte in uitam. Ista persona seruauit Noë, & Ecclesiam natantem inter undas, fuit accepta hospitio ab Abraham, sua manu incendit incestam Sodomam, conspecta est in scala, luctata cum Iacob, texit Ioseph puerum & exulem, Mosen

Mosen seruauit in aquis, traduxit populum Israël per undas rubri maris, gubernauit manus Iosuæ, Gedeonis, Dauidis præliantium, conspecta fuit in fornace Babylonica. Assumta deinde massa humana, conspecta est inter homines uisibili specie, passa est, & resuscitata sedet ad dexteram æterni patris, ut perpetuò excerpat sibi in mundo Ecclesiam, quæ Deum uerè agnoscat, & inuocet. De ueritate igitur huius articuli, omnibus ætatibus uera Ecclesia dimicauit acerrimè, & Diaboli furores constanter refutauit. Sicut aliàs audiuistis, testimonia illorum, qui ætati Apostolorum fuerunt uicini, Gregorij Neocæsariensis, & aliorum.

Nunc etiam in Ecclesia Græca retinetur hymnus, quem ipsa nominat Τρισάγιον, *eumq; ut scribunt Basilius & Nicephorus, per manus tradiderunt Apostoli, qui illustre testimonium dicit de diuinitate filij Dei. Prodest igitur cum iunioribus notum esse:* Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης, ἀθανάτου πατρός, οὐρανίου, ἁγίου μάκαρος Ἰησοῦ Χριστε, ἐλθόντες ἐπὶ τὴν ἡλίου δύσιν, ἰδόντες φῶς ἑσπερινόν, ὑμνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, θεόν. Ἄξιος εἶ ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι φωναῖς αἰσίαις, υἱὲ θεοῦ, ζωὴν διδούς. Διὸ ὁ κόσμος σὲ δοξάζει. *O augustum lumen, sanctæ gloriæ, immortalis patris, cœlestis, sancti, beati, Iesu Christe, cum peruenerimus*

mus ad ſolis occaſum, & intueamur veſpertinum lumen, laudamus patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, Deum. Dignus es, ut in omni hora ſanctis vocibus celebreris, filij Dei, qui das vitam. Ideo mundus te glorificat. Hanc piam vocem nos etiam, qui verè veſperam, & occaſum mundi attigimus, pijs animorum motibus ſubſequamur. Precemur, ut ipſe filius Dei, qui eſt ἀπαύγασμα æterni patris, & λόγος, in nobis luceat. Ipſe induit noſtram maſſam, ut nos in ea geſtet & ſeruet. Propaget igitur in nos radios ſuæ lucis, egredientes ex pectore æterni patris, & ſparſos in λόγον, & in humanam naturam Chriſti, per quam, & in qua ὁ λόγος eſt efficax, per eundem Spiritum aggluti-nans ſibi electos, & accendens in ipſis ſimilitudinem illarum rerum, quæ lucent in natura glorificata Chriſti. Sic igitur ſegregati ab impia, & blaſphema caterua Diabolorum, uniti vero cœtui, cuius duces, & præcentores ſunt ſancti & caſti Angeli, canamus Deo gloriam, celebremus ſapientiam & bonitatem Dei, oſtenſam in ordine redemtionis, quæ omnium creaturarum intellectum ſuperat: toto pectore lætemur, petentes à filio Dei, ut flammas ſubſtantialis amoris & lætitiæ ſui Spiritus ſancti, in nos effundat, ut vera fide acquieſcentes in ipſo, præſentiam ipſius, in mente & corde noſtro, experiamur, & perpetuò ipſi adhereamus.

Vt autem prima nox de nato Chriſto fuit perlata

lata ad paſtores, ut ſignificaretur paſtores & doctores in Eccleſia & ſcholis, debere eſſe cuſtodes, & propagatores huius ſapientiæ, de perſona & beneficijs filij Dei: ita nos quoq; uocem ueræ doctrinæ de Chriſto noſtro loco cuſtodiamus & propagemus. etſi magna, & noſtra, & horum temporum eſt imbecillitas, ac miſeria.

Ideo mihi, cui nunc pars aliqua publici oneris, in hac Academia incumbit, ſæpe obuerſatur imago ſancti doctoris, & lectoris in Eccleſia, & ſcholis oppidi Capernaum Iairi, cùm et is Decani munus ferè ſuſtineret. Iucebat & ipſe inter magnas Reipue: confuſiones, circumacta iam regni Iudaici periodo, & domi etiam ſæpe oppreſſus ærumnis grauiſſimis. Vt tamen ille ipſe Iairus, non ſolum nomine, ſed reipſa etiam luce cœleſti perfuſus, remedia dolorum ſuorum, et auxilium apud amicum, & ciuem ſuum Chriſtum, quæſiuit, & ſupplex proſtratus ad pedes Chriſti, ipſi ſalutem morientis filiæ commendauit: ita & nos, quos Deus ad gubernationem ſtudiorum uocauit, unà cum toto cœtu piorum auditorum, uota facimus, ut Filius Dei, qui aſſumta noſtra natura, dulce & amicum fœdus nobiſcum pepigit, miſereatur languentis, & triſtis filiæ, & Academiæ noſtræ, ſeruet & erigat eam, porrigat nobis ſuam uiuificam dextram, regat & defendat cœtus docentium & diſcentium, & ab

his noſtris nidulis uaſtitatem, & letalia contagia arceat. Vt etiam ipſe filius Dei, amicus lairi, & centurionis, qui Synagogam Paſtori & auditorib. extruxerat, utriq; beneſecit: ita clementer ſeruet, et tueatur Illuſtriſſ. Principem, Electorem noſtrum, qui in hac temporum mœſticia, & rerum confuſionibus, huius ſcholæ beneficus eſt προφεύς, quam uerè Auguſta liberalitate ſouet, & ornat. Igitur hac ſpe auxilij diuini, & uoluntate Dei confirmati, & nos operas ſcholaſticas faciamus, ac doctrinam utilem & neceſſariam, in uocatione noſtra propagare ſtudeamus. Ideò ſignifico auditoribus noſtris, nos ueteri more inſtituturos eſſe examina, & daturos teſtimonia ſtudiorum illis, qui progreſſus laudatos in diſcendo fecerunt. Ea igitur, qui à Collegio noſtro petere uolent, ueniant ad me intra quatuordecim dies. Non deerit illis officium noſtrum, & ſtudium, quod honeſtis & doctis debetur. Datæ die diſcipuli, quem diligebat Dominus, qui nos etiam complectatur ſuo gremio, & foueat in illo cœtu, qui ab ipſo diligitur & ſeruatur, donec ueniat. Initiò anno 1567.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

EX calamitatibus ijs quibus populi tolluntur & terræ uaſtantur, tres nominantur ab Ariſtotele

ſtotele, & magnam quidem & celerem uaſtitatem afferentes, quæ ſunt, ut ipſe loquitur, μέγιστα κὴ τάχιστα ἀπόλλυσι κακὴ φθοραὶ ἐνθνῶν, πολεμοὶ νόσοι, ἀφορίαι, Bella, morbi & exſolo prouentus nullus, quæ ſterilitas eſt, & inde frugum inopia & famis cauſſa, Plato addit his conflagrationes ſeu incendia & aquarum eluuiones, quibus & ipſis ingentia damna dantur rebus humanis, ſed & ſupra nominata tria mala atrociora ſunt, & plus uaſtant, ſiue uehementer, ſiue paulatim graſſentur, & ſacræ literæ, bellum, peſtem, & famem nominant, quibus ut præcipuis pœnis hominum peccata Deus in terris perſequatur, Nam etſi ſecundum Tragœdiam.

Neq; tàm terribilis ulla fando oratio eſt,
Neq; ſors neq; ira celitum.inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat:

Vt uetus Poëta græca interpretatus eſt: tamen indicata mala grauiſſima ſunt, ex quibus hoc tempore ſimul duo affligunt communem patriam, & tertium metuitur, de non incertiſſimis argumentis, Peruagati ſunt morbi ἐπίδημοι Germaniæ diuerſas oras, atq; in multis regionibus harum maximas ſtrages ediderunt graſſatione ſua. Rheni accolas per continuum fermè triennium depopulatæ ſunt contagiones mortiferæ, & Saxoniam inferiorem,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000111

& Littus Baltbicum, atq; ſeptentrionem ferme totum, quæ poſtea propius ad has terras, & bis uicinas acceſſerunt. Conſtat multis in oppidis ſenes tantum, & pueros relictos, & qui in conſiſtente ætate fuerint, peſte ſublatos eſſe, atq; hoc modo publicis & priuatis rebus præſidia ſubtracta, pagos etiam complures prorſus uaſtos eſſe, incolis alicubi omnibus, alicubi max. ex parte ſublatis, & ſuperſtitibus deſerentibus loca infecta. Ad numerum autem eorum, quos contagiones domi ſuſtulerunt, ſi addantur ij, qui in expeditione Vngarica & caſtris ad Danubium, Hemq; belli, ſeptentrionalibus mori, terra, peſte & gladio perierunt, incredibilis multitudo conſumabitur. Atq; Germaniam non quidem exhauſtam, minimè tamen abundare tam equeſtri & pedeſtri milite multa docent. Adhæc iam accedunt noui motus, quorum cauſſa Illuſtriſs. Princeps noſter in hoc oppidum præſidium aliquanto maius et firmius, q̃ priſtinum fuit, collocaturus eſt, id quod iam agi ante oculos eſt. Quoniam uerò & ipſum cum dolore animo noſtro, non poſſumus non mouere eorum, quæ hactenus acciderunt, ideo in ſalutis tudine paterna de ſalute ſcholaſticorum noſtrorũ exhortamur, et edicimus omnib. ſubiectis Iuriſdictioni ſcholaſticæ, ne quis deinceps à ſe ullam cauſſam eo modo afferat, qua turbari quies communis poſſit, tali præſertim Reipublicæ tempore, Idem præſidiarios etiam facturos confidimus, eũ qui præfectus eis eſt capitaneus, Vir ſit intelligens & diſciplinæ

amans, qui & iamdiu à ſe perhumaniter nobis poſlicetur omnia, et diſciplinã inprimis ad ſuos militarem, ut nos etiã niſi ſcholaſticã noſtram præſtemus, turpiſſimum id nobis & odioſiſſimum ſit futurum.

Diſerte autem mandamus noſtris ne quis uallum ullo tempore aſcendat, nocturno inprimis. Deinde ne quis intra uel extra oppidum ſclopis ſeu bombardis utatur, cum militares excubias noctu & interdiu his perturbari neceſſe ſit. Tertio ne conuiuia aut compotationes intempeſtiuæ uſurpentur, & in noctem producantur, ſed ut unusquiſq; tempore, quod legibus ſcholaſticis præſcriptum eſt, domum ſe conferat, neue poſt illud tempus, niſi maxima neceßitate allata in plateis quisq̃ obuerſetur. Triſtia ſunt et formidoloſa tempora, quæ pietatis et precũ ſtudiũ flagitant. Ab externis et inteſtinis cauſis pericula impendent Germaniæ ingentia, quæ ſi opib. et uiris exhauritur, patebit nimirũ externis hoſtibus, Republica aũt periclitante aut collabente, qui priuatas ſuas res tutas aut ſaluas eſſe ſperat, nimis eſt imperitus rerũ humanarum, quorũ igitur humeris publicam rem & ſalutẽ incumbere intelligimus, ijs publicè et priuatim bene precari nos par eſt. Neq; à contagionib. periculum omne abijt, ut qui in Academia noſtra iam hærent, ijs quid præter pietatis et literarũ atq; doctrinæ ſtudia, gratũ iucundumue eſſe poßit, non uideamus, et tam præſidij quam contagionum reſpectus cœtus hominum promiſcuos fugiendos eſſe docet. Præterea cum hoc tempore inſtituto

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000112

institutio Academiæ eleemosynæ colligi ad sustentandos ægrotos scholasticos in valetudinario nostro soleant, commonefacimus omnes nostros eius officij, quod pietati & societati humanæ, atq; conditioni communi debetur, in subleuandis pauperibus. Quantos sumtus impenderit ad curam ægrotorum & pauperum nostrorum his non multis mensibus ærarium nostrum, et æstimari et cognoscere etiã in promptu est, & tamen contagionum epidimiæ ita leues fuere hactenus, ut ne copisse quidem adhuc uideri possint, Atq; decretum factum iam est de domo nona, quæ paulo post ante oppidum ad usus talis nostrorum extruatur, sed publica beneficentia nisi de priuatis contributionibus esse aut durare nullo potest, Itaq; suo loco unumquemq; rebus communibus prouidere & copia consulere oportet, id quod omnes bonos & pios (quod genus inhumanum esse non potest) præstituros confidimus sicut enim pietas uniuersa, ita hæc etiam erga pauperes beneficentia, huius & alterius uitæ præmia habet. P P. *pridie* Id. Ianuarij. Anno 1567.

OMNIBVS LECTORIS IN CHRISTO IESV SALVtem, ac felix huius Anni aspicium precatur Georgius Maior.

SÆPE

Sæpè memini iam ab anno quinquagesimo quinto, quo primum nomen apud Rectorum huius Academiæ professus, & tum tener surculus (huic pingui oleæ insitus sum), cœtus scholasticos, propter pestiferam luem & bellorum motus, dissipatos, tamen singulari Dei beneficio, ut apes uentis disiectus, in dulcolos & dulces operas suas iterum collectos: Ita & hoc tempore speremus & æternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore precemur, ut apes nostras sparsas in sua aluearia recolligat. Ego autem facilius & frequentius rursus colligantur, nos, quibus harum cura commendata est, sonare & uocem edere, & quasi cymbala, quibus conuocentur, pulsare decet.

Vt igitur & ego loco meo, meum officium faciam, decreui, Deo iuuante, pergere in enarratione Epistolæ Pauli, ad Romanos scriptæ, quam Reuerendus Pater & Præceptor noster, piæ memoriæ, Doctor Lutherus, clauem ad scripturam sanctam uocat. Neq; enim quisquam in scriptis Propheticis & Apostolicis legendis feliciter uersabitur, sine huius clauis diligenti cognitione, & manebit liber, scriptus intus, et in tergo, clausus, quem solus Ieo uictor de tribu Iuda per hanc clauem, à Paulo fabricatam, aperiri, & solui septem signacula uoluit. Quare omnibus pijs hæc Epistola notissima esse debet, quæ lumen aliorum scriptorum

Pro-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000113

Prophetic orum & Apoſtolicorum, & Methodi loco eſſe poteſt ad aliàs lectiones illuſtrandas.

Agamus autem Deo gratias, qui immenſa miſericordia in hac urbe & Eccleſia hoc anno ita, ut in aliis vicinis oppidis, graſſari & ſeuire ſinit, & in ira miſericordiæ recordatur, quam toto corde precemur, ut & porrò in his ſeuientis luis & bellorum incendijs nobis adſit, et in umbra alarum ſuarum ſiue plantantes cœlos et fundantes terram protegat, ſicut ſe affuturum & protecturum nos promiſit, & hactenus protexit, cum inquit: Quoniam deſiderat me, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum, clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.

Aderit igitur iuxta promiſſionem ſuam, & docentibus, & diſcentibus, diligenter ſuas operas in fide & bona conſcientia facientibus, Dominus *inuocatus, qui & nos ab omnibus malis, per unigenitum filium ſuum liberabit, cui ſit gloria in Ecclesia per Chriſtum Ieſum, & in terra pax, in hominibus bona uoluntas in omnes ætates ſeculi ſeculorum,*

AMEN.

P P. Idibus Ianuarij:
Anno 1567.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

REpertum eſt, paulo ante cadauer hominis ad ſuburbanum prædium Quæſtoris in prætorfluente riuo, Id cum non agnoſcatur à nobis, nec ab Academiæ miniſtris, hortamur ſcholaſticos, ne ſi quis noſtrum deſideret aliquẽ ex notis amicis, aut conuictoribus egrediatur ad cadauer à longe inſpiciendũ, quod èr uo autoritate publica Magiſtratus ad Noſocomium oppidi ſuburbanum delatum eſt. Dubitamus enim an ſit ſcholaſticus. Qui agnouerint cadauer ſignificent nobis, quis fuerit, & è quæ ſit oriundus patria, & quibus antea fuerit obnoxius morbis. De mortis genere uero & cauſis uel occaſionibus ne coniecturam quidem facere illam poſſumus, Nulla enim ulla in parte corporis veſtigia violentiæ alicuius apparent. Sed cum uiſus ipſe ſit bodie à prima luce ad ripam illam obambulaſſe ſuſpicamur οὐδετω ματώδες τί ἢ ἐπιλαπτικὸν *et accidiſſe quod in magno frigore non raro euenit cerebro compreſſo, præſertim ſi redundent in cerebro humores uitioſi. Hortamur igitur ſcholaſticos ne temerè expectentur aut diuagentur in Campis dum cœlum eſt aſperius.*

Datæ 16. Ianuarij.

RECTOR,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000114

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

Commigrauit ante biennium in ſcholam nostram ex Academia Tubingenſi honeſtus iuuenis PHILIPPVS HELL Campidunenſis, cuius patrem eo in loco præcipua dignitate præditum uirum, & doctrina literarum exculeum fuiſſe accipimus. Et commendationes autem priuatas & publicum ſchole Tubingenſis teſtimonium ſecum attulit de uita & ſtudijs honorificum, quod primus in literis honores conſecutus eſſet. Optima igitur cum ſpe omnium perſequens hunc curſum ſtudiorum ſuorum, tantum in his profecit, ut hoc tempore nomen ſuum profeſſus ſit inter petitores teſtimonij publici quod in Philoſophiæ ſtudijs amplißimum dari poteſt, ut Magiſter bonarum artium publicè renunciaretur, Et hoc egit ſummo ſtudio, ut quam inſtructiſſimus à doctrina ad examinationem ueniret. Atq; ſignificatur nobis, quod intempeſtiuis ſtudijs & lucubrationibus alienis, ualetudinem ſuam ita afflixerit, ut ſubinde ex capitis doloribus laboraret & uertigine afficeretur, Cum neceſſariam ad percoquendum cibum quietem corpori non concederet, & uentriculi uirtutem proſterneret, atq; omnino in ſtudijs animo nimis ſolicito atq; anxio uerſaretur. Cum autem ualetudinis cauſſa ante oppidum

oppidum expatiari ſoleret, & idem heri etiam faceret ante prandium non procul ab oppido, & loco adhuc ſuburbano, cũ libro inambulare conſpectus ad ripam eius riui, quem alterum per oppidum fluentem diſcriminis cauſa, quod incitatius ſertur, celerem cognominant, atq; ibidem paulo poſt in riuo mortuus repertus atq; extractus eſt, ut ſuſpicio exiſtat, uel Epileptico malo correptum eoq; præcipitatum fuiſſe, uel ad uertiginem ſpaſmos acceſſiſſe, ut de tam breui uade eluctari non potuerit. In malo tamen ſubito & ignoto conſoletur nos, q, ſcriptum eſt: Iuſtus in refrigerio eſt, quicquid ei accidat, præſertim cum omnes quibus notus & familiaris fuit hic Philippus, teſtentur, quòd ingenio fuerit bono & probo & pietatem erga Deum ſuam declarauerit uitæ actionibus uniuerſis, Inprimis autem precum ſtudio minimè uulgari, quibus ſe & ſtudia ſua fideliter & frequenter Deo quotidiè commendare, & gubernationem uitæ ab hoc petere, auditus eſt. Corpus in ualetudinarium publicum ante oppidum delatum eſt, inde ad ſepulturam efferetur hodie hora XII. Vbi, indicato tempore, conuenire ij poterunt et debebunt, qui ſumus deducere & hoc ultimum officium pietatis & humanitatis præſtare demortuo uoluerint. Quod autem ſæpè alibi fieri ſolet, id in præſentia etiã hortamur ſcholaſticos, ut corporis, uitæ, & ualetudinis ſuæ rationem diligentem habeant, & hæc dona Dei eximis

mia omni ſtudio curent et tueantur, neq; uim his aſ-
ferant, non tantũ crapula te aliis modis turpiſsimis,
ſed etiam ſtudiorum laboribus intempeſtiuis & lu-
cubrationib. nocturnis. Ac eo potius modo et ordine
qui profeſsionẽ Chriſtianam decet, in his uerſentur,
atq; ita inter operas ſuas Deum inuocent, ut cum
ipſi à ſe ſtudium & diligentiam præſtent, reliqua
diuinæ uoluntati & miſericordiæ atq; Philanthro-
piæ permittant, & iactent in Dominum curas ſuas,
animoq; placido & quieto, atq; ut Paulus præcipit
ἄνευ ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ auxilium eius ex-
pectent. Filium Dei oramus, ut faciat nos uaſa
gratiæ & arceat à nobis diabolorum uim & inſi-
dias, cum in hunc mundum uenerit, ut deſtruat ope-
ra horum. P P. XVI. Calend. Feb:

IN OBITVM, VIRI ORNA-TIS: ATQVE DOCTIS: MAGISTRI GEORGII ROBELLI Ratisbonenſis, qui VVitemberga diſcedens, peſte graſſante, Anno 1566. Menſe ſeptembri, diſcipulum tunc D Eliam Schall in patriam Schemnicium usq;, quod eſt, oppidum Pannoniæ metallicum ad Carpathum eſt comitatus. Ibidemq; anno ſequenti 67. morbo correptus epidemico quodam, qui tunc inter milites in Vngaria graſſabatur XVII. Feb. mortuus eſt, atq; ibi ſepultus, Lætam expectat ſuam & piorum omnium Reſurrectionem ad uitam æternam.

Ebes

EPICEDIVM.

EHeu, tunc etiam Robelle uirente iuuenta
Funere lugubri raptus es ante diem?
Quæ tibi ſtella nocens adeò, quod ſidus iniquum,
Aut quæ ſæua citæ cauſſa fuere necis?
Iam memini, ah nimium memini, cum lætus ad Ala-(bim
Dulciſona caneret noſter Apollo lyra,
Te mihi ſucceſſus prædicere ſæpè futuros,
Fortunæq; amplas ulterioris opes,
Vtq; recordarer fidi tum fortè ſodalis:
Quàm cuperem (ſed non ſic) memor eſſe tui.
At quia Dijs aliter uiſum eſt, lacrymæq; doloríq;
Vrgent: illæ oculos, hic mihi pectus edit.
O dolor, ô lacrymæ, teſtes mihi ſitis amoris:
Nil dubitem, pro te poſſe Robelle mori?
Vana queror, neq; enim uelles in membra reuerti
Priſtina, nec ſuperas deſeruiſſe domos.
Ergo uale & ſalue, quæ ſcilicet eminus olim
Spectabas, iam nunc cominus aſtra uides.

P. Schedius Meliſſus.

IOHANNES POSO, I. V. DOCTOR, ET ACADEMIÆ Profeſſor, ſtudioſis Iuris ciuilis S. P. D.

SEmper in conſpectu ſit hæc Regula, Decalogum rectè intellectum, eſſe normam omnium

honestarum actionum, & fontem totius sapientiæ legum, quæ infinita est, & inexhausta. Inde enim extructæ sunt honestæ leges omnium Rerumpub. sed Romanæ maximè, quæ sapientia, Iusticia, Honestate, & æquitate omnibus alijs antecellunt, & cùm fundamento, si rectè intelligantur, et enarrentur, congruunt. Estq; diligentia digna & Christiano homine, & doctrinæ Iurisperito, in legum interpretatione respicere ad primam originem, & monstrare fontes in Decalogo, ut conspiciatur consensus, & uis obligationis, scilicet, quòd leges Magistratum subditos simul Deo obligent, & quòd uiolatio legum conscientiã faciat ream coràm Deo, & obnoxiam iræ Dei, atq; æternis pœnis, nisi fiat remissio. Id & ego, quo ad eius fieri potuit, præstiti hactenus, & daturus sum operam deinceps. Constitutum autem est mihi in posterum publicè enarrare titulum Codicis Iustinianëi, libro secundo, DE PACTIS, Vbi auditores initio admoneri utile est de discrimine officiorum, contractuum, pactorum. Quod facilius intelligitur, si necessaria discrimina obligationum, quæ tradit Paulus Apostolus, considerentur. Cùm enim inquit Paulus, ad Romanos, cap. 13. Nemini quidquam debete, nisi dilectionem, discernit inter obligationem ciuilem, quæ Magistratuum legibus constituitur, & naturalem, quæ diuina ac perpetua est, nec unquam cessat, (Libet enim nunc hac præcipua, ac summa distinctione

ctione uti, quæ inferiores alias omnes in se continet & propter rudiores, loqui ἁμαθέστερον, quod aiunt, καὶ σαφέστερον, Nè qui fortè obijcere possint, rectè nos quidem, sed non satis ex interpretum sententia, & minus Iuridicè locutos esse. Iis enim suã tribuimus locum, ubi tradentur opportunius.) Tradit autem duo præcepta. Primum de obligatione ciuili, quæ sancit Iura contractuum, & pactorum. Nemini quidquam debete, id est, seruate Iura contractuum, soluite creditoribus, uenditoribus, locatoribus, &c. quæ eis debentur. Reddite mutuum, & sic uos liberate obligatione ciuili. Hac soluta, non simul tollitur obligatio naturalis, seu diuina, Idcò addit alterum præceptum, de dilectione, Inquiens, nemini quidquam debete, nisi dilectionem, quæ multa officia exigit, de quibus non præcipiunt Leges Forenses, sed Lex diuina. Ciuilis obligationis finis est, cùm numeratur id, aut cauetur idonee de eo, quod ex hac obligatione debetur: Cùm id non soluitur, nascitur inde actio aduersus contractorem, qui in mora est, uel soluere recusantem. Hunc cogit Magistratus facere solutionem, aut satisdare. Ac naturalis, seu diuina obligatio manet immota, & æterna, nec circumscribitur, aut definitur certa mensura beneuolentiæ, aut certis officijs. Nam quod pro tempore præstatur cuipiam officium, nõ dissoluit, aut abolet æternam obligationẽ ad synceram beneuolentiam et alia officia, si occasio-

nes sese dent, & facultas suppetat, Sed tamen & horum officiorum statuitur modus, de quo dicit Salomon: Fontes tui deriuentur foràs, At tu Dominus horum esto. Item Paulus: Non ut alijs sit relaxatio, uobis autem tribulatio, ἀλλ' ἐξ ἰσότητος. Item: Habenda ratio maximè domesticorum. Hinc facilè intelligi discrimen potest inter officia, pacta et contractus. Propter neglecta officia nec actio à Magistratu datur, neq; exceptio conceditur. Sunt enim officia omnia opera Oeconomica, & politica, debita obligatione naturali, seu diuina. Contractus non seruati pariunt actiones. Quia in his altera persona iure, & legibus, atq; ita ciuili obligatione obstringitur, & cogitur ad mutuam compensationem, & Magistratus, si persona rea uel sit, uel fiat contumax, cogit eam reddere compensationem aut non reddentẽ punit. Vnde Græcis συναλλάγματα uocantur. In omni.n.contractu, conuentione, & consensu mutuo, constituitur obligatio, qua alter alteri fit obnoxius. Pacta non seruata nõ pariunt actiones, sed exceptiones, & liberationes, ἐπὶ τῷ συλῶαι ἢ διαλυθῆναι, id est, ad agendũ aliquid, aut transigendum, ut Græci declarant τὸ σύμφωνον. Ideo pacta obligant eos, qui consenserunt. Sunt enim pacta duorum, pluriumue in idem placitum, et consensus, hoc est, obligatio partim ciuilis est, quatenus legibus introductum est pactum, partim naturalis. Vnde rectè Vlpianus de pactis inquit, Huius edicti æquitas naturalis est. Quid enim tam congruũ fidei humanæ,

humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, seruare? Et honesta pacta seruanda esse, præcipit lex diuina. Non seruantes pacta punit Iustitia diuina, ut ostendunt historiæ omnium temporum, & illustre exemplum est in clade Varnensi. Reprehenditur Philippus Macedo, Alexandri pater, quòd, quibus potuit occasionibus religionem, & fidem pactorum uiolarit. Sic enim de eo scribitur, ὅρκους θεῶν κατεπάτησεν ἀεὶ, καὶ συνθήκας ἐπὶ πάντα ἐψεύσατο, πίστιν τε ἀτίμασε μάλιστα ἀνθρώπων. Et perfidiæ patris Philippi tribuitur, quòd in Alexandro posteritas defecit. Hinc est quod Aristoteles Alexandrum monet, & hortatur, ut pacta transactiones, & fidem datam seruet, fœdera item inita, & confirmata, alioquin finem malum secuturum esse, quod & citat, ac commendat Baldus hic. Agesilaus uerò, laudatus uir, hanc unam ob causam uituperatur, quòd impediuerit consilia compositionum. Sic enim de eo scribit Plutarch: Δίκαιος ὢν, εὐδόκει, καὶ ἀπενίει, καὶ πολέμων ἔπαυσε, τὰς μὲν κοινὰς διαλύσεις, πάντα πόνων διαλύσας. Fundamentum pactorum est Fides et ueritas, ac duob. Decalogi præceptis munitur. De pactis Iuramento confirmatis præcipit secundum præceptum, Qui uanè usurpat nomen Dei, non erit impunitus. De cæteris sine Iuramento loquitur præceptum octauum, Non dices falsum testimonium. Et Leuitici 19. Non facietis furtum: Non mentiemini: Non decipiet quisquam proximũ suum:

Item, Sit ſermo ueſter, Eſt, Eſt, Non, Non. Et paſſim leguntur plurima præcepta naturalia, ut, ψεύδεα μὴ βάζειν, τάδ' ἐτήτυμα πάντ' ἀγορεύειν. Itẽ, μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν τὰ δίκαι' ἀγορεύειν. Itẽ, μηδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον ἀλλ' ἀγορεύειν. Apud Perſas ſummũ ſcelus erat mentiri, et fallere. Et ueriſſimũ eſt Platonis dictũ: ἀλήθεια πάντων μὲν ἀγαθῶν θεῖς ἡγεῖται, πάντων δ' ἀνθρώποις &c. Rectè autem dicitur: pacta quæ turpem habent cauſam, non eſſe ſeruanda. Vt, cùm Herodes promittit Herodiadi, ſe facturum quidquid illa petiuiſſet, & ſaltatricula peteret caput Ioannis Baptiſtæ, debuiſſet id denegare.

Ac præſertim hoc ſic intelligatur, quæ præcipiunt facere contra legem Dei. Nam contrà legem Diuinam nihil uelle, nihil petere, nihil paciſci licet. Atq; inferiorem regulam, Serues pacti, hic reſtringit ſuperior tantùm ad ea, quæ præcepta, & conceſſa ſunt Lege Dei. Imò nè quidem contrà Magiſtratuum leges paciſci licet, Antonino Imp. ſanciente, pacta quæ contrà leges conſtitutiones; ue contrà bonos mores fiunt, nullam uim habere. A pace paciſcendi uerbum, & pactorum nomen deductum uolunt, quòd pactis tollantur controuerſiæ, coniungantur uoluntates hominum, atq; inter ſe deuinciantur ceu nexu quodam et conſtituatur ac muniatur pax publica, Sed ſiue inde ſit, ſiue à Græco πήγνυμι, latißimè ſeſe uſus pactorum extendit. Nam in omni uita, in Eccleſijs, Politijs, Oeco-

Oeconomijs, in tota deniq; generis humani ſocietate, omni tempore locum habent, & uſurpantur, atq; adhibentur neceſſariò, Alioquin tumultuum nullus unquàm eſſet futurus finis, Sed rurſus non pari fide, & religione ab omnibus coluntur. Quare diſſidiorum, certaminum, conflictuum, bellorum, ſeditionum cauſæ, & ſemina indè emergunt, atq; exiſtunt, quæ, ſine noſtra doctrina, intelligere & iudicare difficile eſt. Neceſſaria ergò prorſus eſt pactorum doctrina, ut legibus noſtris comprehenſa eſt, & explicata, atq; illuſtrata Doctorum ſcriptis. Generis uocabulum eſt conuentio, ſeu conſenſus, συμβολὴν Græci uocant, & complectitur contractus, ἐπὶ τῷ συνίσασθαι ἐνοχὴν, καὶ τὸν ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ποιῆσαι ὑπεύθυνον, & pacta, συναλλάγματα, καὶ σύμφωνα, ſeu συνθήκας. Sed συνθήκας Græci fœdera etiam nominant, ſicut & σπονδάς, quæ pactis tanquàm generi ſubijciuntur, ut transactiones, διαλλαγαί, Sed indicaſſe, hoc in loco, hæc paucis, ac ceu perſtrinxiſſe ſatis ſit. Explicari enim propter prolixitatem, non poſſunt, & ad ipſarum legum interpretationem copioſior declaratio pertinet, in qua, Deo adiuante, & fidem, , ac diligentiam', & adſiduitatem præſtabimus'. Ac nunc quidem æterno patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, miſericordi Deo, toto pectore gratias agimus, quod, in his periculis contagiorum mortiferorum, nos clementer texit, et aliquas Scholæ relliquias conſeruauit. Et eundem

uerum Deum ardenter oro, ut deinceps etiam amoliatur, ac depellat à nobis pericula, quæ dissipationem adferre, aut uastitatem huic Academiæ possent, Ac muniat, & custodiat nos præsidio sanctorum Angelorum, ut in officijs uocationis ipsi fideliter, & sedulò seruiamus. Bene Valete. Nonis Februarij, quo die Ecclesia sancta celebrat festum Purificationis Mariæ Virginis θεοτόκου. P P.

VViteberga Anno partus salutiferi.
M. D. LXVII.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IN editis legibus Vniuersitatis scholasticæ nostræ mandatur, ut apud Rectorem profitcantur nomina sua aduenientes scholastici noui, Et sæpè peculiariter de hoc edicto proposita sunt, quæ in medio sunt & ipsa, qualium edictorum cum alia tempora aliam necessitatem attulerint, hoc tempore summa necessitas nobis à Republica affertur, ut publice repetamus leges & commonefactiones nostras, ne quis sine certo magistratu in oppido uagetur. Quæ pericula his terris communiter, & peculiariter huic loco & tractui, iamdiu struantur, minimè ignoratur, & illustriß: Princeps noster, in cuius

salute Reipub. salutem positam esse omnes intelligunt, in castris est, Multæ autem insidiæ sunt bonis, ideoq; semper uigilandum esse in ueteri uersu monetur, qua de caussa, & præsidium in oppidum collocatum est.

Cum autem nunquam compertum sit nostrum ordinem proditiones usurpasse, uel harum etiam insimulatum esse, & contra potius inquilinatum huius salutarem prouincijs totis fuisse constet, & oppida ab hoc propugnando conseruata, tanto magis cauendum uniuersis nobis, ne culpa aliqua nostra latebræ in hoc fiant, aut aperiantur scelerato cuiquam, qui damnum det rebus communibus, Ad quod auertendum etiam hoc ualet, ut suo loco unusquisq; curet, ne inter scholasticos obuersentur, qui nomina sua apud Rectorem non sint professi. Scimus in hac parte à multis incogitantia peccari solere, qui temere procrastinando rem differunt, Aliqui etiam per ætatem non considerant neq; intelligunt quid fieri debeat.

Nunc uerò tempora ciusmodi sunt, ut non tantũ officij, sed periculorum etiam publicorum & priuatorum consideratio moncre unumquemq; debeat, ne in hac re quicquam cesset aut omittat, & officij

igitur

igitur, & de hoc simul omnes admonemus, quicunq; pro scholastico se gerit, si nomen suum apud Rectorem non sit professus, eo ipso quod adscriptus nostris non est, in oppidani magistratus potestate esse, Vnde uindicare eum Iurisdictio scholastica quicquid accidat, necq; debet necq; uolet, hoc præsertim tempore. Hoc singulos & uniuersos scire uolumus, ut in cauendo sibi & Reipublicæ, omnium diligentia excitetur. P P. 1111. Nonis Febr. Anno 1567.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

CONsidimus scholasticos sua sponte præsentium temporum tristitiam & pericula considerare atq; ita etiam quid pietas & officium flagitet, intelligere. Debent quidem certè, & si quibus commonefactionibus opus est ad nostrum ordinem, ea & in sacris concionibus, & in doctrina publica omnib. occasionibus luculentè præstantur. Qua consideratione non tantum superuacaneum, sed minus etiam honorificum esse ordini scholastico existimari possit, tali tempore Reipub: edicta ei proponere, ne quæ uulgo his diebus leuitas, & uesania turpissimo more permitti solet, eam usurpare etiam ipse uelit. Vt faciamus tamen, magistratus nostri administratio

tio necessitatem nobis adfert. Non fuit in maiore periculo Germania à multis iam seculis. Turcicum præsidiũ in Vngaria ante hæc tempora maius et firmius nullum fuit, & parat se ad bellum omni conatu, quod inferat uicinæ Austriæ, ubi nunc unicum restat tam Austriæ quam uicinarum terrarum, atq; his etiam nostris locis propugnaculum Vienna, de qua ominis etiam causa, nihil dicemus tristius, quid tamen fiat, & fieri etiam possit, & quæ bonæ spei occasio se ostendat, circumspiciatur. Sicut autem hanc partem Germaniæ Mahometica, & à Poloniæ limite Russica: quæ gens Lituaniam iam uastare dicitur, fermè ad Vilnam usq;: Ita Belgico pontifícia Tyrannis imminet. Et inter hos limites suos interiecta Germania, quo in statu sit, ante oculos est, & nimis quidem, publica certè, & priuata in hac laborant. Et causæ manifestæ sunt cur metuantur extrema omnia. Illustrissimus etiam princeps noster pro pace publica propugnans in castris est, cum cuius salute non tantum ditionis ipsius sed uniuersæ etiam Germaniæ salus periclitatur. Multorum etiam honestorum hominum priuatæ res bellis externis & intestinis pereunt, Et si Belgica bella procedent, multi in diuersis regionibus Germaniæ egebunt, ex ijs qui abundarunt hactenus, Etsi absq; ea republica amissa nullius res priuatæ saluæ esse possunt. Inter hæc igitur publica & priuata mala & pericula, & manifestissima argumenta irritatæ aduer-

te aduersus Germaniam iustissimæ et grauissimæ iræ Dei, Si qui poterunt tam esse animis securis, feris, barbaris, & profanis, Vt non tantum intra priuatos parietes, uoluptatibus indulgeant, sed in etiam publica personati obambulantes, & exp sitæ lenitatis usurpatione, securitatem suam & pr fanitatem declarare non dubitent, ij ostendent esse, qui omni sensu amisso dederint se, τῇ ἀπο γείᾳ εἰς ἐργασιάρ ἀκαθαρσίαν, & aliorsum bore erga communem patriam & ciues C nis flagitiosa, Et potest fieri ut paulo p simum et stultissimum gaudium horum co in dolorem & luctum miserabilem, sicut Deus per Prophetam populo suo, conu ficientes ipsius in luctum. Non fuit blicam impietatem in suis ciuibus oppi stratus. Nostros igitur tenuo debet par fuerit, atq; ne quod nostri mu nus. Edicimus etiã uniuersis subiectis scholasticæ, ne quis noctu aut interdiu aut aliter quam locum & conditionem in uia publica obuersetur. Etsi autem sua sponte hoc præstituros nostros nobis persuademus, si qui tamẽ secus fecerint, in eos ita ut consilium publicum nostrum decernet, animaduertetur.

Profecto rei Germanicæ salus ἐπιξυροῦσα ταῖς ἀκμῇς, & tempus flagitat, ut conuertat se unusquisq; ad Deũ et publicam atq; priuatam salutem precibus suis Deo commendet. P P. V. Id. Feb.

DECANVS

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA Vuitebergensi, M. Iohannes Ferinarius Professor.

SErvat Christus Filius Dei, Ecclesiam, inter uarios rerum humanarum tumultus, ut inter procellas suam cymbam seruat. Ideo studia literarum necessaria Ecclesiæ non abijcienda sint, etiamsi noueri politias uidemus. Etsi etiam doctrinæ studia letis temporibus gratiora sint, sicut ludi, quia ea est ingenij humani auiditas, ut delectetur inquisitione & cognitione pulchrarum rerum: tamen in mœsticia nos magis etiam illam ipsam doctrinam appetere conuenit ut et causas miseriarum consideremus, ac uera remedia quæramus & artes necessarias Ecclesiæ Dei & communi uitæ, extingui non patiamur. Ac Ieremiæ quidem mandabat Deus, ut agrum emeret illo ipso tempore, cum prædiceret populi Iudaici exilium. Volebat enim pios in illo populo erigere ac confirmare, ne desperatione fracti, abijcerent religionis, & doctrinæ studium, & Dei inuocationem.

Quare nos hoc etiam tempore & studia nostra colamus, et ut ad ea pietatem adiungamus publicis periculis, quæ multa et magna sunt moneamur. Neq; enim uult Deus, suam Ecclesiam sine cura, labore & metu uiuere. Ac sine inuocatione & diuino auxilio, infœliciter uersamur in literarum studijs

ſtudijs, ut Dominus inquit: Sine me nihil potes ſtis facere. Ideo nunc, cum timore atq; inuocatione Dei, & uſitatas operas examinis ſcholaſtici obire uoluimus, Et priuatim audiuimus aliquot, qui teſtimonium doctrinæ et uitæ petunt à noſtro Collegio, eosq; hodie, Deo iuuante, hora prima, ad examen publicum uocabimus. Ideoq; oramus collegas noſtros, Doctores & Magiſtros, ut ad explorandã & formanda ingenia ac iudicia iuuenum in auditorio Medicorum conueniant, ac conferant ſuã operam ad hunc morem, utilem Eccleſiæ & Reipublicæ conſeruandam, Ac multas grauiſſimas materias facimus illuſtriores agitando. Et dulciſſime dictum eſt: Vbicunq; duo vel tres congregati ſunt in nomine meo, in medio eorum ſum. Hac igitur promiſſione præſentiæ Dei erecti noſtram coniunctionem, quæ eſt in Chriſto ad pios cœtus & congreſſus noſtros, omnibus officijs foueamus, ac tueamur, & labores docendi ac diſcendi libenter ſuſtineamus, ut dicitur: ὁ κόπος ὑμῶν οὐκ ἔστι κενὸς ἐν κυρίῳ. PP. die 13. Feb:

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEmia Vuitebergenſi, M. Iohannes Ferinarius.

TIbi uero, unico, omnipotenti, & benefico Deo, qui es pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, una

una cum filio tuo, Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto, toto pectore gratias agimus, quod cum Deus ſis, & non homo, non nimium nobis iraſceris. ſed in ira miſericordiæ tuæ recordaris, ne in nihilum redigas nos, quod facis nos tua membra, & in medijs calamitatibus nos ſuſtentas, & es cuſtos huius noſtræ ſcholæ & Eccleſiæ. Ac toto pectore te oramus, ut etiam deinceps inter grauiſſimas ærumnas mundi, difficultates & mala nobis leuias, tibi nos inſeras, & benigne colligas ac conſerues tabulas noſtri naufragij, noſtræ Academiæ, cœtus docentium & diſcentium, neceſſarias artes, ut à multis ex noſtro agmine, in hac uita & in tota æternitate pijs laudibus celebreris. Hæc animi uota, & uere εὐφημα, nobis exprimant & horum temporum triſtiſſima ſpectacula, & doctrina de inuocatione, à qua uetus Eccleſia hanc Dominicam uoluit nominare. Eſt omnino nunc illud tempus, de quo in Propheta ſcriptum eſt: Dolores parturientium uenturos eſſe Eccleſiæ: Tamen Deus non uult nos frangi animis, ſed ſcire Eccleſiam, quæ eſt hæreditas Filij Dei, æternam fore, etiam ruentibus rebus alijs, ſicut Arca Nohæ ſeruabatur, cum omnia ædificia alia merſa erant in aquas, Et nauis, quæ Paulus uehebatur, inter procellas grauiſſimas, manebat incolumis. Quare uera agnitio & inuocatio Dei retinenda eſt, ac prorſus ſtatuendum, Deum adeſſe Eccleſiæ, doctrinæ, uirtutum & pietatis

domicilia seruaturum esse, quæ quidem ipsum, & doctrinam de filio Domino nostro Iesu Christo, recte colent, & proponi curabunt. Ideo nostra etiam militia seruit Ecclesiæ Dei, ac simus ministri & socij diuinorũ operum et Laborũ, ac necessaria doctrinarum studia conseruare & propagare pie studeamus, ne nostra aliqua culpa, neglecta professionis doctrinæ, usitatum in Ecclesia fieri sinamus. Ergo & usitatus operis hoc tempore examinis solemnis, quod multipliciter prodest Ecclesiæ & Reipublicæ obeundas duximus. Ac, quod faustum & felix sit, decreuimus communibus collegij nostri suffragijs ad diem Martis, Deo iuuante, conferre diuinum Magisterij Philosophici honestis et doctis uiris & iuuenibus, quorum nomina infrascripta sunt. Nam horũ doctrina ita nobis explorata & cognita est, ut dignos eos iudicemus qui in hoc gradu dignitatis collocentur. Rogamus igitur, omnium facultatum Doctores, Magistros & scholasticos, ut usitato more, ad hanc pompam & actum promotionis hora octaua conueniant & ea re ostendant, se recte fauere communibus literis studijs, ac honorifice sentire de genere uitæ, in quo uersamur singuli, & magnificere iudicia maiorum, qui ordinis causa in discendo, ut excitarent ingenia huiusmodi dignitatũ titulis, hos gradus primũ instituerunt. Erit præterea hoc officium plenum pietatis. Nam in hac communi & publica mœsticia, nihil dulcius est, neq;

neq; ad leniendas nobis curas efficacius, quam in talibus congressib. publicè conuenire, et simul dicere precationem ad Deum, recitare & audire consolationes de perpetua præsentia filij Dei in Ecclesia & commonefactiones de similibus materijs & doctrinis ueræ Ecclesiæ. Lugenda certè est Ecclesia et Respub., placanda ira Dei, & deploranda nostra crimina. Speramus igitur agmen nostrum Scholasticum, hanc nostram festiuitatem, sua præsentia & frequentia pijsq; precibus, libenter ornaturum esse. Et Deũ oramus, ut excusitet et flectat corda nostra ad ueræ pietatis studia, et ornandam gloriam suam. Dominica Inuocauit.

IN XVIII. LIBRI ODYS. SEÆÆ HOMERI PRÆlectionem.

DEcimum Octauum Odysseæ Homeri librum ad proximum diem Iouis, DEO auxilante, in manus sumemus, cuius interpretationem auditoribus eo iucundiorem fore spero, quod continet luctam inter Vlyssem & Irum ad ianuam aulæ mendicantes, quales ludi per se spectatu & auditu iucundi esse solent, Dum uero à tali artifice, qualis Homerus est, referuntur, animi dulcissimæ commemorationis uoluptate, explentur, Et certè necesse est esse ualde Barbarum, imo Bardum, quem talia non delectant, præsertim cum accedat doctrina digna

tanto authore, quæ etiam utilitatis cupidißimis ſatis facere poteſt. Sunt in excellentium artificum ſcriptis aliæ partes alijs luculentiores, ita hic liber inter Homeri libros illuſtriores rectè numeratur.

Cum igitur cæteros euoluerimus, ne pigeat etiam hunc euoluere, Mea fides diligentia, & aſſiduitas, donec per ætatem & ualetudinem potero, nunquam deerit diſcentibus. Oro uero auditores, ut Deum pro pace publica, ſalubri aëre, & felici frugum prouentu, ac pro me quoq; miſero et decrepito ſene deprecentur, ut hoſtium & peſtiferorum morborum metu, atq; difficultate annonæ liberati, ſeruiamus æterno Deo in ſanctitate, & iuſticia coram ipſo omnibus diebus uitæ noſtræ in Chriſto & per Chriſtum filium ipſius Dominum ac Redemtorem noſtrum, Amen.

Vitus VVinshemius Senior Artis medicæ Doctor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS

INcidunt cauſæ grauißimæ, quæ nos cogunt ſcholaſticos conuocare ad audiendas publicè commonefactiones de rebus quibuſdam ſummè neceſſarijs ad tranquillitatem ſcholæ & oppidi.

Propterea mandamus ſeriò omnibus ſubiectis Iuriſ-

Iurisdictioni noſtræ, ut hodie hora Nona conueniant in auditorio Collegij maioris. Non poßumus exprimere uerbis dolorem noſtrum, quod in hoc tanto luctu publico rebus penè omnibus orbis Chriſtiani ſpectantibus & uergentibus ad triſtißimam ruinam, contemptum legum, & Magiſtratus & furores manifeſtos in plurimis creſcere cernimus. Quos reprimere etſi ſcimus quam ſit difficile in hac laxatione diſciplinæ: tamen non defuturi ſumus officio noſtro. Non dubitamus Deum cuſtodem ordinis politici & uindicem ſeditioſorum & ſceleratorum conatuum ac molitionum nobis affuturum eſſe. PP. Die 26. Feb:

ORATIO RECTORIS AD SCHOLASTICOS PUblice tunc habita.

VErba uix reperimus, quibus exprimamus dolorem, quem circumferimus propter pericula & calamitates Orbis Chriſtiani ac noſtras maximè. Non enim, ut hactenus, procul & à longè nos terrent, Sed nunc quaſi circumſeptos undiq; atq; concluſos urgent ac premunt. Quæ enim communia fuerunt nobis cum alijs antea, noſtra nunc fiunt, nos petunt, nobis exitium intentant atq; interitum. Quod Deus miſericordiæ benignè auertat propter

Filium Iesum Christum. Cumq; nos nomino, non tantum hos intelligo, quibus religionis societate aut alijs fœderibus coniuncti sumus, Sed eos multò magis, qui nobis diuinitus uel ad tuendos nos ac protegendos dati atq; concessi: Vel sanguine atq; infinitis alijs arctißimæ necessitudinis officijs deuincti, hoc tempore in locis diuersis pro publica et singulorum salute: pro incolumi ac tranquillo Reipub. & Ecclesiæ statu: prolegibus, iudicijs, disciplina necessaria decertantes, pericula adeunt, ut res ostendit, summa, quibus si succumberent, ruina ipsorũ oppressura nos esset, ac deletura. Turci minacißimo fremitu nil nisi horribilẽ uastitatem, immanes cædes, terribilia incendia, seruitutẽ deniq; ipsa morte tristiorem ac grauiorem spirantes: uniuersas uires suas cogunt in Pannonia penè consumpta, aduersus uicinos. Nec intentatum relinquent quidquã more gentis, ut Tyranni successoris fortunam nullis hactenus bellis exploratam periclitentur, Tyrannidis fines propagent, formidinem ac terrorem inter inimicia uicinis gentibus incutiant.

Inhiant ijsdem, imò iam mordicus incumbunt, Tartari (belluina feritate immanes) & Rossi. Tartarorum immanitatem expertæ sunt hoc anno reliquiæ regni Pannonici ad Transyluaniam, & nuper Rossi. Poloniæ regno subiecti. Nam populabundi per eas regiones penè usq; ad confinia Silesiæ penetrarunt, et impunè ingentem prædam abegerunt. Rossi

Rossi ad Riza fluuium seu Dolgam, quos Moscos nominamus, Poloniã tanto belli apparatu aggrediũtur ut non magno negocio subacturi uniuersam uideantur. Arctoi Reges bellum reparant et instaurant longè infestius quam unquam antea. Belgicum uim Hispanorum reformidat, quæ Pontificis & sociorum Regum opibus ac potentia armatur, odio ergà piam doctrinam exasperatur, & domi conciuitur ac laceratur dißidijs decentium.

In nostris his Regionibus bellum est domesticum, graue admodum ac periculosum, conspiratione & seditiosis consilijs ac conatibus priuatorum hominum accensum, quibus diuinitus patefactis, nisi monitu etiam ducũq; & auxilio diuino tam mature fuisset occursum, tota iam Germania omnibus in partibus latrocinijs oppressa, seditionibus arderet, suo respergeretur sanguine, conflagraret incendijs, esset præda coniurati agminis.

Huic agmini oppositus decreto Imperij princeps noster Elector Dux Saxoniæ &c. in discrimine uersatur non mediocri, quod ad nos spectat, nos attingit, Imò Germaniam uniuersam, in qua hactenus penè solus ille custos fuit acerrimus ac uigilantißimus pacis ac tranquillitatis publicæ, legum, iudiciorum publicorum ac disciplinæ: Vindex scelerum, executor decretorum, quæ in Senatu Imperij facta & promulgata sunt.

Hæc ei seueritas odia conflauit non

leuia eorum hominum, quorum ſpes, cupiditates & conſilia nil, niſi motus inteſtinos, ſeditiones, ciuilia bella iam dudum expetunt ac moliuntur.

Sed uſitatum id eſt in genere humano. Cum enim omnium uirtutum pulcherrima ſit Iuſticia ac ſumma, (Quicquid enim uacat Iuſticia, ue uirtutis quidem nomen meretur,) plus cæteris tamen longè inferioribus uirtutibus in odium ac reprehenſionem incurrit & uituperatur, eò, quod aduerſatur, ac uelut frenos & uincula iniecit iniuſtis hominum cupiditatibus, quas reprimi & uelut in carceres certis definitos limitibus includi impatienter ferunt, qui licentiam quærunt & captant omnium quæ libent.

Quantum autem interſit Reipub. quantum noſtrum, Principis noſtri & uitam incolumen eſſe, et autoritatem conſtare integram atq; illabefactam, qui non intelligunt aut conſiderant, uel cæci, uel amentes ſunt.

Cum illo ergo & noſtra: et harum regionum: et Germaniæ totius periclitantur uniuerſa, in præſens ac deinceps etiam in poſterum, ſi quid præter ſpem noſtram accideret triſtius. Quod Deus prohibeat.

Hæc tanta mala etſi ad eum modum angunt omnium bonorum animos, ut in maiore dolore & luctu

luctu nunquam fuerimus: Tamen acuit & aggrauat nobis dolorẽ ſtupor in animis maximæ multitudinis ἡσυχὴ ἀναλγησίαν. Non dicam de ſenſu & iudicijs uulgi, quod ſuarum utilitatum non Reipub. cura afficitur & mutationes Imperiorum otio, uoluptatibus ac commodis ſuis metitur, inq; ipſis periculis uel ſecuritatis ſpe uana ſibi blanditur, uel ebrietate ſtupet, prorſus, ſine ſenſu calamitatum publicarum alio, niſi quem ex detrimentis priuatis pauculis percipit: In uobis Scholaſticis dolemus ἀναισθησίαν talem ἡσυχὴ ἀναλγησίαν conſpici, quorum oculis contemplandæ proponuntur hæ calamitates toties & tam accuratè ſcriptis publicis, ceu in tabella depictæ, quorũ aures exaggerationes aſſiduæ earundem circumſonant: quorum pectora pertunduntur tot tamq; paternis commonefactionibus atq; obteſtationibus, quæ ſcopulos emollire ac flectere poterãt. Nemo eſt in hoc numero ueſtro, cuius non aut parentes, aut propinqui aliqui proximi, in ijs bellis, quæ dixi, de uita fortunisq; ſuis ac ſuorum periclitentur extremè: & in alterutram utram partem res cadet, exitus redundabit in uoſmetipſos.

His niſi ferrei prorſus eſſetis ἡσυχὴ ἀπηλγηκότες, moueri & affici debebatis, ſi omnino Reipub. curam ad uos non pertinere: aut hac turbata, conuulſa, euerſa, uos tamen tutos & ſaluos manſuros

furos esse falso uobis persuadetis. Grauissimè inquit Euripides: εἰ μὴ γὰρ ἀνθρώποις ὁρᾶν ἀνθρώπων τύχας ὑπῆρχε τἰσσ', οὐκ ἂν ἡμεῖς ἀμαθίαν φρονεῖν *Si homo cum sim hominis non succurram calamitati, non uidear mentis compos. Nos uerò an mentis compotes esse cẽsebimus? qui calamitatib. uestrer. insultatis. Magna seueritate prohibuimus nuper d. scurriliones nocturnas, quocunq; modo et in finem quemcunq; instituantur ac fiant. Oppidum enim noctu tranquillum ut sit, Excubiæ quæ aguntur, ne impediantur, nunc interpellentur præsidibus urbis nescio quo suspicio iniciatur alicuius periculi instantis ac domestici, nostra omnium refert plurimum. Neq; uerò fiat tot erraturus est Illustrissimus Princeps Elector. Sed quantum profecerimus, didicimus exemplo quorundam superiore nocte, qui petulantiam in modum belluarum usq; ad horum nostrorum ædium uestibulum, cum reuerterentur domum, uino furentes, primum in forum sese effuderunt magno agmine, usq; ad excubiarum locum, indeq; excursi ac magnam oppidi partem peruagati, tanto tumultu, tam dedito mugitu implerunt urbem, ut non Romanas uoces, sed Diabolorum applaudentium uiuentibus nostris inconditos boatus ceu satyrorum confusaneos cachinnos exaudiri existimatum sit, & uobis præsides hostiles copias iam in urbe esse putarunt. Hoc scilicet est quod apud Demosthenem dicitur,* νεμέζειν καὶ παιανίζειν ἐπὶ τοῖς συμφέρουσι. *Cum*

Cum uideamus ergo edictorum seueritatem, nisi pœne etiam exasperentur, irritam esse, Significandum uobis duximus, quibus deinceps remedijs compescere ac retundere uecgip ac petulantiam talem decreuerimus, quæ mitiora remedia respuit.

Mandamus ut ab euagationibus nocturnis prorsus abstineatis, & intra Musea uos uestra, quamprimum Octauam horam sonuerit, recipiatis ac contineatis.

Musicam in plateis omnem silere uolumus, cum propter luctum publicum: tum propter occasiones suspicionum, concursuum nocturnorum, certaminum & aliorum periculorum quæ pauci nestrum aut intelligunt aut curant.

Si quem necessariæ causſæ extrudunt in plateas, is modestè & cum silentio sua exequatur, & lucernam præferat, qua agnoscatur.

Nulla arma gestet, sicut legibus nostris uetitum est. Interrrogatus placidè respondeat, Sine lucerna enim & cum armis noctu deprehensi, aut qui uociferati fuerint, uel quodcunque genus Musicæ exercuerint, ij comprehendentur & in uincula conjecti postridie pro-

pro delicti ratione grauius puncntur. Prohibemus etiam ne quis in aggerem ascendat, Neue ad excubias aut ullos congressus militum publicos accedat, aut hos ullo in loco aut tempore interturbet. Hac nos seueritate importunitas & petulantia uestra uti cogit, in qua præstanda & usurpanda præsto nobis erit autoritas & opera eorum, quibus cura et custodia urbis est demandata. Vt sciatis neruos etiam nobis aduersus contumaces non defore. Idcirco hortamur ac si fas est, etiam obtestamur uos, ut de uestris periculis cogitetis. Parcite nobis, & ingentibus doloribus nostris. Parcite corporibus & animabus uestris, quas in discrimen de salute æterna his ebritate accersitis furoribus conijcitis. Parcite pijs parentibus uestris & cognatis, quorum periculà ardorem & assiduitatem inuocationis augere & studium modestiæ acuere in uobis debebant Parcite Ecclesiæ & Reipub. ne pœnas publicas iam sponte ex omni parte irruentes, in detrimentum ac perniciem omnium rerum bonarum uestra culpa accelleretis. Si qui sunt inter uos turbulenti, amantes factionũ, obtrectatores maledici, ψιθυρίσαι, ἄσεμνοι, ἀνελεήμονες, ingrati, horum consortia & commercia cæteri tanquam pestem fugiant, Memores dicti: cum seditiosis ne commiscearis.

In his tantis periculis cum unum habeamus ducem atq; custodem filium Dei, qui dixit. Nemo rapiet

rapiet oues meas ex manibus meis. Oro Deum æternum patrem Domini & saluatoris nostri Iesu Christi per & propter filium μεσίτην ἡμῶν καὶ ἱκέτην, ut seruet, protegat, defendat Principem nostrum, stipatum ac munitum præsidio Sanctorum Angelorum in hoc iusto ac necessario bello, & si fieri potest, consilia belli ita moderetur ac dirigat, ut uel rebus compositis ex salute & dignitate status publici citò id finiatur: Vel si futurum est diuturnius, homines innocentes cum ipsa Repub. quæ præcipuè in periculo est, seruentur. Tueatur etiam uicinos nostros, in quos una ex parte gladios recenti adhuc cruentos cæde, Turci rursus expediunt & stringunt: Ex altera rabidos dentes exacuunt Tartari, ut carnibus etiam nostris epulentur. Protegat hos nidulos nostros: Seruet uocem Euangelij & studia necessariæ doctrinæ: concedat his colendis mediocria hospitia, ut ipse inter nos & à nobis perpetuo celebretur. DIXI.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

LOngo tempore, atq; ut audimus annos continuos quadraginta inseruijt ordini nostro familia honesta FRANCISCI SCREIBERI, *ciuis huius oppidi, recipiendo ad se, quibus uictum quoti-*

quotidianum apparuret & præberet, inq; hoc mi-
nimè leui humanitatis officio instam se in precis
statuendo & in apparatu uniuerso benignam, di-
ligentem & mundam præstirit. Itaq; non tantũ do-
mesticis conuictoribus nusquam caruit, sed et opti-
mi quiq; ex scholasticis hunc sibi delegerunt, in qua
uixerunt, & mensa huius aliquando usi fuerunt
Clarissimi uiri, Reuerendus D. Pastor Doctor
Paulus Eberus, D. Vitus VVinsemius, & D. Cas-
par Peucerus &c. Lumina Academiæ nostræ, qui
sæpè celebrant sermonibus suis humanitatem &
& officia hac in parte huius familiæ, neq; compe-
tum hactenus quenquam ex conuictoribus huius de
hac quicquam questum esse, sed omnes potius si-
militer hæc in ipsa prædicare. Vidua autem huius
Francisci Hugue post mortem mariti sui non tan-
tam tutata est hanc laudem & humanitatem fami-
liæ, sed superasse etiam dicitur, & benefi-
centiam erga egentiores, penè supra quam res &
copiæ ferrent, & in expectanda solutione alioqui fe-
renda mora huius, & curandis ægrotis reliquis q;
officijs erga omnes benignitatem usurpasse singula-
rem, & maternam quandam, ut declararet se nec
magis illo labore talis κτητικὴν, sua & suorum
quam conuictorum commoda quærere, & inter hæc
in difficultate atq; dissolutione etiam horum tem-
porum suos laudabiliter educari curauit, & disci-
plinam domesticam præstitit inculpatam. Hæc pia
& bene-

& benefica fœmina heri mortua est, ætate magis
quam morbo confecta, cũ ei Deus uitam ad magnam
senectutem produxerit, ut diu multumq; multis in
hoc genere benefaceret. Sepelietur autem hodie
hora tertia, Cumq; materno affectu erga scholasti-
cos fuerit, deq; multis quasi mater pia merita sit,
par est ut nostra etiam officia tum demortuæ quam
sobolí huius rependamus. Hortamur igitur nostros,
ut indicto tempore ante ædes quas ad riuum supra
plateam nouam incoluit, ad funeris deductionem
frequentes conueniant. P. P. XV. Cal: Aprilis.

CONDEMNATIO
CHRISTI IN CONCILIO: ET Pœnitentia Iudæ.

AT longè nobis alia, & diuersa canebat
Concilia, & cœtus alios lyra regia Vatis:
Non fore ut exciti diuersis partibus orbis
Ingentes populi studijs concordibus acti
In cœtum uenirent, & coniurata coirent
Imperia, ut Christo dedant sua pectora, & ipsi
Seruitio addicti cœlestia iussa propagent,
Non falso indicio sub proditione nefanda
Excipere insidijs Christum, Quo more latrones
Lucifugæq; solent blatæ, & nocturna uirũm uis
Dissidens caussæ, nec apertis utilis armis
Non cæcis tenebris nexam post terga lacertos

Noctu

Noctu in concilium detrudere, labe notare
Insontem ficta, Doctrinæ quærere causſas
Vnde reum peragant, poterat quem iure uocare
In crimen nemo, aut turpi conuincere facto.
Nondum odijs etiam gens exaturata quieuit
Impia, Sed tota quàm longa est nocte superbis
Ausa etiam capto dictis illudere, & ausa
Os, roseasq; genas manibus uiolare nefandis.
Sed tales casus, & fata indigna canebat
Numinis afflatu Vates, quem eduxerat Amos
Vt uultus hosti expositos, pulsandaq; duris
Ora daret manibus, nec se subduceret unquam
Verberibus, Ceu fortè silex medio æquore ponti
Vim cunctam excipiens perfert cœliq;, mariſq;.
Ergo concilium magnum, primosq; sacrorum
Imperio accitos Caiphæ intrà limina cogunt
Manè nouo, primoq; statim cum lumine Solis.
Multa simul uarijs fertur sententia dictis
Qua peragant ratione reum te Christe, quibusq;
Artibus informi damnatum funere multent.
Illum igitur uerbis agitatum & uerbere duro
Ima in parte domus, dum Sol rosea ora referret,
Nunc in concilio sistunt, subiguntq; fateri
Qui genus, atq; domo, Num fatis debitus ipse
Mundi opifer, Quem deinde ferat se numine et au
Tum, qui se nocte in media quærentib. ultrò (sis.
Confessum dedit, & sacrata uoce probauit
Se diuum genus, & ueterum spem deniq; patrum:
Confessum

Confessum increpitat simul, atq; urgente senatu
Se dictis aperit rursum, atq; ita farier infit:
Non hæc concilia, & cœtus non cogitis istos
Sancta rudimenta, & ueros edisscere cultus
Nec, quanq; ingrediar dictis, quæramq; uicissim,
Cepto absistetis, neq; uos sententia uertet
Vt culpæ expertem uinclis soluatis iniquis.
Verùm agite, & qui nunc carnis sub imagine
Lustro Dei natus, spes & solatia uorum, (terras
Et Patris interpres, missusq; salutifer orbi,
Nunc sine ui paulùm occultans et numen & arma,
Vt uestrum scelus intereà cum sanguine soluam
Labe carens: Ego sum cœli qui sede receptus
Consessu ad dextrum Patris latus efferar altè,
Et caput, & dux summus ero, nomenq; tenebo
Suprà hominum nomen, regnũ suprà omnia regna,
Et uitæ quæsitor ero, quando ultima tandem
Decisam satis dirimet sententia caussam.
Tunc altè uibrantem oculos, atq; ore seuero
Iura expirantem cernetis, & horrida Ditis
Antra alijs, alijs cœli decernere templa.
Hæc postq̃ hauserunt: falsis rationibus instant
Colligere, iniustè detorto codice Mosis,
Multandum letho, qui se grauitate Tonanti
Æquiparat, natum q; Dei sermone fatetur.
Ergo de Christi uita, & de sanguine fertur
Tristis, acerbà sonans sententia: Nec mora cunctis
Assensu uario ingeminant, hunc poscere letho

Vatis Idumæi fatis immota ſtatuta.
Tam triſtem patitur cenſuram, & iura ſeuera
Is qui proſcriptos & pœna & crimine ſoluit,
Cum Lex diua reos peragens damnauit Auerno.
Quiq; patres olim Nili ditione ſolutos
Per mare purpureum promiſſa reduxit ad arua,
Tunc ubi cernebant ſatalem lampada opacæ
Noctis iter regere, & nubem ſub luce præire:
Hunc geniti ex illis exceptum in uincula ducunt
Innexum palmas: Ceu uiſa in gramine cerua
Cum manus agreſtùm properè coit omnis in unum,
Et telis premit, & ſaltus indagine cingit.
Quis tibi tunc Iuda cernenti talia ſenſus,
Qui ſceleri tutum prætexens nomen amici
Vt earum inſidijs aperires deinde magiſtrum
Diuinæ pietatis eras ſimulator, & hoſtis,
Cui ſtipis æra ſacræ, & prouentus credere ſacros.
Sed mentem inuidia, atq; amor immoderatus habe-
Confuſam eripuit, tenebrasq; induxit opacas (nas
Sensibus, & ruere in præceps tua certa dedit mens.
Ne fatum incuſes, traxit te culpa uolentem,
Ipſe tibi fatum Iuda ſcelerate fuiſti.
O ſi tunc ſaltem poſuiſſes aſpera corda,
Et pacem oraſſes, nec cornea fibra fuiſſet,
Dum precibus locus, & placidas nondum obſtruit
Fors ignouiſſet ſceleri, mentemq; benignam (aures,
In te accepiſſet tractabilis: Aſpice quàm te
Blanda ſalus hoſtem ipſa ſuum dignatur amici

Nomine,

Nomine, diuinumq; offert placido ore fauorem
Cum uiridem irrumpis cinctus legionibus hortum,
Ora Dei ficto ore premens: An & oſcula falſi
Crimen habent, latitantq; doli ſub ſimplice geſtu?
Ecce tibi ingreditur dictis: Quid amice ſubegit
Hanc tentare uiam? quòd ſi ſententia retrò
Verſa tibi, factiq; piget quod ſi tibi mens eſt
Ad menet reuocare gradus: Tu tædia ſaltem
Concipe, namq; dabo ueniam, & te crimine ſoluam.
Nam quanq; ſtabili Patris modò numine uitam
Deformis lethi genere exhalare neceſſe eſt:
Ponite corde metus, Ego partam morte ſalutem
In ueſtris pono gremijs: Haurite fideli
Tantum animo, oblatumq; ultrò ne effundite donũ
Vltimus, an primus, nullo diſcrimine habebo,
Omnes ex æquo fauor excipit unus & idem.
O ſaltem in lacrymas iſſes, & dicta dediſſes
Infelix Iuda: Sinite hunc non digna ferentem
O proceres, mea fraus omnis, nihil iſte, nec unq̃
Auſus erat, cœlum hoc & conſcia numina teſtor.
Me me aſſum qui te letho nil tale merentem
Inſontem, & falſo damnatum crimine mortis
Oppoſui in felix, Nunc me facta impia tangunt,
Reſpice ad hoc, Maior pietas tua crimine noſtro
Hæc effatus, et in uerbo furor omnis et ira (eſt.
Victa reſediſſet, ſubitoq; in anita rediſſes
Fœdera amicitiæ, Nec ueſtra piacula amori (tur,
Cœleſtũ obſtiterint, quam multa & magna ferana

Vincit enim precium ſceleris ſcelus, atq; amor iram.
Verùm ubi nulla locũ reperit clementia Chriſti,
Nec potis eſt dictis Iudam emollire furentem:
Nec mora, cœleſtis Iudæ ſuper incubat ira,
Inducta ceu ueſte tegens, operitq; premendo.
Nam dum fortè uidet Romani ad Præſulis arcem
Detrudi Chriſtum, & tenui diſcrime lethi
Eſſe pium: Tandem incepit ſentire peracto
Crimine, perfidiæ labem, excuſſoq; ueterno
Mens agit attonitum, & tremulis micat excita fi-
Culpa ſubit, piget admiſſi, lucisq; ſuiq; (bris.
Æraq; nequitiæ precium primoribus ædis
Reddit, & infectum facinus iam mallet, & ipſum
Se cauſſam clamat, crimenq;, caputq; malorum,
Multaq; ſe incuſat, qui proditione nefanda
Inſontem letho obtulerit, nec tale merentem
Hæc ubi dicta, ſtatim ex oculis ſe turbidus au-
Et graue onus, quæſita malis ex artibus æra (fert,
Porricit à ſeſe, & ueniæ ſpe decidit omni.
Ergo ubi concepit furias, læthoq; dolorem
Stat finire ſemel, ſceleri ſcelus addit, & ultor
Informis lethi nodum trabe nectit ab alta,
Vitaq; uiſceribus ruptis effugit ad umbras.
Hæc finis Iudæ ſatorum: hic terminus illum
Excepit, ſeclus admiſſum, & ſua facta dolentem,
Sed nullam de te interea ſpem Chriſte fouentem.
Ergo expes ſceleratam animam rupta expuit al-
Torquendam flammis, & uiuo in pectore teſte (uo
Æternam

Æternum patiens animo tortore flagellum.
At uerò ſacris præfecti, infame lucellum,
Et precium crudele negant adiungere ſacris
Templi opibus, diosq; horrent temerare nefando
Ære locos, iuſtum quod prodidit ante cruorem.
Sed uatum ignari quanq; factis tamen implent
Quod tacito indicio Vates cecinere futurum,
Et ſpacium campi, ut peregrinis manibus eſſet
Hoſpicium, certaq; ubi demum ſede quieſcant,
Ex precio ſceleris, ſuſpectoq; ære pararunt.
Nos quoq; in externis geniti regionibus ortum
Traximus, & peregrè acciti penetralia Semi
Contigimus greſſu, & ſemotam acceßimus oram.
Ergo locum cineri extincto, & commune ſepulcrũ
Sanguinis impenſa Chriſtus conduxit habendum,
Quale ſolum mercatus Abras ad funera Saræ.
Et nullam, aut partem exiguam ditione tenemus
Ingentis terræ, & peregrini more uagamur
Finibus extorres patrijs, nec fixa tenemus
Hoſpitia, aut ſedes proprias, certoſq; penates,
Donec fata iubent antiquam exquirere matrem
Parua ubi defeßis ſedem dabit urna quietam.

Iohannes Maior Ioach. D.

Anno M. D. LXVII.

RECTOR ACADE-
MIÆ VVITEBERGENSIS.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000133

CHristus paulo ante agonem, & ſeſe & Ecclesiam flagrantißimo motu intimi pectoris Deo patri commendans, oſtendit arcano decreto patris traditam eſſe ſibi poteſtatem in uniuerſum genus humanum, eo fine, ut credentes in Deum agnitione & fiducia Filij, donet uita æterna, & quæ ſit uita æterna explicat, definitione addita: Hæc eſt uita æterna, ut agnoſcant te ſolum eſſe verum Deũ, et quem miſiſti Ieſum eſſe Chriſtum. Hãc ſententiam monſtrantem uerum Deum, & uerum ſinẽ τῆς ἑνωσεως Filij Dei et complectentem ſummam Euangelij atq; omnium beneficiorum Filij Dei, firmißima fide teneamus, & opponamus eam ſomnijs Philoſophicis, Ethnicæ ſapientiæ, Iudaicis & Mahometicis furoribus, omnibus denig; humanis opinionibus ueteribus ac recentib. de Deo & de uita beata, cuius uera initia hauriuntur atq; concipiuntur in hac uita non aliter niſi fide, ipſo Filio Dei per uerbũ accendente nouam lucem in mentibus noſtris, & effundente in corda, Spiritum ſanctum, excitantem motus tales, qualis ipſe eſt.

Statuamus itaq; firmißimæ, hunc eſſe uerum Deum, qui ſe patefecit miſſo filio, & λόγον miſſum à patre uere eſſe Deum, et filium Dei, non conditũ ἐν τῶν μὴ ὄντων, ſed natum ex patris eſſentia ab æterno, & uere eſſe ὑφισάμενον diſtinctum à perſona patris, σωκαίδιον μὲν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ. Eundem adfuiſſe Eccleſiæ, inde usq; ab exordio

exordio generis humani, Sicut teſtãtur ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Deniq; hunc Chriſtum, natum ex Maria uirgine, pendentem in cruce, & morientem ſecundum humanam naturam, ἡσυχάζοντα τῷ λόγῳ, ut Irenæus inquit, non eſſe φιλόμ ἄνθρωπον, Sed uerum Deum, & uerum atq; perfectum hominem. Ac cauſas meditemur, ſæpe alibi repetitas, Cur Mediatorem Dei & hominum θεάνθρωπον, ſicut Athanaſius loquitur, id eſt, Deum & hominem eſſe oportuerit.

Blaſphemam hæreſin conuellentium fundamentum fidei et ſalutis humanæ, negando in Chriſto naturam diuinam, non exiſtimemus tantum ab Ebione & Cerintho primum poſt Apoſtolos ſparſam eſſe, Sed ab illo ipſo Diabolo, qui odio Dei poſt lapſum communia affecit Deũ, et primis parentibus exitiũ machinatus eſt, cogitemus impulſum eſſe CAIN, ut promißionem de futuro ſemine mox ab initio irrideret, & negaret cuſtodem piorum in Eccleſia eſſe Filium Dei. Aliquanto poſt, diabolo ab his initijs texente longam et inextricabilem errorum telam, tenebræ maiores et religionum confuſiones teteriores ſecutæ ſunt. Creuit ἐι dolomania Ethnica, et in maxima parte generis humani memoria non tantum doctrinæ de MESSIA, ſed uniuerſæ hiſtoriæ mundi et Eccleſiæ interijt, extincta Ethnicis figmentis & Idolis. In ipſo uero populo Iſraël, quem præ reliquis gentibus omnibus hoc ſummo axiomate DEVS ornarat, ut eſſet cuſtos promißionis

ac librorum Propheticorum *&* Eccleſiæ *ſedes: ut ex eo naſceretur* MESSIAS, *& illi concionaretur. In eo ergo populo* Phariſæi *et* Zaduccæi *manifeſte inficiabantur in* MESSIA *fore naturam diuinam & humanam, in qua adhuc amentia reliquiæ miſeræ et perditæ gentis* Iudaicæ *obſtinate perſeuerant. Ita deinceps ſemper habuit* DIABOLVS *ſua organa, quorum alij alijs picturis & illecebris, ſed uno de ſumma rei conſenſu omnes, attentarunt & oppugnarunt diuinitatem in* Filio, *ſpretis teſtimonijs* Propheticis *&* Apoſtolicis. Poſt Ebionem *&* Cerinthum ARTEMAS *memoratur, quem non longo interuallo ſecutus eſt* PAVLVS SAMOSATENVS, *qui ut* Zenobiam *mulierem* Arabicam, *quæ* Antiochiam *et* Syriam Romanis *ademerat, &* Iudaicas *perſuaſiones imbiberat,* Illam *ergo ut inflecteret ad Chriſtianos, doctrinã de* MESSIA *conuertit in opiniones* Iudaicas, *ſumta occaſione ex diſputationibus* Plotini Platonici, *qui recens in ſchola* Alexandrina *allegorias* περὶ λόγϑ *ſuæ* Philoſophiæ *intexuerat. Contendit autem* λόγον *apud* Iohannem *non ſignificare* ἐνδιάϑετον *ſeu* λόγον οὐσιώδη, *ſed* λόγον ἐνδιάϑετον καὶ προφορικόν, *id eſt, decretum de miſſione* MESSIÆ *patefactum patribus.*

Refutarunt Samoſatenum GREGORIVS NEOCÆSARIENSIS *cognomento* Θαυματουργὸς, *&* DIONYSIVS Alexandrinus. Paulo

Paulo poſt, Samoſateni *blaſphemiam renouarunt coloribus paululum mutatis* MARCION *&* SABELLIVS LYBICVS, *qui* Patrem, Filium *&* Spiritum ſanctum *contendit eſſe* μίαν ὑπόστασιν καὶ ἓν τριώνυμον πρόσωπον, *oſtenſum hominibus diuerſimode patefactionibus diſſimilibus.*

Arrij *uirus poſt* Sabellium *quanquam magno conſenſu* Synodi Nicenæ *reiectum atq; condemnatum, tamen inconſtantia* Conſtantini Magni *iam ſenis reuocatum, & leuitate* Conſtantij *filij ſucceſſoris late fuſum ac propagatum, applauſuq; & ſtudio multorum cupidiſſime exceptum, ita radices egit, ut extirpari non potuerit.* Photinum Samoſatenica *reducentem refutauit* Synodus Syrmienſis. Ex Arrij *furoribus ſuum detexuit poema* Eunomius, *qui filiũ finxit* κτῖσμα καὶ ποίημα πρῶτον εἶναι τοῦ πατρός, Spiritum ſanctum *uerò Filij.* Tandem NESTORIVS ἕνωσιν ὑποστατικὴν *duarum naturarum in* Chriſto *furenter diſſoluit, &* EVTYCHES *naturas inter ſe miſcuit atq; confudit: Suntq; hæc in* Eccleſijs orientalibus *magnis cum tumultibus & ſæuitia inſigni* Arrianorum, *quorum autoritas fuit præcipua, ita agitata, donec iuſto iudicio* Dei, Occidentis *imperio dilacerato à diuerſis gentibus, cum propter alias cauſas plurimas, tum uero & proter pertinaciam* Italicæ *gentis mordicus retinentis* Idolatriam Ethnicam: Aphrica *ue-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000135

ro oppreſſa Manicheis furoribus, & Vandalorum turbata irruptionibus, qui Arriana delyria ſecum inuexerunt: In Aſia deniq; paſſim iiſdem furoribus Arrianis regnantibus, Diabolus blaſphemiam hanc contra Filium Dei, horribili potentia regni Mahometici late diduxit ac ſtabiliuit.

Hæc ingentia mala ut conſideremus, & ut doctrinæ Propheticæ atq; Apoſtolicæ teſtimonijs nos inſtruamus, ac ſimul petamus nos ab ipſo Filio Dei doceri et confirmari, Moueamur conſpectu periculorum, quæ ab his furoribus non uno in loco orbis Chriſtiani renouatis, Eccleſiæ impendent. Non ceſſat enim Diabolus inſidiari gloriæ Filij Dei, & ſaluti hominum, et nunc tanto ſæuit ac ſæuiet deinceps etiam atrocius, quanto tempus futuri iudicij magis appropinquat. Arriana & Eunomiana uidetur miſcuiſſe Seruetus Hiſpanus, qui quantum damni dederit ante annos paucos, notum eſt. Latius ſparſit hoc uirus diſcipulus eius VALENTINVS GENTILIS, Polonia infecta, & contagio propagato in uicinam Tranſyluaniam, patrocinio GEORGII BLANDRATÆ Medici Pedemontani, et IOHANNIS PAVLI ALCIATI militis Italici, quorum opera perfectum eſt apud Tranſyluaniæ Regulum, ut Orthodoxi huic blaſphemiæ aduerſantes, nunc ex Eccleſijs eijciantur. Vt ſymbola fidei Eccleſiæ autoritate approbata repudientur, uno Apoſtolico excepto, quod

quod ab ipſis calumnioſe ad ſtabiliendos hos furores detorquetur. Vt aboleatur tota doctrina περὶ διαφορᾶς τῆς οὐσίας καὶ τῶν ὑποστάσεων. Hoc facere quid aliud eſt, quam Mahometicis furoribus aperire & Eccleſias & pectora hominum?

Cum autem feſtiuitates publicæ in Eccleſia inſtitutæ ſint, ut tempora nos commonefaciant de filio Dei, & de beneficijs illius, hortamur uos Scholaſticos, ut hos dies feſtos PASCHÆ totos tribuatis repetendis, colligendis, & accurate penſitandis teſtimonijs totius antiquitatis, quæ oſtendunt ſemper inde uſq; ab initio generis humani Eccleſiam agnouiſſe & inuocaſſe Filium Dei λόγον, tanquam uerum Deum natum ex patre ante ſecula, & tanquam ducem ac cuſtodem generis humani, et hunc λόγον aſſumta carne noſtra factum eſſe uictimam pro peccatis noſtris, ac reſurrexiſſe, ut & nos Spiritu ſancto uiuificatos in hac uita, ubi redierit deinceps iudex, reſuſcitet ad uitam æternam. De filio Dei Eccleſia ſemper eſt interpretata hæc dicta in quib. nomen IEHOVÆ expreſſe tribuitur perſonæ diſtinctæ à patre. Geneſis 19. IEHOVA pluit ſuper Sodomam & Gomorram ſulphur, & ignem à Iehoua è cœlo. Item: Exodi 14. Reſpexit Iehoua ſupra caſtra Ægyptiorũ è columna ignis et nubis. Nominatur autem paulo ante Angelus Dei, qui caſtra præceſſit. Item: Numeri 21. Miſit Iehoua in populum ſerpentes ignitos, qui momorderunt populũ. Hoc ad Chriſtum accommo-

accommodat PAVLVS ad Corinth. Capite decimo, & in toto illo itinere affirmat Christum populi Ducem fuisse. Item: Oseæ: primo inquit Dominus: Ego Iudæ miserebor & seruabo eos in Iehoua Deo suo. His plura alia Prophetarum, ut Dauidis, Esaiæ, Danielis, & Apostolorum, ac Symbolorum post Apostolos, & pierum Synodorum testimonia adiungantur. Et illustre est testimonium Synodi Chalcedonensis.

Repetit enim ceu κατ' ἀνακεφαλαίωσιν refutationem omnium blasphemiarum, quæ præcesserant. Extat autem apud Euagrium lib. 2. cap. 4. Ὁμολογοῦμεν υἱὸν τὸν κύριον ἡμῶν Ιησοῦν Χριστόν, τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν θεότητι, καὶ τέλειον τὸν αὐτὸν ἐν ἀνθρωπότητι, θεὸν ἀληθῶς, καὶ ἄνθρωπον ἀληθῶς, τὸν αὐτὸν ἐκ ψυχῆς λογικῆς καὶ σώματος, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν, χωρὶς ἁμαρτίας. Πρὸ αἰώνων μὲν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα κατὰ τὴν θεότητα: ἐσχάτων δὲ τῶν ἡμερῶν τὸν αὐτὸν δι' ἡμᾶς καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου καὶ θεοτόκου κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν Ιησοῦν Χριστὸν υἱὸν, κύριον, μονογενῆ, ἐν δύο φύσεσιν ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως γνωριζόμενον, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνηρημένης διὰ

διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης, οὐκ εἰς δύο πρόσωπα μεριζόμενον ἢ διαιρούμενον, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν υἱὸν μονογενῆ, θεὸν λόγον, καὶ κύριον Ιησοῦν Χριστόν, Id est, Confitemur filium Dominum nostrum Iesum Christum perfectum in diuinitate, et eundem perfectum in humanitate, Verum Deum & uerum hominem, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem patri, secundum diuinitatem: consubstantialem nobis, secundum humanitatem, per omnia nobis similem, sed absq; peccato. Ante secula genitum ex patre secundum diuinitatem. Postremis uero diebus propter nos & propter nostram salutem ex Maria Virgine & Deipara Vnum & eundem Iesum Christum Filium Dei, Dominum & unigenitum, in duabus naturis inconfuse, inconuersibiliter, indiuulse & inseparabiliter patefactum, haudquaq; differentia naturarum propter unitatem sublata, sed magis utriusq; naturæ (in unam personam, & in unam hypostasin concurrentis,) proprietate seruata, non ut in duas personas diuellatur aut diuidatur, sed ut sit unus & idem Filius unigenitus, Deus uerbum, & Dominus noster Iesus Christus.

Hæc cum repetitis, meditationibus uestris uota miscete pro Ecclesia, & pace publica, Vt filius Dei excerpat sibi ex nobis æternam Ecclesiam, in quæ

qua pura & incorrupta uox doctrinæ ſonet, ac prohibeat, ne blaſphemiæ Serueti, Gentilis, Blandratæ, Alciati, & ſimilium in hunc gregem noſtrum irrepant. Gratitudinem uero et reuerentiam erga miniſterium Euangelij, quo colligitur Eccleſia, ut ſignificatione uſitata publice munus adferendo ad aram iam oſtendatis, mandamus.

IN Paſchate Anno 1567.

IN ACTORVM APOSTOLICORVM PRÆlectionem.

NON ſolum Timotheo, ſed omnibus qui æternam ſocietatem cum Deo & cum uera Eccleſia expetunt, grauiſſime Paulus præcipit: Sis aſſiduus & attentus in lectione, doctrina & conſolatione, Nam Deus Eccleſiam, cui in hac & in futura uita communicaturus eſt ſua bona, mirandã lucem, ſapientiam, iuſticiam & læticiam, non aliter quam hoc modo colligit, cùm auditur & legitur uerbum ſcriptum per Prophetas, & Apoſtolos. Ab huius igitur uerbi diuinitus traditi, & comprobati innumeris miraculorum teſtimonijs lectione ordiri iubet Paulus, & ſapienter metas, fines, atq; utilitates lectionis conſtituit, Doctrinã & conſolationem. Arithmeticam non ordimur à lectione, Quia natura ipſa numerationem docet, et principia afferimus ad artem. Ita de cæteris artibus, quæ ex demonſtrationibus

nibus extruuntur, dici poteſt: Sed Euangelium diſſimile eſt Philoſophiæ. Nequaquam enim nobiſcum naſcitur noticia promiſſionis diuinæ, de reconciliatione propter filium, Sed eſt myſterium abſconditum à ſeculis, hoc eſt, ſapientia ignota angelis & hominibus ſine ſingulari pateſactione. Eſt igitur primum ac præcipuum munus omnium hominum, ut aſſiduè legant ac cognoſcant libros Propheticos & Apoſtolicos: Quia non ſolum gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, Sed etiã firmior eſt aſſenſio in mentibus, & ardentior inuocatio cum auditur uox diuina. Ne autem lectio ſit puerilis, duo fines in hac aſſiduitate proponantur: quorũ alter eſt, ut Mentes uera DOCTRINA de agnitione & inuocatione Dei, ac de gubernatione uitæ imbuantur: Alter eſt, ut cognita uoluntate Dei, animi ad fidem, ſpem, lætitiam in Deo exuſcitentur, & firmam conſolationem concipiant. Nã doctrina de uera & integra agnitione eſſentiæ & uoluntatis diuinæ non ex ciſternis humanæ rationis aut Philoſophiæ, ſed ex fontibus Iſraël, qui ſunt ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum hauriendæ eſt. Hæc enim certo monſtrant, quis & qualis Deus ſit, quomodo ab alijs commenticijs numinibus diſcernendus ſit, qua uoluntate erga genus humanum ſit præditus. Docent ad hunc unum uerum et uiuum Deũ inuocationẽ dirigendam eſſe, Proponunt mandata, quæ iubent inuocare, & promiſſiones, quæ etiam indignis & pollutis peccato

offerunt

offerunt auxilium & bonitatem DEI *confugientibus ad Chriſtum fiducia miſericordiæ.* Oſtendunt *modum & formam quo res tam Spirituales quam corporales peti & ſperari debeant. Deinde uelut lucerna eſt uerbum* Dei, *prælucens in omnibus uitæ actionibus, conſilijs & inſtitutis noſtris, docens qui cultus* Deo *placeant & quomodo fieri poßint ac debeant, quomodo ſecundum uoluntatem* Dei *cupiditates errantes frenare, & uocationem noſtram regere, atq; adeo uniuerſum uitæ curſum gubernare debeamus, ſi uolumus cum* Deo *gratum, & nobis atq; alijs ſalutarem eſſe.* Poſtremo *ex hoc unico uerbo hauriendæ ſunt ueræ et efficaces conſolationes in omnibus periculis & ærumnis, quibus hæc miſerrima uita noſtra pleniſſima eſt, & quæ in poſtrema mundi ſenecta magis magisq; augentur & cumulantur. Nam in his miſerijs Philoſophicæ conſolationes tantum ſunt inania* Ψεύγκτρα, *nec oſtendunt uitam & liberationem ex morte & alijs calamitatibus.*

Quomobrem commonefacti uoce Paulina: Sis aſsiduus & intentus in lectione, doctrina & conſolatione: *Nos ipſos ad ſtudium uerbi diuinitus traditi exuſcitemus,* Neq; *ad eos tantum hanc curam relegemus qui ex profeſſo* Theologiæ *operã dare, & aliquando* Deo & Eccleſiæ *in miniſterio ſeruire uolunt, ſed uniuerſi & ſinguli quotidie aliquam partem temporis & ſtudiorum tribuamus lectionis*

tionis & cognitioni ſcriptorum Propheticorum et Apoſtolicorũ, *præſertim cum ſtudiũ hoc non ſolum ſeueriſſime à* Deo *præceptum ſit. Sed etiam à* Deo *compenſetur in hac uita maiore luce, & ſapientia ſpirituali, robore fidei, conſilio, conſolatione, ſucceſſu in uocatione, et poſt hanc uitam æternis præmijs.*

Vt autem iuniorum ſtudia magis excitentur, neceſſe eſt perpetuo in ſcholis ſonare uocem docentium & interpretantium libros ſcripturæ Prophetic*æ &* Apoſtolic*æ: Sicut* Dei *beneficio ſemper in hac ſchola pijs auditoribus propoſita fuerunt ex ueteri et nouo teſtamento ſcripta præcipua, Quorum enarrationes copioſæ & luculentæ publice extant, & ad omnem poſteritatem* Deo *iuuante extabunt, donec aliqua erit in his aut alijs terris* Eccleſia. Neq; *uerò adhuc deeſt in hoc genere ſtudioſis, ueræ pietatis fides & diligentia optimorũ præceptorũ noſtrorum: Qui me quoq; hoc tempore hortati ſunt, ut ex ſacris literis aliquid proponerem, & id præcipue operam darem, ut ad lectionem textus* Bibliorum *iuuentus aſſuefieret. Etſi enim præclara ſunt opera excellentis ingenij, & eruditionis copioſæ, quæ à doctiſſimis præceptoribus et ſacræ* Theologiæ Profeſſoribus *præſtantur, uidelicet enarrationes integræ quibus intertexitur, aut explicatio doctrinæ* Eccleſiæ, *aut errorum refutatio: Tamen ut in lectione textus iuuentus perpetuo retineatur, non inutilis ea quoq; ratio eſt interpretandi ſacros libros,*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000139

bros, in qua hæc tria præſtentur: Quorum primum eſt Grammatica enarratio ſermonis, figurarum phraſeos, & locorum atq; temporum conſideratio: Alterum Dialectica membrorum & capitum diſtinctio: Tertium Breuis accommodatio ad præcipuos doctrinæ locos, qui alibi enarrantur copioſius. Vere autem ac non ſimulate agnoſco meam infirmitatem, quæ nequaquam tanto oneri par eſſe poteſt. Sed quia optimorum præceptorum uoluntati refragari non licet, & pro qualicunq; mea tenuitate cupio prodeſſe piæ iuuentutis ſtudijs: Significo me Deo adiutore deinceps ex nouo teſtamento aliquos libros Grammatica quidem diligentia, partim ad me ipſum exercendum, partim ad iuuanda adoleſcentium ſtudia propoſiturum. Ac initium ab hiſtoria Actorum Apoſtolicorum quæ & pietatem alere, & eruditionem multipliciter augere poterit, facturum eſſe. Hanc pij ſtudij uoluntatem ſpero aliquibus gratam futuram eſſe, quos oro ut candorem in iudicando adhibeant. Nam in templo Dei, ut grauiſſime Diuus Hieronymus inquit, offert unuſquiſq; quod poteſt, alij aurum, alij argentum & lapides preciſos, alij byſſum & purpuram & crocum oſferunt & hyacinthum. Nobiſcum bene agitur ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos. Tribuam autem huic operæ hoc quidem tempore horam ſecundam matutinam, ac quo tempore inchoaturus ſim, paulo poſt rurſus ſignificabo ijs qui me ſert[illegible] uire

dire uolunt. Bene Valete et Eccleſiæ ac Reipub. ſalutem pijs uotis Deo commendate. In Feriis Paſchatos 1567.

Chriſtophorus Pezelius.

IN ECLIPSIN HODIE FVTVRAM. ELEGIA.

Lvce ſub hac roſeum Phœbe teget inuida Solem,
Cum cœlo mœſtis arduus ibit equis.
Triſte quidem: uiſu (quoniam tribus ille latebit,
Partibus, & tenebris merſa pauebit humus)
Triſtius at multò, nullum quod cernimus eſſe
Turpibus in factis flagitijſq; modum.
Quodq; graues nobis pœnas accerſimus ipſi,
Vltoremq; adeò cogimus eſſe Deum.
Ah pudeat ſcelerum & uitæ tàm turpiter actæ,
Placemus læſum qua potis arte Deum.
Dum fremit iratus, dum fulminat ille, piarum
Sub ſcuto tutos nos iuuet eſſe precum.
Credite mortales, prauos cum ponere mores
Nos uidet, offenſam ponit & ille ſuam.
Qui nimium indulges uitijs ſecurus, in altum
Tolle oculos, cœlum te monet, aſtra monent,

Quod Sol obducit Picea ferrugine uultum,
Aut dolet, aut hominum cernere facta nequit.
Et mala portendit noſtris ingentia terris,
Nec dubita, ſignis res dabit ipſa fidem.
Arietis in ſigno ſedem Sol Lunaq; ponunt,
Huic ipſi ſigno Teutona terra ſubeſt.
Aſt ubi libra nitet, pietas quo Sydere gaudet,
Hîc loca retrogradus Iupiter una tenet.
Inq; domo Cœli nona Mars excipit illum
Toruus, amat pietas hunc ueneranda locum.
Stat Marti oppoſitus, bellumq; minatur & arma
Omnibus inuiſus falciger ille ſenex.
Multa ſuperuenient nos triſtia, ni uetet almi
Alma Dei bonitas & mala tanta leuet.
Diuini qui ſacra docent oracula uerbi
(Cætera prætereo) maxima damna ferent.
Nil non tentabit Latiæ furor impius aulæ,
Et quæ monſtra Stygis plurima rector habet.
Ac uelut ætherei radios & lumina Solis
Inficit obiectu pallida Luna ſuo:
Sic quoq; Chriſte tuæ tenebras offundere luci
Hæretici cupiet fœda caterua gregis.
Qui furit & diris ululatibus omnia complet,
Et flammas odij uix capit ipſe ſui.
Quodq; nequit uero, ferro tentabit & armis,
Scilicet has artes degener hoſtis habet.
Nec procul à uero eſt, Belgarum triſte per oras
Ingruit auſpicium principiumq; mali.

Et

Et metus eſt, nimis hæc late ne incendia ſerpant,
Vicinosq; ſimul res trahat iſta duces.
Eheu quanta frement tunc prælia, nec, niſi fuſo
Reſtingui poterit ſanguine flamma nocens.
Sed tu Chriſte tui Lux, ſplendor, imago parentis
Tu uerbi lucem Chriſte tuere tui.
Tu prohibe triſtes in relligione tumultus,
Pelle truces belli, pace regente, duces.
Et populum defende tuum, tua dicta ſonantem,
Et pia Sanctorum protege regna Ducum
Nec denſa poſitos tenebrarum in ualle relinque,
Nec muta hoſpitium, ſed bone Chriſte mane.

P P. die 8. Aprilis. Anno 1567.

Sebaſtianus Artomedes F.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Miſera eſt neceßitas ſuppliciorum & animaduerſionum in omni gubernatione, & bene inſtituti homines neq; inhumanæ naturæ non poſſunt hæc ſine ſummo dolore uſurpare, Quantumuis tamen miſera ſit & triſtis atq; grauis, nulla eſt magis neceſſaria neceßitas, his præſertim moribus atq; temporibus, quæ nobis etiam cum hanc afferrent, ſuperioribus diebus duos ex ſcholaſticis, quod turbarent quietem publicam, relegauimus, ſed in præ-

ſentia iterum hæc nobis affertur ab N. N. N. *qui propter non pœnitendum in philoſophiæ ſtudijs, profectum, ornatus aliquando honorifico teſtimonio ſcholæ noſtræ, ita à ſe ipſo & officio atq; profeßione ſua defecit, ut nuper honeſtam et erga ſcholaſticos pauperes beneficã uiduam, ciuem huius cpidi, ſine ulla cauſa in domo ſua, una cum filia, contumelijs affecerit, & utramq; per ſummam iniuriam pulſarit, de quo facinore cum accuſaretur, & de pœna uſurpatæ uiolentiæ, admoneretur,* Ita reſpondit *magiſtratui ſuo, ut ſermo eius non minorem quam facinus admiſſum pœnam mereretur, & diſſertis uerbis profeſſus fuit ſe non cupere honoriſcentius ex hac ſchola dimitti, quam illi duo iuuenes, quos proximè relegaſſemus, dimißi à nobis fuiſſent, quibus uerbis iudicium & ſententiam conſilij publici noſtri de relegatis latam, non obſcurè accuſauit, et relegationem, quæ una eſt ex maximis pœnis ſcholaſticis, ſe contemnere oſtendit. Nam quid præterea complectatur hæc oratio, & quàm ſit aduerſus conſilium publicum & communitatem ſcholaſticam uniuerſam noſtram contumelioſa, hominis cauſſa in præſentia non explicabimus. Et uſurpator huius conſiderare atq; intelligere debet, quale ſit quod ſcriptum eſt in lege. Sua cuiq; domus tutiſſimum refugium eſſe debet. Itaq; quæ in hac contra patrem familias eiq; coniunctos uiolentia exercetur in bene conſtitutis Reb*uſſ*pub. capitalis eſt, aut effoſſionis*

ſionis oculorum pœnam habet. Sed ſcholarum imperia paterna ſunt. Quia igitur hic N. *& uim uſurpauit in domo priuata, contra ſexum, qui repellere hanc à ſe non poteſt, & Ius uiolauit refugij domeſtici, propter & huius facinoris, & uerborum indicatorum audaciam intolerandam, ſupra nominatum* N. N. *de conſilij publici ſententia ex* Academia *noſtra ad* Triennium *relegatum eſſe ſignificamus. Et in præſentia publicè relegamus, et per totam nos à nobis ut exulet iubemus & edicimus, interdicentes ei per hoc tempus omni uſu honeſtiſſimæ communitatis noſtræ, & beneficiorum & priuilegiorum huius.*

Diſceßit *etiam nuper contra interdictum noſtrum, et ex* Arreſto, *ut loquuntur,* Iuriſdictioni *ſcholaſticæ ſubiectus* N. N. *Etſi autem hoc ipſo facto in ſummam pœnam incidit, quod fidem datam* Rectori *uiolauit, Antequam tamen hæc decernatur, reſipiſcentiæ eius, in affectu paterno, & propter ætatis huius in cogitantiam, locum damus, atq; in præſentia eum citamus, ut ad diem ab hoc uigeſimum quintum, qui eſt* Menſis Maij *octauus, coram* Rectore *ſe ſiſtat, Niſi fecerit, conſilium publicum oſtendet ſe periuris in noſtra communitate locum non concedere.*

P P. *Idib.* Aprilis.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000142

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVo maior est dissolutio uitæ & morum seculi nostri, eo magis laborare oportet omnes, quibus gubernatio aliorum incumbit, ut in auertenda atq; cohercenda studium, diligentiam, & fidem suam probent Deo et hominibus. Qua consideratione nos nostro loco in præsentia repetitionem usitatæ recitationis legum scholasticarum instituimus. Etsi autem & de legum usu atq; efficacitate, & pietatis Christianæ parte altera, quæ est professio huius δ῾ι ἔργων ἀγαθῶν, Vt Paulus loquitur, & similibus alijs, in recitationibus talibus & indicatione harum dici solet, & à nobis etiam deinceps alio loco ut nonnihil dicatur, opera dabitur, nos tamen hoc tempore præcipue eo respicimus, ut inculcatio præstetur commonefactionum necessariarum, & qui uel non legunt, uel minus attentè legunt typis expressas leges nostras, ij ordinaria recitatione ad has cognoscendas deducantur et quasi adigantur. Non desunt occasiones etiam aliæ, quibus scholastici de pietate & officio docentur, uel copia potius suppetit harum, Dei beneficio, multiplex, tam in doctrina publica quam alias. Et quia non tantum præcipi & doceri atq; mandari oportet, quid in communitate qualibet, & honestissima nostra

nostra, fieri & præstari debeat, sed etiam ut fiat et præstetur, quod præcipitur & mandatur curandum, & animaduersione in delinquentes & transgredientes seu migrantes, ut ueteres locuti fuere, utendum, Etiam hac in parte non esse ociosam aut lentam administrationem magistratus nostri, exempla docent. His uerò omnibus quid proficiatur, ante oculos est & cum dolore maximo omnes boni experiuntur. Sicut tamen in medicina, ut Latinus Poëta fecit, interdum docta plus ualet arte malum, Ita neq; legibus & doctrina, neq; pœnis et animaduersionibus prauitas seculi nostri coherceri aut extirpari potest. Sed quicunq; euentus sit, utrumq; cum fide optima ab omnibus præstandum, qui præfecti gubernationi aliorum custodes sunt disciplinæ publicæ, in testimonium improbis, & pietatis & officij causſa, quæ conscientiam obligant. Etiam miseriæ temporis huius & pericula, quæ impendent grauissima, parum ualent ad reprimendam hominũ peruersitatem, sed proteruiæ, perfidiæ, maledicentiæ, seditiosi furoris, & furiosæ ignauiæ plena sunt omnia. In historia sacra Vir fortis & bellator gente HETHÆVS, atq; ita ex Proselytis in populo Iudaico, cum ex castris ad Rabbam in Ammonitis à Rege suo euocaretur, turpe sibi iudicat in domum & ad familiam suam diuerti corporiq; curando uacare, cum exercitus regius hostibus oppositus in agro & tabernaculis militaribus ageret. A

noſtris aũt hominibus quid fiat, illuſtriſſimo Princi-
pe noſtro ipſo in caſtris cum exercitu propugnante
pro ſalute publica, perpendat qui uoluerit. Hoc n.
facere in promptu eſt et nimis quidem. Noſtrum
tamen ordinem præ cæteris ſubiectiſſima cum reue-
rentia gratiſſimiſq; animis agnoſcere et celebrare
par eſt beneficia, quæ excelſitas illius in hanc Aca-
demiam contulit his paucis annis planè regia, Eaq;
nuper luculento cumulo auxit munificẽtiæ illuſtriſ-
ſimæ, cum ad ſubleuandos ſumptus egentium ſcho-
laſticorum in menſa communi quotannis frumenti
tantum contribuit, ut nunc deinceps per hebdema-
dam Quatuor groſsis noſtratibus victum ſibi in illo
contubernio parare unusquisq; poſsit, quæ benigni-
tas quanta ſit, ex eo æſtimetur, quod in hac difficul-
tate temporum uix ullus paterfamilias hoc ſumptu
domi et apud ſe alere filium poteſt. Qua Illuſtriſ:
Principis noſtri munificentia hodierno die frui inci-
piunt ij, qui in contubernio publico cibum capiunt,
ſicut Nudius tertius eis ſignificauimus, & omnibus
hæc iam aperitur, qui hac deinceps uſuri ſunt. Com-
mendemus igitur Deo ſalutẽ Nutritoris Eccleſiarũ,
et patris patriæ precibus noſtris, Atq; uideat ſibi
unusquisq;. Nos *poſtulante ita adminiſtratione ma-*
giſtratus noſtri, hodie nox hora duodecima leges
ſcholaſticas in noto loco recitari curabimus. Tum
igitur ut ad hanc rem conueniant noſtri uni-
uerſi, publicè hortamur et mandamus. P P. Idibus
Aprilis.

ORA-

ORATIO RECTORIS
ANTE LEGVM RECITA-
tionem, ad ſcholaſticos habita.

CAlamitates *generis humani teſtimonia ſunt*
iudicij & iræ Dei *aduerſus peccatum, &*
pœnæ executrices iuſticiæ diuinæ in Decalogo *ex-*
preſſæ, quæ in modeſtis & ſanabilibus augent timo-
rem Dei, *& diligentiam regendi mores ac frenandi*
cupiditates: Contumaciores *ceu freno uinctos ac*
ceu plagis contuſos atq; edomitos, tandem feritate
ui detracta cogunt fieri moderatiores: Prorſus ef-
feros, qui uel Epicureo *contemptu deridենt præ-*
ua ſigna impendentium calamitatum, uel in ipſis
pœnis rabioſiores fiunt ac furioſiores, radicitus
extirpant, atq; ut interitus ſit conſpectior, hi ferè
ſucceſsibus tolluntur in altum, Vt *lapſu grauiore*
ruant. Et *prodeſt aſſuefieri adoleſcentiam ad con-*
ſiderandas cauſas pœnarum publicarum ac priua-
tarum, quæ ſunt quatuor. Prima *eſt ordo iuſticiæ*
in Deo. Quia Deus *iuſtus eſt, & iuſtum eſt natu-*
ram reã iræ Dei *propter peccatũ deſtrui* Secun-
da eſt, ut pœnæ ſint commonefactiones, quod ſit
Deus, *et qualis ſit.* Vult *enim agnoſci diſcrimen ho-*
neſtorum & turpium, Vult *ſe agnoſci qualis ſit.*
Vult *intelligi quod ſit iudex &* Vindex *ſcele-*
rum. Eſtq; uerisſima Regula Herodoti μεγαλῶν
ἁδικιῶν

ἀδικημάτων εἶναι καὶ μεγάλας τιμωρίας. *Atrocia scelera puniri atrocibus pœnis* Tertia causſa est Vtilitas, *ut conseruetur genus humanum. Quia nullus esset finis futurus licentiæ, improbitatis, contumaciæ aduersus magistratum legitimum, latrociniorum, libidinum prohibitarum, insidiarum, si nullæ essent pœnæ. Quarta causa est, ut exemplo alij commonefiant, ac metu coherceantur, & ut aliqui pœnis ceu prædomiti atq; emolliti ad Deum conuertantur, Sicut dicitur*: Lex est pædagogus *in Christum. Sunt autem pœnæ ceu satellites Legis, quæ quod uox legis minitatur ac denunciat, ipsæ intentant atq; infligunt. Et quanquam interdum pœnæ differuntur facinorosis aut impunè latentibus aut successu scelerum florentibus, Sicut de* Harpalo *dictum est, quod dixerit testimonium contra* Deos: & Agathocli Syracusano tributa est fortunata malicia: *tamen impunitas perpetua non est, & deinceps pœnæ grassantur seuius in posteritatem, ac totas stirpes delent,* Loquor *autem de pœnis diuinis.*

Hæc igitur optimi auditores si cogitabitis in his calamitatibus publicis, quæ undiq; circumstant & indies accumulantur ipsa uos cogitatio, flectet et impellet ad modestiam, nec tot commonefactionibus uostris opus erit, ac minus etiam seueriore animaduersione, ad quam nonnunquam proteruia & impor-

importunitate uestra adigimur, cum mallemus & honori uestro, & parentibus uestris pacere.

Ne quid uerò prætermittamus ulla in parte, quod seruiat commodis uestris, de more atq; instituto scholæ, priusquam abirem magistratu, repetere Leges scholasticas uolui cum breui præfatione de ratione officij uestri.

Non utar autem usitata concione de legum autoritate. Sed exemplū proferam ex Basilij Magni & Gregorij Nazianzeni historia, in quo uita scholasticorum, qualis esse debeat in Academijs, pingitur, quòd non minorem uim exemplorum esse iudico in formandis studijs ac moribus, quam doctrinæ & Regularum. Natura enim μιμητικὸν quiddam inest ingenijs hominum.

Gregorius Nazianzenus in oratione funebri de Basilio Magno recitat historiam adolescentiæ suæ transactæ in studijs doctrinæ sacræ & optimarū ac necessariarum artium cum Basilio Magno. Hæc cum plena sit pulcherrimorum exemplorum, & contineat admonitiones de omnibus partibus uitæ scholasticæ, digna est profecto quam literis expressam aureis, oculis atq; animo intueamini assiduè & imitemini accuratè. Sunt autem hæc Gregorij uerba.

Procedente ætate (inquit.) Cum simul essemus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000145

mus Athenis, et alteri alter ſeſe totum aperiſſet, & conſtaret utriq; beneuolentiã mutuam inter nos uirtutum ac doctrinæ ſtudijs excitatam atq; conciliatam eſſe, conſtanter amicitiam colnimus, & alter alteri factus eſt omnia. In iiſdem habitabamus ædibus, eadem utebamur menſa, ſimul eramus perpetuo, ut diuelli à conſuetudine mutua non poſſemus: Eadem uoluntas erat noſtra, idem ſpectabamus, & hac re incendium mutui amoris augebatur. Corporum enim coniunctio, cum rerum ſit inſtabilium & caducarum, haud aliter quàm uerni flores interit. Neq; enim (materia igne conſumpta) flamma durat, ſed unà cum re cremata euaneſcit. Neq; charitas, ubi ſomitis ardor emarcuit, conſiſtit. At in DEO & rebus diuinis conciliatus amor, quandoquidem re firma nititur ac ſtabili, propterea ſolet eſſe conſtantior. Et quanto magis amantes conſiderant pulchritudinem rei deſideratæ, tanto animis coeunt ac deuinciuntur arctius. Hæc amicitiæ noſtræ lex erat. Eadem erat nobis rei inuidioſiſſimæ, doctrinæ ſcilicet, ſpes propoſita. Sed inuidia abfuit. Æmulatio uerò aluit & exercuit utrumq;, & certamen nobis erat, non uter noſtrum primas ferret. Verum uter alteri eas concederet. Alter enim alterius laudem & gloriam pro ſua habebat, & in utroq; viſa eſt vna anima duo circumferre corpora. Vtriq; opus unum propoſitum fuit, uirtus ipſa. Vitam itaq; omnem ita inſtituimus

mus, ut regeret nos mandatum diuinum, & alter alterum ad uirtutem ut extimularet atq; alliceret. Et ſi non inſolens hoc uerbum eſſet κάνονας τοῦ σαφρὸς alterum alteri fuiſſe dicerem in faciendis & omittendis. Sodalibus nos adiunximus οὐ τοῖς ἐκτελεσάτοις, ἀλλὰ τοῖς σωφρονεσάτοις non intemperantiſſimis, ſed modeſtiſſimis, οὐ τοῖς μαχιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς εἰρηνικωτάτοις, Non pugnantibus & turbulentis, ſed quietis ac tranquillitatis amantibus, & quibus cum uerſari uidebatur utiliſſimum, Quòd ſciremus Facilius uicia contagione contrahi, quam uirtutem cum alijs communicari: Quandoquidem & morbus in alios citius quam ualetudo transfertur. Diſciplinas non tàm iucundas, quàm honeſtas conſectati ſumus. Per eas enim uel ad uirtutem uel ad uitia effingunntur adoleſcentes. Viæ aut duæ tantum nobis notæ ac uiſæ erant. Altera prior & honeſtior, Altera poſterior & non eiuſdem momenti. Illa ad ſacra templa, & qui in eis ſunt Doctores: Hæc ad Magiſtros Prophanos ducebat. Reliquas, quarum multæ errore, ducentes ad dies feſtos, theatra, ſpectacula, conuentus publicos, conuiuia. Illas ergo reliquimus inſiſtere eis uolentibus. Nihil enim admirandum aut præclarum ducebamus, quod ad uirtutem non conferret, neq; eos qui ſtudio uirtutis tenentur, redderet meliores. Atq; alijs quidem alia erant uel à patre accepta, uel ex quotidianis ſtuaijs

dijs & actionibus acquisita cognomina. Nobis uero res maximi momenti erat, Vt Christiani & esse-mus & nominaremur. Athenæ equidem alijs non parum, quantum ad animos pertinet, nocent. Neq; id frustra pij opinantur, quod plus illæ quàm reli-qua Græcia Idolis abundant. Et profecto difficilè est non simul aliquem transuersim rapi ab illorũ lau datoribus & patronis. Nobis uero, qui animis pro-bè muniti atq; instructi essemus, nihil ab his fuit periculi. Quin ediuerso potius ea ex re magis in fide sumus confirmati, propterea quòd τὸ ἀπατη-λὸν ἀυτῶν καὶ τὸ κίβδηλον cognouissemus, ibi dæmones despicientès, ubi dæmones sunt in admira-tione. Et, quod pulcherrimum est, Sodalitium no-biscum erat neutiquam ignobile, quod ab illo Basilio scilicet tanquam duce instituebatur ac regebatur, issdem nobiscum studijs gaudens.

Hoc illustre exemplum & propter memoriam summorum Virorum & propter uos scholasticos eo prolixius recitaui, quia eadem monet, quæ leges nostræ præcipiunt. Illustrari ergò illo leges: Vo-bis uero uestigijs issdem religiosa cura insistendum esse cogitabitis.

Nec addam plura. De multis enim & magnis rebus admonemini, quarum memores eritis & hic, & missi ad alias Academias contaminatas Idolis, & abundantes irritamentis atq; illecebris, quæ adolescentes rerum imperitos à recto tramite ab-ductos

ductos transuersum agunt in perniciem. Has occa-siones fugiatis & illas ingrediamini, ac constantes sectabimini uias, quæ ad pietatem, uirtutem, & do-ctrinas necessarias ducunt.

RECITALE GES.

AVdiuistis leges Academiæ quæ sunt ipsa uox Decalogi. His ergo non minore cura & re-uerentia obtemperabitis, quam uoci diuinæ. Quid spectant enim aliud? & quo tendit omnis nostra gubernatio, quæ uere paterna est aliò, nisi ut uos re-ctè de Deo & alijs artibus eruditos, ad pietatem assuefactos, excultos atq; ornatos moribus honestis, sistamus Ecclesiæ & Reipublicæ, Vt uicissim de Deo, & de uniuerso genere humano benè mere-amini. Idcircò quantæ nobis uoluptati est spectare in hoc honestissimo cœtu exempla pietatis, diligen-tiæ, sedulitatis, modestiæ, reuerentiæ erga præ-ceptores, tantum è conuerso dolorem adfert nobis degenerantium contumacia, quæ communis est per-nicies adolescentiæ, serpens exemplo uelut Gan-grena serpit in corpore. Ac quam tenera ætate in-duunt aut consuetudine alunt atq; confirmant fero-ciam homines, eam retinent deinceps, & usurpant omni tempore, quemcunq; in societate politica lo-cum adipiscantur, Si uerò ad fastigia gubernatio-

num extollantur plus nocent, Sicut Demosthenes inquit: ἡ πονηρὰ φύσις ἐξουσίας ἐπιλαβομένη, δημοσίας ἀπεργάζεται συμφοράς, Sed confidimus & nostras commonefactiones & sensum conspectumq; calamitatum Publicarum effecturas esse apud auditores nostros, id, quod de ipsis nobis pollicemur. Oro autem Deũ æternum, patrẽ Domini nostri Iesu Christi, fontem misericordiæ & bonitatis, Vt in ira recordetur misericordiæ suæ, mitiget mala præsentia, arceat impendentia, tueatur, seruet, & protegat Illustriss. principem Electorem Saxoniæ, Dominum nostrum Clementissimum, & has regiones atq; Ecclesias, moderetur belli præsentis euentum, ut seruentur innocentes, & non fiant uastationes maiores, extinguat & sopiat contagia mortifera, si repullulent, & reddat nobis tranquilla & tuta halcyonia ad ea studia colenda, quibus ipsius noricia propagatur, & celebratur gloria. DIXI.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

IN seuit DEVS σοφγὰς in humana posteritate, moneant quod ipse talis sit. Nam sicut uero, non imaginario amore nos diligimus ex nobis natos, ita uero amore æternus pater diligit suam filiam, deminum

minum nostrum Iesum Christum, & propter eum nos quoq;, ipsius massæ, ut surculos palmiti, insertos. Ideo uir optimus & collega noster carissimus Magister ALBERTVS LEMEIGERVS, pie luget mortem suæ paruæ filiæ, quam heri hora tertia à meridie reddidit Deo conditori, ante tres menses ipsi natam. Etsi aũt, ut φιλόστοργος pater, ingens retinet desiderium dulcis filiolæ, tàm citò è dulci complexu parentum abductæ: tamen intuens uoluntatem Dei, & ingentem consolationem ab eo propositam, dolorem pie moderatur. Extat enim in Euangelio perspicuum testimonium, quod docet animas infantum decedentium à Deo seruari, & ad æternum lucem & lætitiam transferri. Nam Christus inquit: Non est voluntas patris, vt pereat vnus de paruulis istis. Hoc igitur oraculum, & pijs parentibus beatæ illius animæ ad consolationem efficax esse non dubitamus, & nos hortari debet, ut hodie hora duodecima frequentes intersimus pio officio, & ceremonijs funeris, significantes nos credere huic uoci Christi, ac sentire, pueris una nobiscum cœlestem gloriam, atq; immortalitatem propositam esse. Nam funerum ceremoniæ omnibus temporibus obseruatæ sunt, ut per eas significarent homines se credere, reliquam esse uitam, postquam animæ discesserunt à corporibus. Existimabunt uero nostræ Academiæ alumni hoc officium non tam publici moris caussa se præstare, quam etiam ut de-

clarent ſe Magiſtri ALBERTI meritis, & doctrinæ honorem habere. Ac in his etiam congreßibus, uera pœnitentia & inuocatione Filij Dei, deprecemur iram cœleſtem, ac oremus Deum, ut uitam noſtram gubernet, & faciat nos ſalutaria organa Eccleſiæ & Reipublicæ, ac ſimus parati, cum et nos ex hoc ærumnoſo curriculo, ad meliorem uitam euocare uolet. Veni Domine Ieſu. die 15. April.

STVDIOSIS IVRIS PRVDENTIÆ.

ETſi ſtudioſis Iuris Ciuilis in hac Academia, Dei beneficio & Illuſtrißimi principis noſtri Munificentia, luculentæ ſuppetunt diſcendi occaſiones à doctrina publica. Ego tamen ne ociosus ſpectator ſim alienorum laborum, & à me etiam ſi fieri poßit, conferatur aliquid, quo ſtudia communia iuuentur in ea Schola quæ de me optimè merita eſt, & adhuc meretur. Conſtitui deinceps, etiam de ſententia & approbatione Ampliſſimi Collegij Iurisconſultorum, priuatim prælegere Inſtitutiones iuris Imperatoris Iuſtiniani, ijs qui primum ad ſtudium Iuris ueniunt, cum & ita ſcriptus ſit hic libellus, ut de pleriſq; materijs quæ in corpore Iuris ſunt diſcentes moneantur, & iam receptа conſuetudine proponi Tironibus ſoleat. Ac certè magnum

magnum eſt tàm breui libello & tam præclara methodo, præcipuas materias Iuris ſcripti noſtri, comprehenſas eſſe, ut quaſi corpus quoddam Iuris breuius haberi poßit.

Atq; hinc facilè æſtimare eſt cogitantibus, qua utilitate & quo fructu in hoc uerſentur diſcipuli, de quibus alio loco ad auditores noſtros diſſeremus. Hæc uero opera noſtra non hoc agimus, ut augeamus doctrinam publicam, neq; etiam ea eſt facultas noſtra, ut hoc præſtare poßimus, ſed ut ad hanc diſcipulorum ſtudia præparemus. Itaq; ſic inſtituemus priuatas ſcholas noſtras, ut Anni ſpacio uel uniuerſum libellum, uel certè maximam ac præcipuam partem huius abſoluamus. Hoc enim ita fieri ſtudijs diſcipulorum commodißimum fuerit, et Edicto imperatoris hoc modo ſatisfaciemus. Non commendabimus autem in præſentia ciuilem ſapientiam Iuris noſtri Scholaſticis, ne hoc modo auditores nobis conciliare uelle uideamur. Reſpublica quidem, quàm non poßit opera & ope huius carere, & quæ bona tàm his quàm cultoribus ſuis conciliet, ante oculos eſt, & inſtitutionum noſtrarum libellus ciuſmodi eſt, ut non tantum ijs, qui Iurisconſulti fieri uolunt, ſed uniuerſis liberalis doctrina ſtudioſis, & in ciuili uita uerſantibus cognoſcendus ſit. In quo explicando ut nauare operam poßimus, longo tempore ſtudij noſtri conſequuti aliquid uidemur, & fidem atq; diligentiam noſtram

auditores experientur. Legam autem omnibus diebus hebdomados hora prima et incipiam die ab hac decimotertio, id est, ad CAL. Maij, has scholas nostras in domo Eximij Medici D. Iohannis Hermanni, quam ego hoc tempore in colo.

Zacharias Meyer D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

SVperiore anno in Academiam nostram studiorum, pietatis & literarum causſa uenit, IOHANNES VANELLVS Oppolienſis, quod est oppidum præcipuum ducatus huius in eo tractu Sileſiæ, qui ab hoc oppido cognominatur. Significatur autem nobis à fide dignis popularibus huius Vanelli, & cæteris quibus notus hic & familiaris fuit, ſingulari eum diligentia in ſtudijs ſuis uerſatum eſſe, & in uita & moribus moderationem & probitatem ſuam probaſſe omnibus cum quibus uixerit, ita etiam proficiſſe diſcendo ut ætatis maturitatem animi cultura anteuerteret, & ſpes de eo conciperetur indubitata Reipub. & Eccleſiæ Chriſti utiliter eum inſerviturum in ueritatis Chriſtianæ propagatione, ad quam rem ſe omni conatu parârit, & ſuperſtitionibus pontificijs quas in patria uiderat, ſana doctrina exterminandis. Sed ante Menſes ferè tres attentari ualetudo hominis, & calculi morbus, & inualetudo multiplex eum afflígere cœpit, quibus paulatim debilitatus, & tandem conſumtus neq; curſum hunc ſuum abſoluere potuit, neq; ad frugem peruenire id, quod uelut efflorescens in ingenio & uita ipſius oculos commouit, et uota piorum atq; intelligentium omnium qui animaduerterunt. Heri autè ueſperi in confeſſione religioſa fidei noſtræ & fideli inuocatione filij Dei placidè mortuus eſt, in ædibus Scriniarij quæ ſunt è regione Collegij AVGVSTI, in quibus conclaue habuit, quod incoluit, unde ad ſepulturam efferetur poſtea hora tertia. Hortamur igitur ſcholaſticos ut ad funus deducendum indicato loco & tempore conueniant, Et quæ laudem & decus uiuis & mortuis conciliare intelligunt, æmulentur, atq; pro uirili ſe unusquiſq; paret ad operam nauandam Eccleſiæ Chriſti et Reipublicæ cum qui hoc facere poſſint etiam qui agant ut poſſint, eorũ quotidie fiat minor numerus. PP. XI. Calend. Maij.

IN SECVNDVM LIBRVM RHETORICES.

SÆPE commonefiunt adoleſcentes de multiplici uſu artis Rhetoricæ, quæ cum à natura & DOCTRINÆ copia non deſtituitur, non ſolum ad dicendum & ſcribendum ſed etiam ad aliorum ſcripta & orationes legendas conducit. Nam cũ ipſi aliquid ſcribere aut dicere uolumus, res ipſa teſtatur ſine huius artis cognitione nihil laudabile

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000150

bile fieri à nobis, posse. Hac .n. non adhibita ieiuna, sterilis, incondita, perturbata, inconcinna nullius q; auribus digna uidebitur oratio. Ornatus erit nullus, nullus uerborũ delectus, nulla collatio nullis terminis concluſi ambitus, nihil ad impellendum animos, nihil ad delectandum, Omnia confuſa, & ut ſcopæ diſſolutæ, quid primò quid ſecundò, quid tertio poni debeat penitus ignorabitur. Cùm grandia grauiter, media mediocriter, leuia attenuata orationis figura repræſentanda ſunt, nec erit in magnis pondus, nec in mediocribus modus, nec in paruis ulla aut uerborum aut ſententiarum conformatio. Quòd ſi uero ad optimos autores perlegendos ſiue ſacros ſiue prophanos accedet quiſpiam, ſine cognitione præceptorum Rhetoricæ, abſq; omni aut paruo cũ fructu ſudabit. Nam quomodo cauſæ ſtatum, ad quem omnia diriguntur argumenta, quomodo cauſæ genus, ex quo loci argumentorum ducuntur, quomodo an rectè an ſecus in argumentando oratio procedat, num ut oportet concludatur, intelliget, qui huius facultatis cognitione deſtituitur? Legat huiuſmodi Ciceronem, legat Platonem, legat Demoſthenem, legat Prophetarum aut Apoſtolorum conciones, ſi orationis ſeriem et quaſi diſtincta membra, & eorundem rurſus particulas neſcierit, rem fortaſſis tanquam per tranſennas uiſam ſub obſcurè tenebit: Sed probationum uim, & argumentorum pondus non magis quàm cæcus uidebit. Quare cum

eum hæc nobis ars & ad ſcribendi ac diſcendi Sapientiam, et ad bonorum authorum lectionem, uiam aperiat, decet profecto ſtudioſos non obiter, ſed magna cum diligentia, non ſemel atq; iterum, Sed ſæpè multumq; præcepta artis Rhetoricæ cognoſcere & ad uſum quotidie tranſferre. Sunt autem multi ea leuitate præditi, aut imprudentia, ut ſiue odio huius artis, ſiue ignauia & negligentia, has artis dicendi utilitates contemnant ac deſerant, quod rerum ſe ſtudijs delectari aiunt, nec magnopere ſibi opus eſſe iudicant dicendi ac ſcribendi exercitijs.

Hic error in adoleſcentibus & ſtultus & perniciosus eſt, Nam etſi non nego aliquas eſſe artes et ſtudiorum genera, quæ rerum potiſſimum ſubtilitatem, nõ orationis ſplendorẽ et copiam requirant, Tamen nulli profecto, in tradendis aliquando & docendis artibus quibuscunq; ſiue orationis luce, ſententiarum grauitate, uocum conformatione, collationis ordine & ornatu quodam, qui eſt Rhetoricæ artis proprius laudabiliter uerſari, aut alijs utiliter ſuæ facultatis theſauros aperire poſſunt. Quis uero in omni ſcientiarum genere, & diſciplinarum uarietate, non copioſe & grauiter, non aptè & ornatè, non apertè & ſplendide potius quam ieiune & exiliter, quam ineptè & barbare, quàm obſcure denique & pueriliter loqui uellet? Quæ cum ita ſint, Cumq; tam late huius artis uſus pa-

teant, ut per omnia doctrinarum genera diffundantur, nullæq; sine illis suam tueri laudem possint, omni studio, labore & diligentia ad hanc arcem gloriæ studiosi contendere debent, nullis deterriti difficultatibus, nullis laboribus defatigati, denique nullis quæ in ætatem iuuenilem cadere solent, illecebris à præclarissimæ artis cognitione auocati. Res quidem est, si cum præceptis iungantur exercitia, mediocris laboris, sed commoda affert maxima, studio assiduo & diligenti acquiritur, sed fructus diuinos parit, omnemq; eruditionem continet, laudabilem singulis, salutarem Reipublicæ, religioni utilem, omnibusq; iucundam & suauem.

Vt autem studia discentium hac quoq; in parte pro mea tenuitate iuuarem, sciunt studiosi, me hactenus cum Dialecticæ præceptis priuatim prælegisse D. præceptoris Philippi Melanthonis Rhetoricam: In qua superib. diebus primum librum absolui. Cum igitur ordo postulet, ut ad secundi libri explicationẽ accedam, significo me ad diem Iouis, hora quarta pomeridiana in meis ædibus cum libri inchoare velle, qui cum sit de Elocutione scriptus, utilissimus est ad lectionem & imitationem eorum, qui eã laude scripserunt in lingua latina. Nam præter amplissimam doctrinam de uirtutibus bonæ orationis, & de ratione imitandi omnem penè figurarum, quarum creberrimus est usus, uarietatem perspicuè tradit & & explicat. B. V. Mense Aprili 1567.

Christophorus Pezelius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HEri sub initium noctis ex hac uita decessit bonus & pius adolescens VVolfgangus Koch, natus in oppido, quod situm est in confinio Silesiæ & Bohemiæ, Ronnenburg, ex patre honesto, Qui operam industriæ suæ in coquendis & apparandis cibis plurimos annos præstitit in aula Generosi Baronis Domini Henrici, Domini in Schleinitz &c. cui etiam propter uirtutem ualde charus fuit.

Ab hoc parente maturè ad studia adhibitus VVolgangus, primum in patria postea in schola Dresdensi celeriter arripuit fundamenta Grammaticæ & aliarum artium dicendi.

Cumq; esset ingenio optimo & summa modestia præditus, spem de sese præclaram concitauit, futurum illum aliquando organum Ecclesiæ salutare & Reipublicæ utile. Quod cum intellexisset Generosus Dominus Baro, cui pater huius adolescentis multos annos seruierat, pro sua erga pietatis & eruditionis studia affectione, quæ et magnifacit, & studiosos literarum liberaliter souet, sumptus ad studia in Academia continuanda benigne ei decreuerat, Eumq; ante paucos dies in hanc nostram Academiam ablegauit, ornatum commendatione honorifica, scripta ad Reuerendum

uirum

uirum, fide & meritis præstantem D. Doctorem Georgium Maiorem, sed fuit in hoc adolescente corpus admodum imbecille, & uerè νοσερόν, itaq; ab incunte ætate cum ualetudine infirmiori conflictatus, cũ paulatim ad phthisin inclinaret, nuper ex itinere tussim contraxit, quæ coniuncta cum interno æstu febrili eum heri extinxit, placide quasi somno leni obdormientem.

Etsi autem dolendum est Ecclesiam tali ingenio, quod multis aliquando usui esse poterat, orbatam esse, præsertim in tanta penuria eorum qui serio discere cupiunt: Tamen ipsi quidem gratulemur, tam facilem ex hac calamitatum plenissima uita emigrationem, in ætate tali, quæ & Deum ex uerbo suo agnoscere, & fide acceptis beneficijs Filij Dei sese erigere, & sine conscientiæ uulneribus Deum inuocare potuit.

Cum autem nullum ab hoc funere contagium metuendum sit, hortamur scholasticos nostros, ut ad eius deductionem, quæ fiet hora quarta, ex ædibus honesti ciuis Martini Schencken prope collegium frequentes conueniant, ut de breuitate huius fugacis uitæ commonefacti maiori studio sese instruant agnitione Dei ex uerbo ipsius, & animos præmuniant, spe gloriosæ resurrectionis, q̃ hoc ipso tempore anni Filius Dei confirmauit sua resurrectione,

ctione, quam per dies totos 40. certis, illustribus atq; indubitatis testimonijs probauit, B. V. P. P. Pridie Calendas Maij.

IN ALASTOREM VVILHELMVM A GRVMbach, & complices eius.

QValis equi natus putrefacto uiscere Crabro
Nobilibus fit pestis equis, & cuspide sæuo
Molitur nocuos ictus, linquitq; uenenum
Affixus uenis: Ita sanguine cretus equesti,
More Lycaonio genus insectatus equestre
Triste latrocium molitur, & arte latente
(Dij prohibete nefas, atq; omen uertite in ipsum)
Infandum scelus infido sub pectore uersat
Contemtor Superũ GRVMBACHVS, & undiq;
Auxilia, et passim scelerata in facta potentes (cogit
Attrahere, in prædamq; uocare, & fœdera, tentat
Artificis sceleris, & Latias se uertit ad artes
Clim ferro incautos superans, & operta latrones
Mittit in arma suos, aditusq;, & tempora captat
Ipse suo sceleri, SEMPER CVI FRIGIDA BELLO
DEXTRA: AD INSIDIAS HABITVS SED CALLIDVS AVTOR.
Nam quibus & tandem satis, iràue Deorum
Thyrigetæ

Thyrigetæ tot monſtra ſuis fouêre latebris,
Vt pacem benè compoſitam, diuûmq; hominumq;
Turbarent leges, & non innoxia uerba,
Arma ſimul, noſtris miſcerent undiq; terris?
Ille hircus ſtabulis Sclauorum emiſſus, & illi
Additus is quo mordetur gallina marito,
Qualibus heu monſtris populos uexauit, & urbes
Seditione potens, & callidus arte Sinonis?
Quin etiam Heroum cineres excire ſepulcris
Aggreſſus, bellum indixit felicibus umbris,
Cercopum ſoboles, & noſtri infamia ſecli,
Mores, atq; animum ſimilis nutricis Hyenæ.
Nunc etiam Harpyæq; truces, & triſtis Echidna
His nidum poſuêre locis, Lapithæq; furentes,
Et centum manibus Briareùs armatus, & unà
Ætnæi fratres iuncti auxiliaribus armis
In ſoribus ſtabulant, iniuſtaq; bella laceſſunt.
Nec pinguis Nilus tot monſtra, infecta, ferasq;
Informes partu ediderat: nec peßima Roma,
Roma parens ſcelerum, Caci domus hoſpita, nidus
Lenonum, pellex Babylonica, nequitiæ fons,
Errorum ſcola, Chriſticolûm communis Erinnys.
Et quis erit tandē modus, et quæ pœna merentes
Excipiet, quem das finem Rex magne furorum?
Quando ueneficijs, Circæaq; arte, doloq;
Italicæ gētis gaudens, INSVETAQVE TENTANS
VRBIBVS EXCIDIA, ET DVCIBVS MISERABILE LETHVM
Deprenſus latro, & ſuprà ſola fixus in auras
Infor-

Informis lethi nodum trabe nectat ab alta,
Et ſceleratam animam Furijs comitatus ad Orcum
Faucibus elidat fœdis, nec gutture ſummo,
More Canis, gelidus cui iam tardante ſenecta
Sanguis hebet, non ille feris, non utilis ultrò
Venatu nemorum, ſub ramis arboris altæ
Singultantem animam nodis urgentibus halat.
Hæc tum præmia erunt, hæc Mauſolea ſepulcra.
Præcones qui facta canant tua, ponè ſedebunt
Milui prædones, & ouantes gutture Corui.
O ubi nunc animi Germanæ gentis, & ingens
Antiquæ pietatis honos, & conſcia uirtus.
Vnus bono, inſitæ cui cordi, atq; impia ſemper
Proditio, tectiq; doli, improuiſaq; furta,
Tot turbas pacis ediderat? tot crimina belli
Sparſit? egregiasq; impunè irruperit urbes
Vi populans? prædamq; auerterit? enſeq; ſeuo
Virgem nec nidorit populis? flammaſq; furentes
Iniecerit? Matres ſubito turbante tumultu
Exanimans q; metu, & non natis fœtibus orbans,
Non infelicis patriæ miſereq; pudeq;
Antiqua e fama ſolita quæ à laude recęſſit?
Ne ſinite hæc oro tàm latè exempla uagari,
Sed ferro cohibete, & primo obſtate furori
Heroùm manes, & raptis concurrite telis
Quà potes, & uſtris uim tantam auertite terris,
Aut miſera externis Germania præda feretur,
Aut ſors facta domi latronibus. Huc tua facta
Se re-

Se referũt Grumbache, tua huc fera crimina tendũt.
Aſpice qui coëant populi, quæq; agmina furtim
Tecta in bella legant, in te, excidiumq; tuorum
O nimium ſecura tui Germania fati.
Ergò ad ſupplicium latronem poſcite tandem,
Cuius ob inſidias tacitas, & perfida facta
Lumina tot cecidêre Ducum, quos improbus armis
Implicuit, fidensq; fugæ non pectus in hoſtem
Aduerſum tulit, At timido fiducia ualli,
Murorumq; agger, præcinctaq; mœnia ſaxis
Dant animos, flatusq; creant. Me iuſtus in illum
Fert dolor, & digna exacuit Grumbachius ira
Te morte indigna Præſul Zobelle peremto,
Quem ſi fata mihi ſeruaſſent. Sed tua tandem
Te quoq; fata manent, et non ſine ſanguine lethum.
Te ſuper ætherias errare diutius auras
Haud uelit ipſe Deus, Ducibus qui præſidet æquis
Qui terris ſimulacra Dei, & pia munia geſtant.
Venator Nimroth, debellatorq; ferarum,
Solue canes, & cinge omnes indagine ſyluas,
Fige humeris pharetramq;, arcumq; inflecte ſonan-
Flos ueterũ, uirtusq; ducum: Tibi læta ſalutẽ (tem
Oſtentat fatis Victoria: Cædis abundè eſt,
Et ſcelerum: Te triſte nefas, te triſte manebit
Supplicium, quicunq; fouens infanda furentem
Iungis opes, fœduſq; feris: Nam facta latronis
Effera, Dij capiti ipſius, SOCIISQVE reſeruant.

Iohannes Maior Ioachimus.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

AD diem craſtinũ more introducto, comitia habentur ſcholaſtica Rectori nouo creando, qui præſit rebus communibus hoc ſemeſtri æſtiuo, quæ cum in æde arcis haberi ſoleant, omnes qui in uniuerſitate ſcholaſtica noſtra ſunt CRAS HORA VI. in æde illa conuenire uolumus & iuuemus, & quæ tum fient & dicentur, ita ut decet cognoſcere, Imprimis autem una nobiſcum preces facere pro conſeruatione ſtudiorum, neceſſariorum Eccleſiæ Chriſti & Rebuſpub. proq; congregationibus ſcholaſticis pijs & peculiariter pro hac noſtra in qua cum Illuſtriſſ princeps noſter ſupra maiorũ ſuorum munificentiam intra hos quatuor annos ad Quinquaginta millia aureorum impenderit, decentium ſtipendia augendo, & diſcipulis noua conſtituendo, & domo ſcholaſtica noua emendo, & donando ad ædificationes huius, & Eleemoſynam penſionis annuæ in ualetudinarium ſcholaſticorum conferendo, & frumentum tribuendo ad alleuandos ſumtus pauperum in contubernio menſæ communis, Hiſq; omnibus immunitatum inſuper & priuilegiorum nouorum cumulum addiderit luculentum, neq; rem ſcholaſticam noſtram augere & ornare deſinat, aut benefaciendo defatigetur.

Sic igitur cum Illustrißimæ excelsitas ipsius erga nos affecta sit, & tantas res in nos conferat, subiectißima ueneratione heroica beneficia hæc agnoscere debemus et celebrare, et summis conatibus operam dare uniuersi, ne his ulla ex parte indigni iudicari poßimus, utq; augustißimum nomen tanti benefactoris æternæ memoriæ consecretur.

Suo etiam loco unusquisq; propitio & misericordi Deo patri Domini nostri IESV *Christi intimo corde gratias agat, quod studijs nostris atq; Ecclesiæ & Reipub. talem principem largitur, & ad gloriam nominis sui & salutem publicam consilia & actiones huius ducit & gubernat, ut sit nutritor Ecclesiæ & pater patriæ, quodq; in maximis laboribus & periculis benigne eum conseruauit & propugnationem ipsius pro pace publica & salute communi fortunauit.*

Eidem etiam misericordi Deo ardentibus precibus commendemus Illustriß: Excelsitatis ipsius uitam & salutem, ut Ecclesia, & Patria, & res Germanicæ beneficijs ingentibus & ope inuicta huius quam diutißimè frui poßint.

His igitur rebus crastinum illum in æde arcis conuentum nostrum tribui & totum impendi uolumus atq; consecramus. P P. *pridie Calend. Maij. Anno* 1567.

GRA-

GRATIARVM ACTIO

AD DEVM PATREM DOMINI nostri Iesu Christi, pro Victoria concessa Illustrißimo Principi Augusto, Duci Saxoniæ, Electori &c.

Recitata VVITEBERGÆ, *cum fieret renunciatio Rectoris, Cal. Maij. à*

M. Eusebio Menio.

HIC dies Calendarum Maij, dies est obitus Imperatoris Arcadij, Principis pijsti moderati. Hoc die. n. ille è uiuis excessit, ante annos mille, centum & quinquaginta sex, cùm annum ætatis tricesimum primum absoluisset: Et post optimi, pientißimi ac felicißimi Imperatoris Theodosij primi, patris mortem, adolescens admodum gubernationi adhibitus, Imperio præfuisset annos tredecim. Vtrumq; patrem & filium, à seditiosis, partim armata manu manifestè & atrociter, partim insidiosißimis conspirationibus ac molitionibus occultè petitum atq; oppugnatum, admirandis modis Deus texit, adiuuit ac seruauit.

Theodosium consortem Imperij fecit Gratianus propter uirtutis ac sapientiæ excellentiam, & successuum ac rerum gestarum magnitudinem. Quare cum Gratianus à Maximo Galliæ Præside interfectus esset, & Maximus occupata Gallia & Italia, multos crudeliter trucidaret, Theodosius uicißim

ut & parricidium ulciſceretur & Tyrannidem ac ſeditioſos conatus hominis cruenti reprimeret, ei occurrit, ac deuictum interemit. Poſt eam uictoriam Eccleſias, honeſtas leges ac iudicia reſtituit in Italia & urbe Roma. Sacrificia Ethnica, & Orgia Bacchi, prorſus aboleuit, et idolorum templa demolitus eſt. Non ita multò poſt, Valentiniano fratre Gratiani ſtrangulato, conſpiratione Eugenij Scribæ, & Arbogaſti Gotti, ab his noua ſeditio excitata eſt, priore grauior multò ac difficilior. Adduxerunt enim Eugenius & Arbogaſtus ingentem exercitum ad Alpes, ut Italiam occuparent, & ut oſtenderent, ſe Iuliani exemplo inſtauraturos eſſe Ethnica Idola & ſacrificia, pinxerunt in uexillis Herculem.

Cum his (quanquàm & multitudine & robore exercitus longè eſſent ſuperiores,) congreſſus tamen prælio acerrimo in Alpium anguſtijs uictoriam obtinuit. Ac ſcribunt, cùm Ducibus prælium metu ac deſperatione diſſuadentibus, magnam noctis partem in precatione conſumpſiſſet, ſub diluculum ſomno oppreſſo, ſpeciem in ſomnio oblatam eſſe, quæ eum hortata eſt, ut dimicaret, & adiutum eſſe diuinitùs prodigioſis & hoſti aduerſis uentorum flatibus, de quibus extant Claudiani uerſus:

Cauto

Cauto nec profuit hoſti,
Munitis hæſiſſe locis, ſpes irrita nulli
Concidit, & ſcopulis patuerunt clauſtra reuulſis.
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaq; tela
Vertit in autores, & turbine reppulit haſtas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati ueniunt ad claſſica uenti.

Contra Arcadium Ruffinus natus in gente Gallica, quem Theodoſius inter cæteros Duces tutorem filijs adiunxerat, ſperans fidum fore. Hic ergò, cupiditate regni impulſus, contra Arcadium attraxit Alaricum Gottorum regem, ut Arcadio perterrefacto metu exercitus Gottici, extorqueret ſocietatem Imperij. Id poſtulantemm, ilites ante Tribunal iugularunt. Aliquantò poſt alius Dux Gotticus, Caianus nomine, ſeditionem aduerſus Arcadium mouit, in qua miraculis manifeſtis DEVS oſtendit, ſe & urbem Conſtantinopolin & Arcadium protexiſſe. Cum enim incendere regiam Arcadij in urbe Conſtantinopoli Caianus noctu tentaſſet, conſpecti ſunt exercitus Angelorum, qui depulerunt milites Caiani. Conſtabat enim domum excubijs nullis fuiſſe cuſtoditam. Poſtea cùm aduerſus inſidias & uim Caiani Arcadius ſeſe muniret, accerſitis præſidijs, & Caianus apertè bellum mo-

liretur, Phrygia occupata ac deuastata direptionibus, & ratibus ad urbem conaretur accedere, classis Arcadij secundis uentis in obuias rates Caiani magno impetu delata, impulsas ac diuulsas dissipauit, & exercitum in mare demersit.

Hæc illustria exempla præsentiæ Dei tuentis pios principes in bellis iustis ac necessarijs, in defensione religionis, Iusticiæ, Iudiciorum, Legum, non tantum hic dies, sed multo magis historia belli in uicinia feliciter, ductu planè diuino gesti ab illustrißimo Principe Augusto, Electore Saxoniæ, Domino nostro Clementißimo, in memoriam mihi reuocat, in qua similia testimonia præsentiæ diuinæ plurima insunt.

A seditiosis enim decreto Imperij proscriptis, fuerunt res cunctæ ad eum modum, in perturbationem Germaniæ & perniciem multorum instructæ, ut si ex sententia succeßissent, arderet, imò conflagraret iam passim Germania miserrimo & tristißimo seditionum ac latrociniorum incendio. Sed fregit & elisit consilia atq; conatus misericors DEVS, in cuius manu sunt corda Regum, & qui dat eis salutem, flectens mentes eorum ad consilia salutaria ipsis & alijs, ac moderans euentum. Hic impulit ac rexit animos, & nostri Principis & aliorum Principum, amantium Reipub. ac communis tranquillitatis, ut periculum com-

mune, quod uergebat in interitum totius Germaniæ prospicerent, animaduersum minimè contemnerent, sed qua fieri posset celeritate, anteuerterent atq; annolirentur, prinsquã conatus illi sese aut commouerent, aut uiribus aucti, in omnem partem procellæ instar ex improuiso effunderent. Hostium animos è conuerso excæcauit, ut fiducia præconceptarum spcrum & cogitatorum apparatum securi, & procul positis intenti, ad præsentia atq; propinqua non attenderent.

Diuinum prorsus est, quòd tanta celeritate & successu tanto, absq; detrimento aliquo insigni, obsidio tanta perfecta est. Nec dubium est, uoluisse Deum parcere innocentibus utrinq;.

Admirabilius hoc est, quòd interceptis ijs, qui ad incitandos alios, & colligenda auxilia cum mandatis aut literis emißi fuerunt, spes hostium omnes atque machinationes patefactæ sunt. Sed omnium maximè diuinum atq; admirabile est, quod absolutis ad oppugnationem necessarijs cunctis, cùm uis iam experiunda esset, captis uinctisque, & ad pœnam traditis ijs, quorum causa bellum susceptum fuit, à milite ad defensionem comparato, uictoria incruenta optimo Principi nostro contigit, quæ conspirationis pernitiosæ neruos incidit, & Germaniam periculo, nullis consilijs aut uiribus humanis

explicabili, eripuit. Hæc non casu accidisse cogitemus, nec sapientiæ aut uiribus humanis tribuamus, sed gubernata atq; confecta esse diuinitus indubitatò statuamus.

Ac magnitudinem rei considerantes:

Primùm agnoscamus esse Deum, & autorem esse atq; custodem ordinis politici, iustum iudicem ac uindicem, qui genus humanum coërceri uult intra metas, quas sua sapientia ac iusticia constituit, et ceu benefícus ac uigilans Pastor dispositis circa genus humanum uelut gregem ouium excubijs sanctorum Angelorum, ita curam nostri agit, ut ipse reprimat grassantes Diabolos & turbulentos homines: Vt si uideres pastorem in florido prato gregem ouium custodire, ne dilabatur aut euagetur longius, & canibus incitatis arcere atq; abigere lupos, insidiantes ouibus, ut maior pars gregis maneat incolumis & tuto pastu pinguescat.

Deinde agnoscamus, esse & fuisse in hoc bello & multis alijs negotijs Imperij publicis optimum Principem nostrum uerè patriæ Patrem, & organum Dei singulare ac salutare ad eas res efficiendas, quibus comprehenditur atq; consistit status publici & uniuersorum ac singulorum incolumitas et stabilitas: Et excitatum esse, instructum consilijs iustis ac necessarijs, armatum ingenti robore animi, adiutum insigni felicitate, ornatum illustri uictoria diuinitùs

diuinitùs, ut discusso depulsoq; periculo exitiali, in Germania, ex turbulentissimis molitionibus explicata, restitueret cum pace ac tranquillitate labefactatam autoritatem legum ac iudiciorum, & præsentem Reipub. formam tueretur atq; muniret.

Ad hæc ingentia bona intelligenda ac celebranda excitemus animos, atq; in ipso Principe has dotes diuinas, sapientiam, iustitiam, fortitudinem, felicitatem ueneremur ac suspicianus, & Deo gratias agamus ardentissimas, quòd adfuerit ei, et Germaniam uirtute ipsius ac felicitate liberatam pacarit.

Quantum etiam ipsi Principi debeat Germania uniuersa, quantum nos debeamus in primis, qui assiduè illustris beneficentiæ ipsius & protectionis beneficijs fruimur, cogitemus & gratos nos omnibus officijs exhibere studeamus.

Tibi ergò æterne, uere, uiue Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu, conditor cum Filio & Spiritu sancto cœli & terræ & humani generis, & huius ipsius ordinis politici, quo genus humanum inter se deuinctum est, ut ex eo Ecclesia colligi possit: Tibi ergò gratias toto pectore agimus, quòd rexisti, seruasti & audiuisti Principem nostrum, & per eum Germaniæ uniuersæ & his regionibus atq; Ecclesijs inprimis, spem pacis firmio-

ris reddisti. Ac tanquàm orphani petimus ueris gemitibus, ne deinceps etiam deseras nos, sed regas ac defendas Principem nostrum, munitũ sapientia ac felicitate, & circumdatum autoritatis necessariæ præsidio in tanta totius Europæ perturbatione, ut tota eius gubernatio feliciter seruiat Ecclesiæ tuæ ac Reipub. & cedat ad salutem ipsius et nostram: Protege hás regiones & hæc hospitia Ecclesiæ tuæ: Serua doctrinas, quas exercemus ac profitemur: Tuere honestam disciplinam: Auerte contagia pestifera: Opprime semina bellorum: Extirpa dissidiorum intestinorum radices, ne quid noxij repullulet: Defende familias nostras, & præsta, ut quæ ostenditur tranquillitas, sit firma ac diuturna.

Hæc uota assiduè repetamus, & mores etiam nostros ea modestia regamus, ut beneficio diuino, cuius magnitudinem nemo uestrum assequitur cogitando, non uideamur flagitiosè abuti. Tranquillitas enim neq; petenda est ulla neq; speranda, si ciuũ pecuinis uoluptatibus tantùm, aut licentiæ omnium cupiditatum seruire uolumus.

Ac nos quidem, qui doctrinam uirtutis inquirimus, longius prospicere ueros fines pacis decet, nec tantùm de corporis uoluptatibus aut de licentia cogitare.

Triste spectaculum est, historiam omnium aetatum

tum in de usq; à lapsu primorum parentum, plenam tumultuum, cædium, bellorum, quibus urbes & totæ gentes excisæ sunt atq; deletæ, intueri, & tantorum malorum causas considerare: Sed multò tristior res est, tam atrocia coràm spectare & experiri, & comitantur tales pœnæ bellorum, plerumq; uictoriarum & pacis abusum.

De ueris ergò pacis finibus aliter nos quàm uulgus iudicemus.

Concedit Deus interualla quædam, sancit aliquantisper inducias, excitat felices ac salutares Principes, custodes tranquillitatis publicæ, ne genus humanum funditus pereat. Sed quam ob causam? An ut homines in obscœnis sese uoluptatibus uolutent? Nequaquam, sed ut connubia, procreatio, educatio, institutio natorum ad agnitionẽ Dei, seminaria Ecclesiæ maneant: Et interea Doctrina de Deo, de Filio Dei, de uoluntate diuina per Filium patefacta, de omnibus rebus bonis ac necessariis propagari, & disciplina restitui, astringi ac regi possit, quæ bellis non laxatur tantùm, sed prorsus dissoluitur atq; euertitur.

Ergò si pace sic utemur, ut doctrinam salutarem discamus, ac disciplinam tueamur, erit Deus custos tranquillitatis diutius. Si cupiditatibus sine modo indulgebimus, frustra pacem speramus.

Nam

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000160

Nam qui legum uoce & disciplina frenari se non patiuntur, eos compesci atq; coherceri scueritatibus remedijs necesse est.

Notæ sunt diuinæ comminationes, nota sunt exempla, quorum cogitatione nos ad modestiam, & intra metas reuocemus.

De his abeuntem me Magistratu monere officij publici ratio coegit, ut Iuuentus de beneficijs diuinis, de periculis, in quibus fuimus, de finibus pacis commonefacta, alere & confirmare immensam Dei bonitatem erga nos τῆς φιλανθρωπίας, et tueri ac retinere parta bona omni officio studeat, ad quam rem non defuturæ sunt uobis commonefactiones & exhortationes mei successoris.

Significo autem uobis, consensu totius Senatus nostri designatum esse Rectorem in semestre æstiuum Reuerendum uirum, doctrina, pietate, uirtute clarissimum, D. Doctorem Georgium Maiorem. Huic & propter autoritatem, quam Deus Magistratui attribuit, & propter uenerandam canitiem, per se omni cultu reuerentiæ dignam, & propter merita erga Academiam obtemperabitis, omni cura studioq; cauendo, ne petulanter molestias gubernationis per se laboriosæ ac difficilis augeatis.

Piacu-

Piaculum sit uobis committere aliquid, quod hunc Rectorem uestrum hac ætate iure offendere aut irritare possit, cui hoc uos debere postremum officium, pro multis ipsius beneficijs certò statuite, ut canos eius deducatis cum gaudio ad sepulcrum, ut lætetur de honestate disciplinæ publicæ, & hilarioribus atq; ardentioribus uotis uos omnes, studia publica, posteritatem Deo commendet.

Tibi uerò Reuerende D. Doctor, Præceptor & Patrone colende, Magistratum & huius insignia: Sigillum: sceptra: claues: librum & Eponymidem trado: Et opto precorq;, ut Deo aspirante & benedicente consilijs tuis, gubernatio tua sit felix, tranquilla, salutaris uitæ & studijs docentium ac discentium, per Dominum nostrum IESVM *Christum,*
Amen. DIXI.

SCRIPTA

SCRIPTA PRO
POSITA RECTORE RE
VERENDO ET CLARES. VIRO D.
Georgio Maiore sacræ Theologiæ Doctore ac
Professore &c. semestri imperio, id est, à Ca
lend. Maij. vsq; ad diem Lucæ Euan
gelistæ, Anno 1567.

RATIONIS DICENDI
STVDIOSIS S. D.

INter beneficia quæ diuinitus gene
ri humano contigerunt & dicendi facultas merito numerari debet. Præclarum enim opus est, ac vsu
lius præconijs satis commendatum, quod homo in hac naturæ infirmitate, sermone per
spicuo & dilucido, uerè, perspicuè & copiosè doctrinæ cœlestis summa capita, nouit interpretari, ac bene dicendo, nec nõ et rectè docendo uerierẽ sententiam contra diabolicas malitioforum hominum præstigias tueri ac defendere. Politiæ autem gubernationi non minora commoda ex dicendi munere obueniunt in optimarum legum promulgatione, honestæ disciplinæ, pacis ac iusticiæ defensione, quæ sine linguæ bonis, si modo uero mentis iudicio regantur conseruari nequeunt. Amemus itaq; et amplectamur, dicendi artes, quibus & pietatis studia illustrantur ac ad posteritatem incorrupta propa
gantur

gantur, honestas uitæ aliter atq; conseruatur, uitæ ciuilis cõmoda retinentur atq; augentur. Hoc enim consilio in scholis non tantum dicendi artes, sed & scripta eorum qui eleganter, perspicuè ac copiosè de rebus bonis loquuti sunt, assiduo & indefesso studio proponuntur, ut adolescentes à primis statim annis ad certum dicendi genus assuescant, ut in explicatione doctrinæ cœlestis & rerum optimarum, quas mente conceperunt, propria & perspicua elocutione uti possint. Cum autem ne quidem mediocris perspicuè dicendi facultas, à nobis comparari possit, absq; imitatione eorum qui eleganter loquuti sunt, non tantum præcepta artis dicendi discamus, sed & præmonstrationi huic adiungamus lectionem præstantissimorum Oratorum & crebris stili exercitijs similia scribendo effingere annitamur. Cicero in primo de Oratore inquit, stilum esse optimum & præstantissimum dicendi effectorem ac Magistrum, se etiam in Bruto ait non destitisse, cum omni genere exercitationis, tum præcipuè stilum illud quod erat quantumcunq; augere. Quod si tantus uir qui naturali quadam inclinatione ad dicendum effictus uidetur, stili exercitijs dicendi uim augere & excitare non neglexit: quanto magis nos in hac uirium & ingeniorum imbecillitate nos totos ad imitationem optimorum frequenter scribendo componamus.

Vt igitur studiosis dicẽdi uera imitãdi ratio secũdũ artis præcepta, quorum explicationẽ hactenus ab

solui

ſolui, monſtretur, conſtitui Deo ſtudia noſtra gubernante, ad explicationem præcipuarum oratio-num Ciceronis redire.

Ac craſtina quidem die hora ſeptima accedam ad interpretationem uenuſtiſſimæ orationis, quam Cicero pro P. Quintio habuit, cum adhuc iuuenis eſſet, exultus magna eruditionis uarietate, quæ ideo attentius legenda eſt, cum prima ſit, quam in cauſa ciuili, maiore conatu & cura egit, cum reſponderet ſummo eius temporis oratori Hortenſio, qui eloquentiæ laude celebris eſt. Reuertar & ad domeſtica exercitia, quæ in eorum commodum inſtituentur, qui priuata mea informatione uti uolent, ac cras Deo propitio hora duodecima domi declarationem primi libri Dialectices auſpicabor.

P P. IIII. Nonas Maij. Anno 1667.

M. Albertus Lemeiger
Profeſſor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVÆ noſtra de communitate hac ſcholaſtica ſollicitudo ſit, confidimus agnoſcere bonos & non ingratos, Deum quoq; adeſſe nobis, & benedicere conſilijs & inſtitutis noſtris, quæ publicæ utilitatis cauſſa ſuſcipimus, manifeſtè experiamur:

mur: Nam quam paruo ſumptu in tanta temporum ac rerum omnium difficultate uiuant hic multi ex uobis pauperes, pler ſq; ueſtrum notum eſſe non dubitamus: Id etſi nos immediate Deo, ac poſt Deum, Illuſtriſſimi ac clementiſſimi principis noſtri munificentiæ acceptum ferre iuſtum eſt, ſeruanti & fouenti Sareptam hanc & officinam optimarum artium & doctrinarum: Tamen & noſtram uos ſollicitudinem & fidem agnoſcere decet, Quæ niſi accederet, magna uobis publicorum commodorum copia defutura eſſet. Inſtituimus autem ante annos non multos optimo conſilio noſocomium publicum non aliam ob cauſam, quam ut pauperum, quorum in Academia hac præcipuus et maximus eſt numerus, ualetudini & uitæ conſulreemus, & his ægrotantibus remedia & alias res neceſſarias, de publico ſuppeditare poſſemus. Id conſilium atq; inſtitutum noſtrum neceſſarium & ſalutare fuiſſe multis reipſa comperimus. Et ſperamus teſtaturos eſſe eos, quibus in morbis & periculis ibi beneſactum eſt..

Academia autem ſola cum ſumptus ad eam rem neceſſarios ſuſtinere non poßit, decreto publico ſancitum eſt, ut quolibet mercatu Lipſico finito à ſcholaſticis aliquid contribueretur, quod ad iuuandos pauperes publicè à nobis aſſeruaretur. Ea in re cum obtemperare decreto Academiæ, & conſulere egentibus cupiamus, iuſtiſſimum eſt non

deesse nobis, qualemcunq; in contribuendo liberalitatem eorum, quibus sumtuum necessariorum copia suppetit. Nam cum societate studiorum, & multis uinculis alijs deuincti simus inter nos mutuo, ac præcipue pauperibus & uerè egentibus, æquissimum est, ne hos negligamus, aut præsidijs necessarijs destitui patiamur. Beatus inquit Psalmus, qui intelligit super egenum & pauperem, In die mala liberabit eum Dominus, custodiet eum & uiuificabit eum, beatum faciet in terra, & non tradet eum in uoluntatem inimicorum eius. Super lectos doloris eius recreabit eum Dominus, Vniuersum stratum eius conuertisti in infirmitate eius.

Tantam cum promissionem habeat hoc beneficentiæ genus, quod uerè egentibus tribuitur, Conferant locupletiores eò benignius et liberalius. Ceteri qui non abundant sumptibus, pro sua tamen parte, ἡρῆ ἐκ τῶν ἐνόντων, aliquid etiam defraudantes genium suum, contribuant, ne bonum ac commodum publicum, quantum in ipsis est, impediuisse uideantur: Id & iustum est, & Deo gratissimum. Fidem uero nostram, & eorum, quibus cura Noscomij à Senatu Academiæ commendata est, in custodiendis & rectè dispensandis ijs, quæ contribuistis, Deo iuuante, omni uobis tempore præstabimus. Filius Dei dominus Iesus Christus, qui se se medici Samaritani, & Ecclesiam pandochei talis imagine pingit, & hactenus nostro quoq; Noscomio

Noscomio consilijsq; de hoc nostris adfuit, & benedixit, & multis miseris scholasticis in eo benefecit, Deinceps quoq; nobis clementer adsit, seruet, regat, ac protegat nos, depellat morbos & morborum causas, & uicissim clementer ac copiosè benefaciat his, qui in pauperes & uerè egentes benefici esse student. PP. in die glorioſæ ascensionis Christi ad cœlos, Anno 1567.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

EX terra Scandiæ, quæ est nobilis prouincia regni Danici, proximæ Brumæ tempore in scholam nostram uenit adolescens, pius & modestus, EBERHARTVS ANDREAS CORONÆVS. Cumq; propter egestatem domesticam suo sumptu hic degere non posset, ab Eximij Theologi,, & uiri Clariss: D. HEMINGI, &c. filio, & præceptore huius, receptus est, quem alleuarent, cuiq; benefacerent, & cum his ipsis, tum alijs multis bonis & intelligentibus pietatem, fidem, modestiam, & in omni officio, colendisq; literarum studijs diligentiam indefessam, luculentè probauit, in quibus & ita feliciter uersatus fuit, ut optimam spem frugis optimæ faceret omnibus, cum quibus esset, sed ualetudinem huc secum attulit imbecillam & semina morbi tabifici, qui Phthisis est, quo paulatim ingrauescente,

(etiamsi nihil omitteretur, quibus ad curam ei opus esset) tandem consumtus, heri mortuus est, eo tempore, quo post concionem Reuerendi D. Pastoris nostri preces pro ipso publicæ fiebant, atq; ita inter Ecclesiæ nostræ communes & priuatas preces suas expirauit, quibus moriens à Deo petijsse dicitur, ut secundum hymnum ἐξιτήριον Simeonis ex hac uita dimitteretur. Notauit Hippocrates initia & terminos in ætate hominis morbi huius ab anno XVIII. usq; ad XXXVI. quod tempus uitæ obnoxium ei esse soleat, intra cuius initium huic Eberharto, ille incidit, Vix enim ingressus fuit annum ætatis decimum octauum, quæ & biuij prodicij ætas est, qua uirtutis aut alteram contrariam uiam ingreditur adolescentia, sed de hoc Andrea affirmant, omnes quibus notus fuit, omnibus uiribus ad laudem & decus eum contendisse, neq; fortunam suam, qua meliore dignus fuit, obstare sibi passum fuisse, ut morte huius, operæ utilis spes intercepta sit Ecclesiæ & Reipublicæ.

Sepelietur autem hodie Hora prima, & efferetur ex ædibus Clariß. Viri Magistri SEBASTIANI THEODORI mathematum Professoris nostri, Itaq; ad funeris deductionem eo tempore & loco conuenire scholasticos uolumus.

PP. VII. Iduum Maij.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS GEORgius Maior, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

ANNVS hic est 3076. à prima Pentecoste, in qua promulgata est lex Moralis seu Decalogus in monte Sinai. Et 1533 à secunda Pentecoste, in qua effusus est è cœlo peculiari specie uisibili Spiritus sanctus in Apostolos. Vtriusq; temporis memoriam extare & conseruari DEVS uoluit, ut et de admirandis atq; soli Ecclesiæ exhibitis patefactionibus, & de utriusq; doctrinæ Legis & Euangelij ministerio saluandis necessario nos admoneat. In omni inuocatione oculos et mentem referamus ad illa quasi spectacula patefactionum, in quibus diuinitas manifestis ac sensibilibus notis consulens imbecillitati nostræ, sese ostendit. Non repetam antiquas, quæ Christum antecesserunt, posteriores aspiciamus. Nascitur filius Dei ex Maria Virgine, uerè assumta integra natura humana, educatur communi more hominum, baptizatur Patre de cœlo sonante hanc uocem: Hic est filius meus dilectus, & spiritu sancto specie columbæ ex alto supra eum sese librante. Latè propagat doctrinam de saluatione et instauratione generis humani. Fit uictima pro peccatis nostris, diuinitate in hac abiectione sui uim suã

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000165

non exerente: Postea resurgit ex mortuis & ascendit in cœlum, spectante cœtu Apostolorum, ac promittit se missurum ipsis à Patre Spiritum paracletum. Hunc Christum statuamus indubitato non esse solum hominem, sed simul uerũ Deum, & filiũ Dei λόγον, copulatis in una persona duabus naturis unione hypostatica. Et eundem secundum diuinam naturam esse ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον Patri, in una indiuidua essentia, sed sua tamen hypostasi distinctum à patre. Hic filius, sicut promisit, mittit Apostolis Spiritum sanctum, irruentem in eos impulsi flatus impetu & flammea linguarum specie sese proferentem. Rursus ergo hunc Spiritum statuamus non esse aut Patrem ipsum agitantem, aut motum seu agitationem creatam à patre, sed ὑπόστασιν ζῶσαν καὶ καθ' ἑαυτὴν ὑφεστῶσαν, ἁγιασμοῦ κυρίαν, ut Basilius loquitur, ὁμοούσιον Patri et filio, sed persona ab utroq; distinctum, Et ideo inuisibili specie missus est, ἵνα μὴ νομίσῃς σαλὸν φῶς εἶναι πατρὶ ἢ υἱῷ, ut Epiphanius inquit. In hæc ergo patefactionum expressa & sensibus obuia ceu spectacula semper intuentes, & apprehendentes τὸν ἕνωσιν τῆς ἁγίας τριάδος ἐν κοινωνίᾳ τῆς θεότητος, καὶ τὸ ἰδιάζον τῶν ὑποστάσεων, dirigamus orationẽ ad unum uerum Deum, qui est pater Filij Domini nostri Iesu Christi, à quo et Filio procedit Spiritus sanctus. Firmiter & hoc statuamus, ut creationem, ita & saluationem esse commune opus totius Trinitatis, seruata tamẽ proprietate personæ cuiusq;. In creatione enim, ut concinnè Basilius proprietates distinguit, Pater est ἡ προκαταρκτικὴ αἰτία τῶν γινομένων. Filius ἡ δημιουργικὴ. Spiritus sanctus ἡ τελειωτικὴ. Suntq; hæc desumta ex Genesi, & Psalmo 33. Verbo domini firmati sunt cœli, & Spiritu oris eius omnis uirtus eorum. In opere saluationis Filius & Spiritus sanctus mittuntur, Pater non mittitur. Sed Pater mittit filium: Filius Spiritum sanctum à Patre. Et æternus pater est efficax, sed per filiũ et Spiritum. Filius immediatè profert Euangelium ex sinu patris, & ostendit uoluntatem æterni Patris, & sanctificatur Ecclesia dato per eum Spiritu sancto. Hic distribuit dona, quorum consideratione semper complectamur patrem, πηγὴν καὶ αἰτίαν ἀγαθῶν, id est, fontem & causam donorum æternorum: Filium τὸν ἀποστείλαντα, qui Spiritum mittit: Spiritum sanctum τὸν διανέμοντα, qui distribuit dona. Et ad has personarum proprietates accommodemus precationes.

Visibilem autem effusionem Spiritus sancti in Apostolos meminerimus euidens, & oculis expositum testimoniũ esse perpetuæ missionis eiusdẽ ad Ecclesiam, q̃ non oculis cernimus, aut sensu corporũ externo percipimus, Sed in cordib. experiuntur credentes, cum hausta acceptaq; consolatione ex uerbo Dei, acquiescunt in Deo fiducia filij, accedũt audaciter ad thronũ gratiæ, pleno constantiq; spiritu clamantes

mantes Abba Pater, & ſoluuntur in læticiam exultantem ſenſu præſentiæ atq; auxilij diuini, ac tuentem & depellentem terrores mortis & inferni.

Hæc miſio Spiritus ſancti, peculiare donum eſt filij, quod impetrauit à patre, cùm ſupplex factus pro genere humano, ut ſatisfieret iuſticiæ Dei, deſtinauit ſeſe uictimam pro peccatis noſtris, & iram patris aduerſus peccata deriuauit in ſeſe. Sicut ergo inde uſq; à Lapſu primorum parentum Filius fuit interceſſor ac mediator generis humani, & cuſtos ac protector Eccleſiæ, & quotquot ſaluati ſunt ante natum filium in carne, fiducia ipſius ſaluati ſunt, nec aliter: Sic uno eodemq; Spiritu ſanctificati ſunt ſancti patres, & omnes pij deinceps, id eſt, omnes electi omnibus temporibus. Hoc Spiritu filius impulit, docuit & rexit corda Prophetarum, ſicut in Symbolo dicitur: Qui locutus eſt per Prophetas. Et Petrus inquit de Prophetis: Spiritus Chriſti in eis, prædicens Chriſtum paſſurum eſſe. Diſertè uocatur Chriſti ſpiritus. Et Zachariæ 7. dicitur: Verba quæ miſit Dominus exercituum in Spiritu ſancto, per manum Prophetarum piorum. Quo affirmatur utrumq; & gubernatos eſſe Spiritu ſancto Prophetas, & efficacem eum eſſe per uerbum. Ergo & fuit Spiritus ſanctus, antequam filius induit carnem humanam, & adfuit credentibus in filium, per hunc immiſſus in pectora eorum.

Datur

Datur autem per uerbum & fide, cum uerbo apprehenditur, ut Galatas tertio dicitur: Vt promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem. Congruunt & dicta ſanctorum patrum. Athanaſius ſæpè hæc uerba repetit, Pater per uerbum Spiritu operatur. Item, non extra uerbum Spiritus eſt. Item, Quandocunq; dicitur Spiritus in alio eſſe, intelligitur in eo eſſe Verbum dans Spiritum, ac loquitur de filio, ut Auguſtinus inquit: Quotidie mittitur filius in corda credentium, ſed aliter mittitur, ut ſit homo, aliter ut ſit in homine. Sic enim congruunt actiones Filij & Spiritus in homine. Filius Dei ſonat in uerbo, quod oſtendit uoluntatem patris, & hac noticia lucente dat Spiritum ſanctum, qui accendit læticiam, & efficit, ut cor lætetur in Deo: Ita filius Dei dicitur λόγος eò etiam, quia eſt uerbum nobis in mentibus oſtendens patrem, quod ſignificat PETRVS inquiens: Renati per uerbum uiuum Dei.

Harum rerum meditatione tranſigamus hos dies feſtos, qui propter hanc cauſam inſtituti ſunt atq; obſeruantur, & accendamus ac confirmemus fidem in pectoribus noſtris, atq; oremus Deum, ut ipſe mentes noſtras ſuo Spiritu illuminet, doceat, regat, tueatur puritatem doctrinæ in Eccleſijs noſtris aduerſus furores hæreticorum, ueteres ac recentes, & depellat diabolos atq; horum organa, qui inſidias ueritati ſtruunt.

Te ergo æterne Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor generis humani & Ecclesiæ, cum Filio & Spiritu sancto toto pectore oramus, ut per & propter filium tuum Iesum Christum, ministerio uerbi & Spiritu sancto colligas tibi inter nos æternam Ecclesiam, et confirmes corda nostra, ut firmiter assentiantur uerbo tuo, & subijciant sese in afflictionibus uoluntati tuæ, flectas ea ad ardentē inuocationē tui, & ad omnes motus legi tuæ congruentes, lætifices ea, ut acquiescant in te, & petant ac constanter expectent abs te omnia beneficia præsentis uitæ & futuræ. Retineas nos, ne in errores & scelera ruamus, sed simus ac maneamus templa tua, & organa salutaria nobis & alijs, celebratura te cum tota Ecclesia cœlesti in omni æternitate.

Cum autem ministerium uerbi non sit inanis sonitus, nec sit tantum externi exercitij causa institutum, Vt SCHVVENCKFELDIVS *impiè somniat, Sed uerè adsit* Deus, *et ea uoce moueat atq; accendat mentes, & communicet* Spiritum *sanctum cordibus, decet nos id omni ueneratione colere, & omnibus pijs officijs prosequi ac souere. Qui enim ministerium uerbi contemnunt, ijs bonis omnibus sese spoliant, quæ in ministerio uerbi exhibentur, & tandem excidentes gratia* Dei *ruunt in æternas pœnas.* Hortamur *uos ergo, ut & concionibus publicis frequentes ac animis præsentibus adsitis, & cum*

cum omni tempore, tum uero iam etiam usitata & publica significatione uos de ministerio Euangelij reuerenter sentire contra Schuuenckfeldij furores & similium damnantium uerbum uocale ostendatis.
PP. Die Pentecostes, *quæ est Cal. Iunij. Anno à Christo Saluatore 1567. Ab exordio mundi 5530.*

IOHANNES SCHNEI-
DEVVEIN I. V. DOCTOR, ET Professor, studiosis Doctrinæ Iuris S. D.

CRas Hora VIII. Deo adiuuante, reuertar ad operas prælectionis publicæ, quas anno superiore funesta clades dissipatæ Academiæ interrupit: Post reditum uero ab exilio, ingrato & insuaui, remorata est hactenus, longè maior uiribus nostris moles & uarietas occupationum, distractis nobis ad res diuersissimas, ac plane obrutis. Non dubitent auditores nostri, uere ita nos affectos esse, ut longe malimus seruire discentium studijs legibus interpretantdis, quam de iure respondendo, aut consulendo ijs, qui uel iudicia exercent, uel in foro rixantur, & lites ex litibus serendo, controuersias producunt & alunt. Non enim tam commoda priuata nostra, quam emolumenta publica spectamus, & quæric

quærimus, & præclarius nos de posteritate mereri intelligimus, si quam plurimos ad gubernationem recte instituamus ac præparemus, quam si ætatem omnem disceptandis controuersijs aut ferendis sententijs consumamus. Certe si qui lucellum, quod inde ad nos putatur redire, pluris facere nos censent, quam propagationem doctrinæ, deducentis ad fontes sapientiæ ac iusticiæ diuinæ, legibus nostris expressos, plurimum falluntur & errant. Vtinam, quod sæpe optauimus, grauissimo ac difficilimo onere, cognoscendi ac pronunciandi de causis & controuersijs perplexissimis, atq; intricatissimis, interdum & conscientiæ periculosis, uel liberaremur, uel leuaremur. Id si fieret, doceremus assiduitate ac sedulitate maiore, quam per hæc impedimenta nonnunquam conceditur, non culpa nostra publicas operas, nec uoluntate nostra hærere aut cessare. Neq; hac de re addam plura. Sed me significo propositurum esse deinceps utilissimam et pulcerrimam, sed latissime patentem, & partem pene maximam controuersiarum, quæ incidunt in communi uita, dirigentem atq; componentem doctrinam de successionibus ab intestato, seu de hæreditatibus quæ morte alicuius ad quempiam perueniunt iure, non legata testamento, aut possessione retenta: quam prætuli cæteris hoc tempore, propter infinitam litium uarietatem, quas pariunt petitiones hæreditatum passim in ijs regionibus, oppidis,

pidis, & pagis, quos pestifera lues depopulata est, sæpe totis domibus, aut familijs absumtis, de quibus & nos consulimur, & moneri atq; eruditi auditores, quasi in rem præsentem deductos utile est. Detexta est autem hæc & legum forma, & doctrina ex septimo Decalogi præcepto, quod distinctionem dominiorum & proprietatum sancit, ac suum cuiq; tribuit, Et gubernatur ea iusticiæ specie, quam διορθωτικὸν concinne Aristoteles, uulgo commutatiuam uocant. Hæc metas constituit ac definit, ut acquirendis legitimo modo facultatibus, sic hæreditatibus adeundis, quid & quantum cuiq;, & quo ordine ac iure debeatur decernens. Hæc iniustis cupiditatibus hominum frenos iniicians ac uincula, effusas auariciæ & pleonexiæ habenas restringit atq; cohercet. Distinguit enim & numerat gradus cognationum, ac suo quenq; loco collocat. Inde hæreditates partitur secundum analogiam graduum conueniencia singulis attribuit, propiores anteferendo remotioribus, ijsdem pene legibus quibus prospexit, & cauit hæreditatibus in politia sui populi Deus ipse, Numerorum 27. Vnde apparet eandem esse iusticiæ ueræ speciem apud omnes gentes sanas: Eandem formam iustarũ legum, quæ ex noticijs, nobiscum natis, ac iure naturæ deriuantur. Nec parum autoritatis ac dignitatis addit hoc legibus nostris, quod cum sanctionibus atq; institutis diuinis conueniunt. Quam necessaria sit autem, & utilis hæc pars iusticiæ & doctrinæ le-

næ legum, quibus illa fundatur atq; fulcitur, docent lites de hæreditatibus quotidianæ, quibus pene iudicia omnia & fora perſtrepunt ac perſonant. Sed & pulcrius nihil eſt ipſa æqualitate, quam inſtituit ac ſeruat iuſticia in collocatione perſonarum & hæreditatum diſtributione. Eam intuentes cogitemus Deum autorem legum, & ordinis politici iuſtum eſſe, & in his exemplis ordinatæ æqualitatis iuſticiæ ſuæ imaginem, lucere ac conſpici uelle, & legibus omnes homines Deo obligari, ut æqualitatem ament, colant, adiuuent, cuſtodiant & exequantur. Non appetant, nec ui rapiant, aut fraude, uel quocunq; falſo prætextu iuris interuertant aliena: Inprimis uero ordinem noſtrum decere, ut normam iuſticiæ in iudicando ſequamur, qui ſacerdotes iuſticiæ eſſe ac perhiberi uolumus. Sed ſequi eam ut poſſimus, prius ut diſcamus & intelligamus neceſſe eſt. Studio itaq; et doctrina opus eſt. Præſtabo autem fidem ac diligentiam in enarrando eam, quam me hactenus probaſſe auditoribus confido. Aſſiduitatem uero tantam, quantam omnino mihi diſtractio uitæ occupatiſſimæ conceſſerit.

PP. Cal. Iunij, 1567.

STVDIOSIS DOCTRINÆ SACRÆ OMNIBVSQVE lecturis. S D.

VEteris uerſus querela eſt: φοιτᾷ δ' ἐς οἰκους λοιγὸς ἔριος κενεόφρων λελακυῖα, quæ accipienda

non de eo tantum calumniarum genere, quo priuatim homines deformantur, aut ad odia & diſſidia mutua impelluntur, ſed maxime hæc uſurpatur, de publico illo maledicētiæ morbo et malo, quo communis hominum ſocietas calumnijs, mendacijs, & alijs id genus præſtigijs maledicis turbatur ac proſus tandem euertitur. Verè igitur & noſtri temporis miſerijs congruit, ac præſertim triſtiſſimis dogmatum confuſionibus, certaminibus ac lanienis docentiū mutuis. In his ſanè diræ illius et maledictæ ſeu ἀτης ſeu ἐριδος uanitas exitialis manifeſtè conſpicitur. Quæ à quo autore immediate exiſtat atq; exoriatur, rectius nos uox filij Dei docet, q̄ Ethnici uerſiculi huius querela, qui ipſum tantum malum deplorat & accuſat, ignorata uera atq; immediata eius cauſſa. Diabolus, inquit Filius Dei, homicida eſt ab initio, & in ueritate non ſtetit, quia non eſt ueritas in eo, cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax eſt & pater mendacij. Hic eſt ἔρις illa & ἄτη maledicta, ſubinde horribilibus furoribus, mendacijs, calumnijs, & Sophiſmatum præſtigijs gloriam filij Dei & ſalutem hominum impugnans, & non niſi falſa & hominibus pernicioſa, & exitialia dogmatum portenta paſſim ſpargens, de quo Paulus inquit, 1. Timoth. 4. Manifeſtè teſtatur Spiritus, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & canteriatam

tam habentium conſcientiam ſuam, prohibentium nubere & abſtinere à cibis &c. Sed de omnibus ſectarũ omnium in Eccleſia paſſim iam graſſantium furoribus ſpeciatim quid commemorare non eſt opus, Tantũ unius regni pontificij doctrinam aſpiciant piæ mentes. Huius cum penè in ſingulis doctrinæ orthodoxæ articulis tetri fuerint ante annos 50. errores, imo non errores tantum, ſed præter hos horribilia etiam idola, quæ omnia Deus immenſa bonitate, uoce & ſcriptis Lutheri, Philippi & aliorum piorum doctorum, quos ceu πρωταγωνίστας his præcipuis et electis organis ſuis adiunxit, iam olim & detexit & refutauit: Non defuerunt tamen nec deſunt in hunc uſq; diem Rhetores impij, pecunia pontificum conducti, qui horribili & plane ſatanica impudentia contenderunt ac contendunt, nihil fuiſſe aut eſſe errorum aut idolorum in doctrina & ritibus regni Pontificij, quin eò impudentiæ et audaciæ ἔριδι illa & ἄτῃ βροτόλοιγι processit, ut in infami & damnata noſtri ſeculi ex Θεσσαλῶν ἀγορᾷ, quæ in ſcopulis Tridentinis, pontificibus iubentibus ante annos non multos conflu xit, decretis publicis omnia & idola & errores regni Pontificij denuo confirmare & ſtabilire non dubitarit. His armati nunc reges Pontificio agmini addicti, & ſeuitiam barbaricam in pios longo iam tempore exercentes, ac cum his multo magis Sophiſtæ & oratores conductitij, atq; imprimis recens

ens Eſuitarum ſocietas & parricidijs horribilibus, & ſophiſmatum præſtigijs idola & errores tuentur, Atq; adeò libido illa oppugnandi manifeſtam & agnitam ueritatem efferata & aucta eſt in pontificijs oratoribus, ut non tàm calliditate præſtigiarum quam manifeſtiſſima impudentia, dogmata & cultus idolatricos, publicè editis libris penè innumerabilibus, in Eccleſiam iterum reducant, adeoq; in his ornandis & defendendis non erubeſcant, ac ſi memoria horum æterna oblitione ſepulta eſſet. Multi etiam in noſtris Eccleſijs non ſatis inſtituti, illa ipſa Pontificiorum ſcriptorum audacia & grandi loquentia uehementer turbantur, ut dubitare propemodum incipiant, tantum ne idolorum aut errorum in doctrina & ritibus Papiſtarum contineatur, quantum à noſtris tribui illis audiunt.

Hæc itaq; in pontificijs rabies & impudentia cum creſcat, & proh dolor apud multos ex noſtris ſtudij ac diligentiæ feruor atq; aſſiduitas indies imminuatur, iudicarunt hi qui doctrinam publicam in hac Academia gubernant, operæ precium facturum me, ſi inſtituta quam fieri poſſit breuiſſima doctrinæ utriuſq;, pontificiæ ſcilicet & noſtræ, Antitheſi, de præcipuis illorum erroribus & idolis diſcentes monerem, & ad inquiſitionem fontium in articulis utrobiq; controuerſis deducerem.

Ad eam rem etſi intelligo quam ſim ego minimè idoneus, tamen ne utilitati diſcentium publicè

meo loco decessem, sarcinam illam mihi imponi passus sum, facturus pro uirili & pro mea fide quantum Deus concesserit. Cras igitur hora septima in auditorio Collegij ueteris, sepositâ paulisper enarratione Mosaicâ, Antithesin hanc instituam, ad quam cognoscendam si qui accesserint, spero effecturum me, Deo iuuante, ne eos operæ & studij sui pœnitcat.

Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum fontem sapientiæ & doctrinæ omnis, ut clementer me in opera hac difficilima regat & doceat, & Spiritu suo sancto & ueraci in omnem ueritatem ducat. P P. Calendis Iunij. Anno 1567.

Paulus Crellius S. Theologiæ Doctor & Professor.

SACRÆ THEOLOGIÆ STVDIOSIS.

VIno uendibili non opus est suspensa hedera, uetus dictum est, ita S. Pauli scripta non humana commendatione opus habent, cũ uox diuina PAVLVM magnifico testimonio ornet, organum electum uocans, & quod raptus in tertium usq; cœlum, non ab homine Euangelium & doctrinam suam acceperit, neq; didicerit, sed per reuelationem IESV CHRISTI. De huius scriptis

ptis extat & Petri testimonium, affirmantis singulari sapientia à Deo concessa, epistolas ab ipso PAVLO fratre suo dilecto esse scriptas. Pluris multi profani homines hoc tempore lectionem Epistolarum Ciceronis propter sermonis elegantiam, proprietatem & perspicuitatem, ac sapientiam humanam faciunt, quàm lectionem Epistolarum PAVLI, non κατ' ὑπεροχὴν λόγου aut sapientiæ humanæ (quam insatuant Deus) sed iuxta sapientiam diuinam scriptas. Sunt omnino Ciceronis & similium probatorum autorum scripta tum propter orationem latinam formandam, tum propter multarum rerum utilissimarum in hac mortali uita cognitionem legenda. Sed sola scripta Prophetica & Apostolica lecta & cognita, Vt Pauli uerbis utar, ducunt εἰς πάντα πλοῦτον τῆς πληροφορίας τῆς σωτέσεως, εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi.

Præcipua igitur lectio & cognitio sacrorum librorum esse debet, iuxta mandatum Christi, Primum quærite regnum Dei &c. Item, Si quis diligit me, sermonem meum seruabit &c. Proponitur hic simul docentibus et discentibus. Deinde fide ac bona conscientia custodientibus sermonem Christi, promissio dulcissima, cum inquit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, &

manſionem apud eum faciemus. Quid homini magis & precioſius contingere poteſt, quam & docentes & diſcentes ſermonem Chriſti, eſſe templum & domicilium Dei patris, filij, & Spiritus ſancti? Ita & Iohannis Quinto Dominus amplissimum præmium uitæ æternæ proponit docentibus & diſcentibus ſermonem ſuum, ubi iuramento affirmans ait: Amen Amen dico dico uobis, qui ſermonem meum audit & credit ei, qui miſit me, habet uitam æternam, & in condemnationem non uenit, ſed tranſiuit à morte in uitam. Huius promiſſionis manifeſtum Exemplum in heſterna concione proponit Chriſtus. Lazarus audiens & diſcens per Moſen & Prophetas ſermonem Chriſti, & in eum credens, tranſit à morte in uitam, Abrahæ ſinum, inclusus promiſſioni Abrahæ eiq; fidens de ſemine benedicturo omnes gentes terræ, de quo Moſes & Prophetæ omnes loquuntur, horum ſermonem diues Epulo contemnens, & ſuis diuitijs & delicijs confidens ac fruens, tranſit ex hac uita in mortem, in flammas ac cruciatus æternos.

Propoſitus eſt igitur omnibus duplex tranſitus, aut in uitam, aut in mortem & ſupplicium æternum, Priorem tranſitum monſtrant Moſes & Prophetæ ducentes ad Chriſtum uitæ ἀρχηγόν. Poſteriorem monſtrat Princeps mundi & Deus huius ſeculi, qui excæcat ſenſus incredulorum, ne illuceſcat illis lumen Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt

eſt imago Dei. Non autem illuceſcit niſi legentibus & credentibus Moſi & Prophetis, ideo inquit Dominus, Moſen & Prophetas habent, illos audiant. Audiamus igitur iuxta præceptum domini Dominum per Moſen, Prophetas & Apoſtolos nos docentes, & eius doctrinæ credamus & obtemperemus, ut ex hac miſera & mortali uita in uitam æternam, uitam lucis, iuſticiæ, pacis, gloriæ, & leticiæ æternæ tranſeamus, & in condemnationem non ueniamus.

De hac doctrina ſalutis hactenus per nouem capita Epiſtolæ ad Romanos ſcriptæ Paulum concionantem audiuimus, Hodie igitur enarrationem noni & ſequentium capitum hora Tertia loco ſolito, Deo iuuante, ordiemur.

P P. 2. Iunij 1567.

Georgius Maior Doctor.

M. EVSEBIVS MENIVS, LECTORI.

INtermiſimus aliquantiſper operas doctrinæ noſtræ publicæ, quod à rei ſcholaſticæ negocijs publicis impedimenta nobis obijcerentur, ad quæ acceſſerunt à priuatis etiam rebus noſtris nonnulla. Vt minus autem cito & cupidè ad has rediremus, debilitauit ſtudium meum, quòd deſeri ſcholas noſtras experiremur ab ijs, à quibus maximè frequentari has oportebat, Excitat enim auditor ſtudium &c.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000173

Etsi ferendum hoc est, cum in nulla parte studiorum magis se prodat humana peruersitas, quam in studio Grammatico, Neq; enim gratia ei debita rependi solet ab ijs, qui hinc ad cætera progressi sunt & quibus maximè opus est ope & opera huius, ij necessarium ipsis studium negligunt. Quia tamen hoc tempore Syntaxis D. PHILIPPI prælectionẽ publicam denuò incipere instituimus, ab ijs, qui priuatas scholas habent, hoc petimus, ut se alleuari opera nostra patiantur, Inprimis autem ut publicæ & ordinariæ doctrinæ, atq; rei omnino scholasticæ pro debita fide rationem habentes, ad hanc lectionem mittant ex discipulis suis eos, quibus doctrina tali opus est. Assumemus autem ad præcepta Grammatica libros Tristium Ouidij, quod & faciles & latinæ Elegiæ sunt, & nihil complectantur, de quo non utiliter ad auditores nostros dici possit, neq; quidquam in his reprehendi potest, quàm animus in Poëta mollior ad ferendum exilium. Sed hæc etiam utilibus scholis occasionem suppeditant. Ita autem permutabimus interse operas hasce, ut prima et secunda die hebdomados Syntaxin legamus: quarta & quinta Ouidium. Et Hodie, fauente Christo D. PHILIPPI Latinæ Syntaxeos prælectionem incipiemus hora secunda Pomeridiana in schola Medicorum.

P P. Die 8. Iunij, Anno 1567.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

FElicitas est, quam Siracides celebrat, εἰς ὥτα ἀκουόντων, uerba facere, ad tales qui audiant, id est, morigeros habere eos qui recte docentur. Hæc felicitas cũ nostro ingenti dolore et multorũ interitu non contingit nobis à multis iam annis, quibus singulis in solicitudine de salute scholasticorum nostrorum paterna, edicimus, ne qui inpræterfluente Albi lauent, quæ edicta solennia, & ordinaria nostra, Professores publici, collegæ nostri suo quisq; loco repetunt & inculcant, singuli suis adaugentes commonefactionibus, & sua sponte & mandato Rectoris. Sed his omnibus ita nihil proficitur, ut singulis, penè annis, sepelianus, qui in Albi lauantes suffocantur. Hoc autem anno cœli constitutio & tempestas frigidior hactenus arcuit nostros ab his lotionibus, in hiduitamen auttridui proximi caloribus extiterunt statim aliqui, qui temeritate et contumacia sua edictiones pristinas uiolarent & hanc solennem nostram anteuerterent. Commemorata sunt in alijs edictis exempla uetera eorum, qui in talibus lotionibus perierint, sed quid uetera recensere attinet, cum nostratia habeamus nimis multa. Nihil etiam omissam de periculorum recitatione, quæ in hoc flumine pra alijs sunt & peculiaria, Vora-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000174

tices ſcaturiginum ἀθυσσοδέας, & inquilinatus ſpirituum eorum qui ſunt homicidæ, hi & ignium nocturnorum terriculamenta nauigantibus obijcere dicuntur, & pericula ſtruere hominibus hoc modo, ut pecudes quando aquantur in uorticem illos abripiant, ſi forte allicere ita poßint qui ſuccurrant, compertum enim eſt ſuffocatas ita pecudes, ſi nemo ſuccurrat, paulò pòſt fracta ceruice in ripam iectas fuiſſe, De quibus ut unuſquiſq; ſentiat quod uoluerit, nos ex Paulo diſcimus hos ſpiritus eſſe κοσμοκράτορας, ut horum δύναμις ἀορατῳ̃ καὶ ἀσώματῳ̃ non tantum aerem ſed terras etiam & aquas occupet, noſtra quidem culpa, qui per peccatum ἐξουσίας hos feeimus καὶ ἀρχὰς quos ſubiectos nobis conculcare potuimus, Contra horum igitur inſidias cum in terra & loco noſtro ægre nos tueamur, multò magis in aquis his patemus, quos natura non ita finxit ut in aquis degere poßimus aut debeamus. Sed ut quærantur & colligantur omnia, nihil poterit neq; cogitari horribilius, neq; dici uehementius, q̃ eos qui ſic moriuntur lauantes in Albi contra edicta noſtra, in cõtumacia mori & contemtu uſurpato aduerſus eos, quibus diuinis & humanis legibus morigerationem & uenerationem debent. Sicut igitur infamari caduera eorum ſolent qui ipſi ſibi mortem conſciuere, ita par fuerit neq; uiuos neq; mortuos ullis ornamentis publicis Academiæ noſtræ affici, qui hæc edicta

uiolantes, aut ipſi ſibi interitum afferunt, aut exemplo ſuo perdunt alios. Et quid facturi ſimus in hac parte deinceps, res oſtendet. Veteres in fluminibus non tam uoluptatis quam natationum cauſſa lauare ſolebant quæ habent progymnaſma quoddam militare, in noſtris autem regionibus neq; tantus æſtus eſt, ut hac refrigeratione carere non poßimus, & ad militaria exercitia noſtri huc non mittuntur. Horum omnium conſideratione, Inprimis autem & mortis crudelis, quam fortißimi quiq; extimeſcere introducuntur & neceſſario extimeſcunt, & inhonoratæ ſepulturæ, & conſcientiæ cauſſa, ne contra magiſtratum & paternum magiſtratum aliquid committatur, abſtinere noſtros ab Albi uolumus, & ut faciant edicimus & mandamus. P P. V I. Id. Iun.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS GEORgius Maior, Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

VTrumq; uult Deus, Vt petamus & expectemus auxiliũ ac defenſionem ab ipſo, Et ſimul præſtemus mediocrem diligentiam ſinguli ſuo loco in officijs uocationis, contineamus nos intra metas muneris noſtri, nec aut fiducia præſidiorum humanorum,

norum, uel moneamus non necessaria, uel experiamur irregularia ac prohibita, aut trepidatione desperationeue uel quæramus remedia ac præsidia non licita, uel conficiamus nos curis, contentionibus & laboribus inutilibus.

Sunt enim omnes conatus sapientiæ, prouidentiæ ac uirtũ humanarum irriti sine auxilio Dei. Nõ fuisse autem hactenus inanes et ineffi caces gemitus nostros & suspiria, quibus ceu anhelantes ad Deum salubriter sub pondere publicorum malorum, ostendunt testimonia manifesta præsentiæ ac protectionis diuinæ. Non texerunt nos hi aggeres quibus cingimur. Non excubiæ militum. Nulla uigilantia humana eluisset aut deprensit insidias, quæ ignorantib. nobis et nil tale suspicantib. structæ fuerunt.

Nulla denique diligentia sapprehesit repullulantia uerno tempore pestifere luis contagia, Sed ex omnibus his eripuit nos Dominus, cui gratias agamus, et seruiamus totis uiribus, nos Præceptores uera, necessaria & utilia docendo monendoq;, nos Scholastici discendo & modeste ac reuerenter obtemperando. Ac petamus, ne deinceps ullum nos deserat, Sed sit custos ac protector noster, arceat occulte insidiantes nobis diabolos & malos homines, pessundet molitiones perniciosas lacerantium concordiam Ecclesiæ, et accendentium dissidia infanita, discutiat et abigat contagia, ne recrudescant et cœtũ qui colligitur ad labores ipsi placentes dissipent.

Pertinet autem ad munus nostrum, qui præsumus, & ad eam diligentiam quæ præcipitur diuinitus hoc etiam, ut uelut naucleri ad clauum sedentes intenti simus in tempestates, quæ impendent, & si qua pericula prospiciamus, moneamus socios, qui in eadem nobiscum naui uehuntur, ut intelligant pericula & caueant inuocatione Dei, & mediocri cura ac diligentia.

Cum ergo ex fide dignorum hominum indicijs didicerimus uagari per Germaniam incendiarios, qui multa passim oppida & pagos exustos funditus redegerunt in cineres & fauillas, hortamur Scholasticos, ne ullos peregrinos & ignotos hominem, uel in urbem introducant deceptis custodibus portarum, uel in sua conclauia recipiant.

Deinde ut præcidamus occasiones, quibus tales nomine ac titulo scholasticorum clam irrepere in urbem poterant, Præcipimus, quod sæpè antea in hac Academia factum est, ut qui commorari hic studiorum causſa uolunt, nec sua Rectori nomina dederunt, ea profiteantur, & petant testimonia, quæ interrogati promant & ostendant, ut ciuibus constet, quales habeant hospites. Ita enim inter Academiam & Senatum Oppidi conuenit, ut ciues à commensalibus & inhabitatoribus ædium suarum testimonia inscriptionis requirant. Interest enim Reipub: Interest nostrum omnium, ne pro

ne pro ſcholaſticis ſeſe ingerat in hanc urbem colluuies nebulonum, hoc periculoſo tempore, quo alioquin gubernatio difficilima eſt, cum propter manifeſtam rabiem malorum ingeniorum augeſcentem indies diaboli ſingularibus impulſibus, tum propter mirificas techinas & occultationes, quibus quæ tenduntur inſidiæ, adornantur eo aſtu, ut ne quidem à ſapientibus ac prouidis aut ſagacitate ulla deprehendi aut induſtria auerti poſſint, niſi præferantur aut opprimantur diuinitus. Qui teſtimonia à Rectore non habebunt, non tolerabuntur in urbe. Conſulite ergo hac in re noſtræ & ueſtræ ſecuritati ac tranquillitati, & ueſtram ac communem ſalutem pub. aſſiduis precibus Deo commendate.

Adſeruntur etiam querelæ ad nos quod ſcholaſtici uiolenter effractis ſeu portis ſeu ſepibus, hortos ciuium deprædentur, et noctu maximè, cum patresfamilias abſunt aut quieſcunt & fama eſt quoſdam in direptione comprehenſos ac male multatos eſſe, qui mercedem tulerunt hoc labore dignam. Id ne faciatis, interdicimus uobis ſerio. Si qui contemtu mandati noſtri non abſtinuerint, eos, ſi indicati nobis fuerint, tanquam graſſatores et depopulatores hortorum cum infamia eijciemus ex Academia, Si à Colonis caſtigati fuerint, plagas quas acceperint boni conſulent. Cumq; multi inter uos peccent intemperantia, monemus ut crudorum fru-

ctuum uſum moderemini, hoc æſtu præſertim, quo alioquin corpora languent & calor imbecillior eſt. Morbos enim adferre ſolet immoderatior uſus præcocium fructuum ferè immedicabiles, in præſentia dyſenterias, ſub autumnum tum eaſdem tum febres periculoſas ex obſtructionibus & putredine. Veſtræ itaq; ualetudinis & ſalutis uos ratio moueat, ut à rebus nocentibus uobis temperetis. Nam intemperantia ſponte morbos lethales ſibi accerſere, eſt iugulare ſemetipſum. P. P. 13. Iulij, Anno 1567.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VIR doctiſſimus Magiſter CASPAR CRVCIGER hodie hora duodecima ſepeliet filiolum quatuor menſium, quem habuit unicum, heri circiter ſextam matutinam poſt longos inflati tenſiq; uentris cruciatus, qui corpuſculum tenerum per aliquot dies non ſine dolore & gemitu ſpectantium grauiter torſerunt, tandem extinctum paraxyſmo epileptico. Infantulo etſi mali nihil accidit uniuerſis huius uitæ miſerijs beato exitu perfuncto, præſertim cum uideretur eſſe δυνάμει νόσερ & ex natalicio themate, in magno tamen dolore ſunt φιλόσοργοι parentes, pater, &

Auus

Auus maternus, orbati certo non tantum in nomen, ſed & ueſtigia uirtutis paternæ auiq; paterni Doctoris Crucigeri ſucceſſore, cuius memoriam nulla unquam delebunt ſecula. De ingenio enim filioli, etſi iudicium fieri nondum potuit, ſpes tamen concepta fuit à parentibus maxima ex genethliacis indicijs minime fallentibus, ſi adoleſcere ei & peruenire ad maturiorem ætatem contigiſſet. Cum autem utriusq; & patris Magiſtri Crucigeri, & Aui materni M. Sebaſtiani Froſchelij extent egregia & plurima in hanc Academiam & Eccleſiam merita, ſingulari fide & ſedulitate præſtita per annos multos, afficiamur ingenti luctu ipſorum, & utriq; mœſticiam, quibus poßumus officijs leuare ſtudeamus. Magiſtro Froſchelio enim nuper ex longo difficiliq; morbo uix etægre eluctato ne recidiua pariat hic nouus dolor periculum eſt, cui ita repugnare, ut protinus omnem reijciat ex animo, hominum eſt ἀσοργῶν, carentium ſenſu omni humanitatis, & immanitate certantium cum beſtijs. In animis enim εὐσοργῶν parentum quales hi ſunt, igniculi amoris erga liberos minimè ita reprimuntur aut reſtinguũtur, Vt flamma inſperſa aqua extinguitur. Sed erigent & conſolabuntur ſe parentes dulciſſimis uocibus filij Dei, in cuius ſinu & complexu filiolum ſuum certò recumbere nunc ac quiete frui æterna ſciunt, iuxta promißionem: Sinite paruulos uenire ad me, Talium enim eſt regnum cœlorum.

Funeris

Funeris deductionem, ut ſcholaſtici cohonestent ac proſequantur frequentes, & hoc officij genere ſtudium atq; obſeruantiam utriq; parenti ſuam declarent, hortamur.

PP. 30 Iulij, Anno 1567.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Miſit in hanc ſcholam noſtram Iohan Vuolfium filium, uirtute, conſilio & humanitate præſtantiß. Vir, & ex præcipua familia nobilitatis equeſtris Franconicæ Iohan Sigemundus Ballorhodenſis, cuius prudentia & iudicium rectum, etiam ex hoc ipſo æſtimetur, quod in literis educari filium uoluit, & ordinis dignitati, ſapientiæ et doctrinæ bonum atq; ornamentum adiungere, cuius ritibus familia gentile exemplum habet & illuſtre quidem, in Matthæo Ballorhodenſi, qui ex primis alumnis Academiæ noſtræ, interq; initia huius, in ſtudijs doctrinæ, & D. Philippi Melanthonis noſtri et Ioachimi Camerarij, aliorumq; præcipuorũ ex ſenibus & adhuc ſuperſtitibus Profeſſoribus noſtris, ſuauiſſima conſuetudine hic uixit, quorum pleriq; ſpectatam in hoc Illuſtriß: Ducibus Saxoniæ Iohan Friderico Patri & filijs huius, Erneſtoq; fratri & terris horum, in adminiſtranda Repub.

ſapien-

ſapientiam & fidem ſuis etiam literis celebrare ſtuduerunt, neq; hic tantum præſtare Reipub. neq; laudem eiuſmodi dignitatemq; mereri ſibiq; conciliare potuiſſet, ſi qua ingenium excolitur, doctrinam neglexiſſet, & Clariſſimum Virum operæ in hac nauatæ minime pœnitere neq; pudere familiarium in ſtudijs ueterum ſcimus, Sed nobilis Viri Iohan Sigemundi Ballorhodenſis, de Iohan VVolfio filio laudabiliter & recte inſtitutum ſuſceptumq; conſilium, cum dolore quidem iuſtiſſimo noſtro ſecundum humanas rationes non ceſſit feliciter, Mense enim ſuperiore cum ad nos ueniſſet hic Iohan Vuolfius Ballorhodenſis, inualetudinem occultam huc ſecum afferre uiſus eſt, undecunq; extiterit, ut quamuis non decũberet, animaduerti tamen poſſet, et animo ei male eſſe et corpus non recte ualere, quæ octauo ab hinc die in febrem erupit eiuſmodi, quæ Galeno eſt πύρετος ἐπὶ βεβῶς, quam etſi nihil habere λοιμικὸν multæ ſunt coniecturæ, & ut confidimus res oſtendet, ut publice tamen ſcholaſticis, & priuatim condiſcipulis ipſius caueretur, cum ſit ſalutare numen circumſpectio, & ut melius curari poſſet, in ualetudinarium noſtrum translatus eſt, ubi cum cerebrum attentaretur & epileptici etiam paroxyſmi accederent, nocte proxima, circiter medium huius, mortuus eſt, in flore ætatis & ingenio atq; indole eiuſmodi de quibus optima ſpes conciperetur, quæ cum ad frugem non peruenerunt,

uenerunt, ſtatuamus hoc eſſe & ipſi & nobiliſſimæ familiæ ipſius melius, cum iudicia Dei ut occulta ita etiã iuſta ſint cuius ſapientiæ et iuſticiæ humanæ rationes ſe ſubijcere debent, eiq; minimè obtrectare. Reipublicæ tamen cum damnum detur morte eorum, qui ad uſum huius utiliter bonaq; cum ſpe educantur, unuſquiſq; ex ſcholaſticis, iis præſertim qui ex nobilitate ſunt, tanto magis hoc operam det ut quod huius alumni noſtri morte Reip. deceſſit, ab ipſo compenſari poſſit. Fiet autem ſimus nobili adoleſcenti huic hodie Hora III I. quod pia et officioſa deductione ad ſepulturam proſequi noſtræ iuriſdictioni ſubiectos uniuerſos uolumus. P P. Non. V.ilis.

DECANVS COLLEGII IN ACADEMIA VVITEbergenſi ABRAHAM VVERNER artis Medicæ & Philoſophiæ Doctor & Profeſſor.

NON dubium eſt uerè, Chriſtum gaudere bonorum,
Congreſſu placido colloquijſq; pijs.
In quibus illuſtrent docti uenerabile uerum,
De uarijs rebus iudicijſq; ſerant,
Filius ergo Dei nomen ſermonis ab uſu
Traxit, & inde patris dicitur eſſe λόγος.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000179

Colloquijs hominum ſanctis quod gaudeat idem,
Quodq; uelit linguam facta ſonare Dei.
Ille ſuo quoties congreſſus nomine fiant,
Præſentem in medio ſe fore ſemper ait.
Doctorem ſeſe, præceptoremq; profeſſus,
Monſtrantem quod ſit uelle quod eſſe Dei.
Quid magno eſt igitur maius mortalibus orbe:
Quidue piæ menti dulcius eſſe poteſt?
Doctoris tanti quam uocem audire ſonantem,
Verbaq; præſentis poſſe notare Dei.
Sunt quoq; congreſſus tales cœleſtis imago
Agminis, æterni quod canit acta patris.
Cui ſuperum uiuus audire & reddere uoces,
De ſummis rebus iam ſine fine datur.
Ergo decet gaudere pios congreſſibus illis,
Cum præſentem ipſum conſtet adeſſe λόγον.
Nos igitur, de more ſcholæ cum examina fiant
Publica, quæ multum crebro iterata iuuant:
Collegas petimus, Doctores, atq; Magiſtros,
Vt nos auxilio, conſilioq; iuuent.
Officioq; ſuum tali teſtentur amorem,
Erga illas artes, doctaq; colloquia.
Qui profectum igitur noſtrorum inquirere tentat,
Conueniat PRIMAM *cum dabit hora notam.*

PP. VII. Id. Auguſt.

DECANVS

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergenſi, ABRAHAM VVERNERVS, artis Medicæ Doctor & Profeſſor.

AGmine diſcentũ quod noſtra Academia floret,
Diuinæ tantum eſt id bonitatis opus.
Nam tibi ſeu ſubeat triſtiſſima peſtis imago,
Quæ multas operis diſcutiebat apes:
Siue recens animo reputes lacrimabile bellum,
Quod ſummi nobis cauſſa timoris erat:
Nos uerè excubias Chriſti ſenſiſſe fatendum eſt,
Et cœlo auxilium, non aliunde, datum.
Cladibus ille pios mergit, uarijsq; periclis,
Eripit at rurſum cladibus ille pios.
Nam dum uiuit, habet uarios Eccleſia caſus
Ac firmum in toto uix habet orbe locum
Nec tamen illa unquam tota extinguetur in æuum,
Diuinam in media nam cruce ſentit opem.
Sic nos congreſſus iterare & cogere cœtum
Poſſe pium, uerè muneris omne Dei eſt.
Ergo pijs celebrare animis & pectore grato
Si qua animo pietas, munera tanta decet.
Et iam lux aderit, quæ TERTIA *ſurget ab iſta*
Ac MARTI *ueterum more dicata manet,*
Luce Magiſterij qua decernemus honores,
Doctrina ornatis & pietate uiris.

Hunc igitur cœtum uos ô celebrate fauentes,
Artibus ingenuis cum tribuatur honor.
Est aliquid, tantas in honore reponere dotes,
Stare in honore suo quas iubet ipse Deus.
Sed tu gnate Dei seruа pia dogmata & artes
Excubiasq; tuo pro grege semper age.
Nos quoq; seruati tua dona immensa canemus,
Nobiscum placidus cu modo Christe mane.

P P. Die Laurentij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS GEORgius Maior, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor.

CErtissimum est, genus humanũ non esse tam natum ad hanc caducam, miseram & æruminosam uitam conditum, sed ad reperc alium uitæ æternæ portum tranquilliorem, meliorem ac beatiorem: in quo Deus erit omnia in omnibus beatis, hoc est, Vbi Deus illos homines, qui in huius uitæ curriculo, aliqua saltem initia fidei & cognitionis Dei Patris, & filij eius Mediatoris, Domini nostri Iesu Christi, per uerbum & Spiritum Sanctum perceperunt atq; retinuerunt, diuina sua luce, sapientia, bonitate ac iusticia ornabit ac perfundet. Vbi illi fruentur perpetua lætitia, conspectu & collo-

colloquio Dei & omnium Sanctorum: Vbi denique ueræ fide facti filij & hæredes Dei, in cœlestium atq; æternorum bonorum integram possessionem restituentur. Hæc nisi consolatio nobis in promissionibus diuinis ostensa ac proposita fide apprehenderetur, propter infinitas ac immensas curas, labores, & pericula, quæ singulis in hac uita imminent atq; incumbunt, animos hominum fluctibus dubitationum atq; desperatione frangi atq; euerti necesse esset: Et pij in Christum, tantum in hac uita sperantes, miserrimi essent omnium hominum, ut Paulus ait: Sed cum Christus resurrexerit ex mortuis primitiæ dormientium, etiam eos, qui in ipsum credunt, ad uitæ æternæ societatem in nouissimo die resuscitabit: Iuxta dicta: Ioban. 14. Ego sum resurrectio & uita. Omnis credens in me etiamsi mortuus fuerit, Viuet: Et omnis uiuens ac credens in me non morietur in æternum Ioban. 6. Hæc est uoluntas eius qui misit me, ut omnis uidens filium & credens in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et Psal. 17. Ego in iusticia uidebo faciem tuam, Satiabor cum euigilabit & resurget imago tua, hoc est, cum restitues post hanc uitam in nobis integram imaginem & conformitatem uirium cum lege & uoluntate tua congruentium. His et similibus promissionibus Dei, mentes & pectora nostra erudiamus, confirmemus ac muniamus, contra omnes

calamitates casus & aduersitates, ac denic̃; contra mortem ipsam.

Simili spe ac fiducia sese, cum in omni sua uita, tum præcipuè toto morbi tempore sustentauit pia & honesta Matrona DOROTHEA, filia prudentis & honesti Viri, Vrbani Kranappeli, piæ memoriæ, aliquando iudicis in hoc oppido, optimè de hac Republica & Academia meriti, quæ primum nupta fuit GEORGIO GRVNERO Noribergensi, Quæstori arcis VVitebergensis, qui & ipse fideliter inseruijt huic Reipublicæ, ex quo tres filios suscepit. Deinde et HIERONYMO MEBO VVitebergensi, ex quo filiolam peperit adhuc superstitem, & recens filiolum, qui paulò pòst baptismum cum fœtus esset immaturus, extinctus est. Laborauit ea iam multos per annos Epatis uitio, quod consecuta est ἀνοχεῖα, imbecillitas uentriculi, & omnium uirium corporis & ἀπεψία, & alia incommoda: Cumq; ante dies 12. diuturnis partus doloribus, uires eius plurimum fractæ ac debilitatæ essent, heri circa horam primam pomeridianam placidè in uera fide, et inuocatione filij Dei Domini nostri Iesu Christi, ex hac uita decessit, Et fiet hodie publica funeris deductio hora III. pomeridiana. Hortamur itaq; scholasticos, Vt ante ædes ipsius in aditu plateæ Iurisconsultorum sitas, eadem hora conueniant, ac singuli & sese, & totam Ecclesiam iam quasi parturi-

entem, & finalem liberationem expectantem, DEO ardentibus uotis commendent Die 21. Augusti 1567.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVam propicius Deus, administrãte illustriß. Principe nostro, quietem concedit Reipub. & his terris, pace parta & periculis auersis ingentibus, ea ex scholasticis aliquos ad petulantiæ et tumultuum facinora nefariè abuti comperimus, qui nimirum & ad Deum & homines hoc modo impiè & sceleratè ingrati sunt, & iustißimam iram Dei sibi & alijs irritant & omnes bonos & intelligentes à se abalienant. Atq; ita sicut Homericus Bellerophon in meritum Dei & hominum odium incidunt. Defertur autem ad nos de nocturnis grassationibus & uiolentis conatibus quorundam, qui armati in uia publica homines uiolenter adoriantur & tam noctu quam interdiu tumultuandi occasiones et causas exquirant, etiam ad digladiationes alios prouocẽt, Et præter hæc ijs quos sclopos & bombardas uocant aliqui intra et extra oppidum, sed extra oppidum inprimis contra Illustriß. Principis nostri proposita edicta uti perhibentur. Quæ omnia etiamsi legibus peculiaribus non prohiberentur per se esse iuri & honestati contraria & ab ordine nostro alienißima, omnes intelligunt. Sed armorum usu legib. schlasticis

interdictum est nostris, prouocationes autem ad digladiandum, ijsdem legibus nostris quasi capitales sunt, habent enim pœnam, exclusionis quod est uelut ultimum supplicum nostrum, cum nulla possit esse scholastica pœna maior aut grauior. Grassationes uero & uim, leges ciuiles prohibent et atrociter puniunt, cum nihil sit iuri magis quam uis contrarium. De bombardarum autẽ usu prohibito extant & Illustrißimi Principis & scholastica etiam edicta nostra. Quorum omnium in præsentia commonefacimus eos, qui nondum aliquid in hoc genere commiserunt, ut ad cauendum sibi excitentur, Cæteri qui contra conscientiam aduersus magistratum legitimum et leges tumultuantur, scire debent se habere iratum Deum, & esse in potestate Diaboli, cuius organa sunt & non uasa gratiæ neq; misericordiæ, contra quos, cum uerbis et edictis frustra agatur, nostram etiam animaduersionem non patienur requiri, neq; decrit consilium Illustriß. Principi nostro ad paucos quosdam, qui in hac Academia et oppido quietem publicam turbant, & leges atq; edicta tam excelsitatis ipsius quam nostra uiolant, cohercendos. P P. XII. *Cal.* VIII *bris.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Iohan-

Iohannes Euangelista Apocalypsis cap: 14. *refert, se cœlestis & diuinæ uocis iussu hanc sententiam scripsisse:* Beati *mortui qui in* Domino *moriuntur, & addit hanc ipsam sententiam insuper spiritus testimonio approbatam & confirmatam esse, idq; his uerbis etiam dicit* Spiritus, *ut requiescant à laboribus suis.* Opera *autẽ sequentur illos. Quare & nos hoc dictum & diuinum testimoniũ sæpè multumq; cogitemus, cum per omnem uitam, tum uerò uel maxime, quotiescunq; funera piorum hominum deducimus & comitamur. Et meminerimus diuum Iohannem hanc sententiã diuino iussu ideo literis commendasse, atq; in librum retulisse, ut inde eam transferentes nos animis inscribamus ac infigamus, eamq; assiduè & pie meditemur. Quod si fecerimus, & ex hoc ipso dicto multiplices atq; efficaces & uiuas consolationes in omnibus nostris afflictionibus haurire poterimus, & quàm plurimas causas reperiemus, cur ijs, qui ex hac uita euocantur, eam migrationẽ meritò gratulemur. Nam ut omittam commemorationem malorum, quibus pij in hac uita premuntur, & à quibus omnibus mors eos liberat: Quis uarietatem et magnitudinem cœlestium bonorum, quibus pij in tota æternitate summa lætitia repleti, fruentur, uel cogitatione comprehendat, uel uerbis eloquatur? Quantum enim lætitiæ erit in illa æterna & uisibili societate & conuersatione cum* Deo *æter-*

no patre, filio, & Spiritu ſancto, ubi totam Trinitatem noſtris oculis contemplabimur, ubi noſtris auribus ſuauiſſimam uocem Dei ex ipſius ore hauriemus? Quam plena enim omni gaudio erit illa iucundiſſima conſuetudo cum omnibus beatis hominibus, cum ſanctis patribus, cum diuinis Prophetis, cum Apoſtolis, cum Martyribus, & omnib. alijs pijs? Horum iucundiſſimis colloquijs de rebus maximis, ſine ullo fine frui, quantum lætitiæ pijs adferet? Iam nulla cogitatione aſſequi poſſumus, quam iucunda quàm læta ſit futura hominibus pijs in cœleſti uita conſuetudo cum omnibus ſanctis Angelis: Nihil certè pijs dulcius erit, quam horum, & mirandam naturam coram uidere, & ſuauiſſima colloquia auidiſſimis auribus audire? Quantũ porrò uoluptatis erit in aſpectione totius naturæ rerum & admirandi opificij mundi? Poſtremo non ſine maxima delectatione beati homines aſpicient pœnas omnium damnatorum Spirituum & hominum, qui in hac uita Eccleſiam Dei duriter afflixerunt: à quibus ſe deinceps perpetuò liberatos eſſe ineffabili gaudio lætabuntur. Tot igitur & tantis bonis cum pij in cœleſti uita fruentur, meritò debemus gratulari illis qui ex innumerabilibus huius uitæ malis liberati, pia morte hinc euocantur ad iucundiſſimam fruitionem omnium bonorum cœleſtium. Et his quidem iam frui credimus pium, eruditum & Nobilem adoleſcentem

tem ROMANVM STAVDACHER, qui ſuperiore nocte ui aduſtæ bilis & morbi melancholici in inuocatione filij Dei pie & placidè ex hac ſchola in cœleſtem Academiam migrauit. Huic igitur funus fiet hodie hora IIII. Hortamur igitur ſcholaſticos omnes, ut ad piam funeris deductione prædictã hora propè ædes Quæſtoris huius oppidi frequentes conueniant, & ſe ſuamq; uitam & Eccleſiæ conſeruationem pijs ac ardentibus uotis Deo commendent, eumq; orent, ut Clariſs: & Nobiliſs: Virum Dominum GEORGIVM Staudacher patrem huius defuncti, præfectum Cæſareæ Maieſtatis in oppido KEVTPHA, conſoletur, qui haud dubiè Charißimi filij, quem magnis ſumptibus longo tempore in pijs ſcholis aluit, obitu cognito, in grauiſs: luctu erit. P P. 13. Aug.

IN ODYSSEÆ HOMERI LIBRI XXII. PRÆLECTIONEM.

VIgeſimi ſecundi libri Odyſſeæ Homeri interpretationem ad diem Iouis proximũ, Deo auxiliante, incipiemus, qui liber una cum ſequentibus duobus continet ultimũ actum, et ceu Cataſtrophen (Tragicã certè) earum rerũ, quas in hac parte ſuæ Poëſeos Homerus executus eſt. Cõmemoratur enim cedes procorum, qui uarijs caſib. interficiuntur ab Vlyſſe & filio, dantq; pœnas petulantiæ ſuæ, & uiolentiæ, qua domum alienam abſente Domino oppreſſum

oppreſſam tenebant, Et Vlyſſem ipſum ac filium inſidijs exceptos è medio tollere cogitabant.

Tandem igitur euenit eis, quod dictū eſt à Poëta, Sera tamen tacitis pœna venit pedibus, quodq; *eſt apud Homerum,* οὐκ ἄρετᾶι κακὰ ἔργα *&c Hoc uero humaniſsimum eſt, quod muſico parcitur & præconi, ubi additur duleiſsimum* ἐπιφώνημα, *Beneficentia noſtra debere ſuperari malefacta hominum, qui nos offenderunt,* Pallas *ut alibi ſemper, ita & in hoc poſtremo agone præſto adeſt, opem ferens Vlyſſi, ut oſtendatur, nihil magni geri à uiris præſtantibus ſine Deo,* Deniq; *omnia ſunt, illuſtria, & plena ſalutaris doctrinæ ac ſapientiæ, ut rectè dictum ſit, poſt Sacratiſsima Biblia nihil melius nec utilius ſcriptum eſſe, Mea in explicando fidelis & aſſidua opera dum uiuo, non deerit auditoribus. Deum toto corde precor, ut nobis omnibus clementer adſit, pacem concedat, contagia arceat, pœnas mitiget, nos regat ac gubernet Spiritu ſancto ſuo. Sicut clementiſsimè promiſit Pſalmo 32. Intellectum tibi dabo, et docebo te in uia qua gradieris, oculo meo te regam. Hoc facito tu clementiſsime* DEVS, *per Chriſtum filium tuum* Redemptorem *noſtrum, Amen.*

P P. IX. *Calend. Septemb:*

Vitus Ortelius VVinshemius Medicinæ Doctor & Profeſſor.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS GEORgius Maior, Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

HOneſtus, *eruditus, & pius Vir* Valentinus Cherus, *miniſter Scholæ in inclyta urbe Magdeburga, ſuperioribus diebus ſalutandorum amicorum cauſſa huc uenit, in ipſo itinere febri quadam correptus.*

Is *hodie inter ſextam & ſeptimam ui inflammationis ſuperante, in filio Dei* Domino noſtro Ieſu Chriſto, *cum ardentiſsimè inuocans, cum firmiſsima ſpe lætiſsimæ futuræ reſurrectionis, placidè obdormiuit. Totam uitam antè actam ſic transegit, ut propter morum modeſtiam & diligentiam in diſcendo, & fidem in docendo omnibus carus eſſet, Primum in Schola Magdeburgenſi & fideliter inſtitutus, & honeſtè educatus fuit,* Deinde *in Academia Regiomontana uixit biennium. Poſtea in hac Schola uerſatus eſt circiter triennium. Cumq; miniſtri celeberrimæ ſcholæ Magdaburgenſis, eius mores, eruditionem, & pietatem, probarent, hinc uocatus, eorum factus eſt fideliſsimus collega. Sed cum filio Dei uiſum ſit, eius æterna præſentia cœleſtem Academiam tanquam pulcerrimã plantula deinceps ornare, eundem diuina euocatione ſcholæ Magdeburgenſi eripuit. Quamobrem*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000185

obrem ei quidem hanc felicem migrationem gratulemur, cognatis uerò eius & miniſtris Scholæ Magdeburgenſis condoleamus, quod fideliſſimi & iucundiſſimi collegæ conſuetudine & optimo amico ſint orbati. Nec uerò leuis iactura putanda eſt, cum iuuentus Scholaſtica pijs, eruditis, & fidelibus doctoribus, qualis hic Valentinus fuit, priuatur. Scripſit autem binas literas ad quendam amicum ſuum, ex quibus apparet, quod longo tempore antea ſe ad hanc euocationẽ præparârit, et quodammodo præſciuerit, breue ſibi uiuendi curriculum in hoc ſæculo reſtare. Compoſuit enim ipſe ſibi Epitaphium, in quo literis annum obitus ſui ſignificare uoluit.

Itaq; nobis omnibus exemplum reliquit, ut paulatim huic mundo ualedicamus, & nos ad cœleſtem uitam præparemus, meditatione piorum dictorum: Vt Siracidæ: Hodie mihi, cras tibi, & Epiſt: ad Hebræ. cap. 13. οὐ γὰρ ἔχομεν ὧδε μένουσαν πόλιν, ἀλλὰ τὴν μέλλουσαν ἐπιζητοῦμεν.

Item uerſiculorum Stigelij.

Mors tua, mors Chriſti, fraus terræ, gloria cœli,
Et dolor inferni, ſunt meditanda tibi.
Viue diu, ſed uiue Deo, nam uiuere mundo
Mortis opus, uiua eſt uiuere uita Deo.

Quic-

Quicquid erit tandem, mea ſpes eſt unica Chriſtus,
Huic uiuo, huic morior, cætera cura nihil.
Quid ualet hic mundus, quid gloria, quiduc triumphus?
Poſt miſerum ſumus puluis & umbra ſumus.

Horum igitur & ſimilium dictorum cogitatione, deponamus amorem huius calamitoſæ, & caducæ uitæ, & deſiderio æternæ conſuetudinis cum Deo, cum beatis hominibus, & cum ſanctis Angelis incendamur, & de felici migratione ex hac uita magna cura afficiamur, memores uerſiculi Clariſſimi, optimi, atq; eruditiſſimi Viri Domini. Joachimi Camerarij.

OMNIA TVNC BONA SVNT
CLAVSVLA QVANDO BONA EST:

Fiet autem funus defuncto Valentino Chære hoc die hora quarta. Quare hortamur omnes Scholaſticos, ut illa hora ad nullum prope Noſocomium Academiæ deducendi funeris cauſſa, frequentes conueniant, & hoc officio declarent, ſe & amare doctrinam Eccleſiæ Dei, & cupere ſocios eſſe omnium illorum, de quibus ſcriptum eſt. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, GEORgius Maior S. Theologiæ Doctor & Professor.

Nihil dubium est Vitam hominum seruari immediate ac tantum à Deo, *Et esse uerissima de hac dicta diuina passim repetita: Ego sum uita tua & longitudo dierum tuorum, Item In ipso uiuimus, mouemur & sumus. At non minimam huius partem defendi ac protegi in periculis & aduersationibus magnis & innumerabilibus præsidio et excubijs castorum angelorum, non solum exemplis atq; experimentis uitæ humanæ plurimis certum est, Sed & diuina uoce affirmatur atq; inculcatur aliquoties.*

De angelis enim Epistola ad Hebræos inquit: Eos Spiritus esse λειτουργικους, hoc est, ministros missos ad inseruiendum his, qui hæredes futuri sunt æternæ salutis. Idq; haud dubie ex Psalmo desumptum est idem affirmante, Facit DEVS *angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ardentem, Quibus dictis utrumq; docetur, Quòd & substantia horum spiritualis sit,* Et *ea non ociosa, sed condita ad officia & ministeria electorum publica & priuata. Hæc uero quanta & quam uaria sint, etsi in hac nostra infirmitate non intelligimus,*

gimus: Tamen nemo est, qui si suæ aut suorum uitæ seriem exactius exeminauerit, non fateri cogatur creberrime se illa experiri. Graui igitur & sancto instituto in Ecclesia factum est, Vt dies crastinus memoriæ castorum angelorum dicaretur, Quo repetit Ecclesia, & cum gratiarum actione ad Deum celebrat beneficia ingentia illa et immensa planè, quæ Deus excubijs angelorum præstat pijs cœtib. publicè, et priuatim singulis, addita doctrinæ de origine et de discrimine angelorũ, bonorũ et malorum non solũ ut ad gratitudinem rudiores inuitet, sed multo magis ut expressa periculorum magnitudine, in quibus præsidio angelorum bonorum seruamur, ad precationem omnes excitet ardentem atq; assiduam, qua & Ecclesiam publicè & priuatim se singulos Deo excubijs angelicis seruandos commendent. *Hunc sanctum* Ecclesiæ *morem, & institutum sanctum retineri & seruari piè honestißimum & iustiß: est: Profecto erim nimis sumus barbari & feri, si neq; pericula nostra cogitamus, in quibus momentis omnibus cum propter diabolos tum fragilitatem propriam uersamur, Neq; ingens hoc beneficium agnoscimus, quod uerißimè Deus custodia angelorum castorum iuuat, seruat ac protegit nos.* De *diabolo enim quid affirmet uox diuina, nemo est qui ignoret. Circumit is ut* PETRVS *inquit, tanquam Leo rugiens querens quos deuoret, Et ipse Filius Dei Dominus*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000187

minus noſter Ieſus Chriſtus triſtiſſimis eum nominibus in Iohanne deſcribens, Quod uidelicet Mendax ſit & homicida, ad Apoſtolos alibi inquit: Depoposcit uos SATANAS ut cribraret uos, tanquam triticum, Qua emphatica & militari ſermonis forma audaciæ & maliciæ improbitatem in hoc homicida utcunq; Dominus exprimit, PAVLVS uero Apoſtolus Epheſios 6. propoſita non tantum irritæ poſtulationis, ſed grauiſſimæ militiæ ac dimicationis imagine, eandem amplificat atq; exaggerat. Non eſt Lucta nobis aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates mundi Dominos in tenebris ſeculi huius regnantes, Spiritus nequam in cœleſtibus, imo aduerſus Deum ſeculi huius efficacem in filijs incredulitatis, Vt alio in loco inquit.

Cohorreſcerent piæ mentes haud dubie, atq; extinguerentur trepidatione et metu, ſi oculis cernerent magnitudinem periculorum, quæ his ſolis Chriſti et Apoſtolorum dictis ſignificantur, ſed reuera cum non cernantur, maiora illa ſunt ac terribilia magis, quam ut ulla uel oratione uel cogitatione humana enarrari aut comprehendi poſſint: Et quidem non hoc uno modo terribilis eſt Diabolus, cum ut hoſtis, & is fremens atq; rugiens, deſcribitur. Multò is eſt nocentior & formidabilis magis, cũ nihilpræ ſe fert hoſtile, et mutatus in angelum lucis, non

non corporum tantum, ſed animarum potiſſimum ſaluti inhiat ac inſidias ſtruit, Quod et uſitatum ac peruulgatum illi eſſe, & factu facillimum, nox diuna locis innumerabilibus teſtatur. Ab illo ergò, & eo tali hoſte, quantum pijs omnibus ac ſingulis periculorum immineat atq; extimeſcendum ſit, ac quamis defenſoribus, quibus excubijs ac Vigilijs opus ſit, probare uniuerſi ac confirmare poterunt exempla atq; experimenta propria, & hiſtoriæ fide dignæ innumerabiles cũ teſtimonijs diuinis congruentes paſſim obuiæ, in quibus cum fatendum ſit ſæpè conſpectum eſſe manifeſtam Dei & angelorum ſanctorum Deo tanq; ad manum dexteram aſſiſtentium & mandata eius fideliter ac promptè exequentium præſentiam, profectò iuſtum eſt & Deo pro his gratias agere ardentiſſimas, et gratam conſeruare memoriam tam fidelium παρασάτων ηγελλατουργῶν. Hiſtorias ueteres ac recentes alio & tempore & loco multas recitari audiſtis, & poſſemus commemorare non paucas, quæ non ita dudum acciderunt, quibus comprobauit Deus ueracitatem dicti dulciſſimi in Pſalmo. Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus Vijs tuis &c. Sed commemoratione hac nunc non utemur. Vnum hoc monebimus cum manifeſtum ſit plus nocere diabolum, & communibus Eccleſiarum, & politiarum rebus, & ſingulorum priuatis commodis, cum habitu angelorum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000188

bonorum assumpto & in lucis angelum transformatus, hominum consuetudinem affectat & appetit, cum blanditijs & pactis allicit ad se improuidos nos, ijsq; instrumentis omnibus destitutos, quibus callidati ipsius & uersutiæ improbæ occurrendum erat. Tanto magis & diabolos metuamus, & angelorũ bonorũ præsidio ac defensione nobis opus esse sciamus. Hos itaq; tanquam instatione perpetua collocatos, castra sua circum nos figere, filium Dei ἀρχηγὸν ac ducem horum oremus, ipsos etiam non de nobis tantũ sollicitos, & in salutem nostram attentißimè excubantes, sed hac ipsa effusißime & ardentißime lætantes, officijs omnibus atq; inprimis seriæ pœnitentiæ, inuocationis, obedientiæ erga Deum, castitatis & aliarum uirtutum officijs imitemus & nobis adiungamus, ut & promptius & maiore cum gaudio ministerio suo pro nobis fungantur: Execremur etiam ac fugiamus toto pectore ἀλάστορας omnes diabolorum seu socios seu similes, qui morum turpitudine ac spurcicie & contristant & abigunt pios angelos, & agminatim satellitia diabolorum in perniciem rerum cum publicarum tum priuatarum attrahunt. Hæc sciamus decere nos hoc tempore, Ac nunc inprimis quàm maximè esse necessaria, cum ad doctrinam hanc repetendam & inculcandam in honestis congreßibus publicis pij in templis conueniunt & festa solennia peragunt precatione & & gra-

& gratiarum actione publica. Itaq; ut & beneficijs illis diuinis scholastici se lætari, & ea petere testentur, Hortamur eos ut usitato scholæ nostræ more, & conueniant Cras frequentes, & suæ gratitudinis signa erga Deum ostendant oblatione munusculorum tenuium, quibus sciunt ali eos, qui ministerio Euangelij seruiunt fideliter, & singulis cum opus est benefaciunt. In templis autem ut precatio & cogitatio rerum tantarum ardens esse possit, præcipimus scholasticis ut commessationes Cyclopicas, & nocturnas grassationes, & similia quibus angeli sancti alienantur atq; abiguntur uitent, Ac mores ita regant, ut res testetur non tam memoriam quàm conjuetudinem ac protectionem angelorum sanctorum ipsis esse gratißimam, qua si unquam opus fuit publicè ac priuatim singulis, profecto nunc sunt tempora eiusmodi, ut ardentißimè illa petenda atq; à Deo exoranda sit.

Precamur ergò Dominum nostrum Iesum Christum κύριον καὶ ἡγεμόνα sancti & casti huius agminis sui, & custodem eorum omnium, qui ipsum diligunt & inuocant, ut cœtum huius scholæ infirmum & ærumnosum, clementer respiciat, foueat, seruet, protegat, & nos omnes excubijs angelicis septos organa faciat salutaria Ecclesiæ, Reipub: & animabus nostris: Seruet etiam pacem et tranquillitatem in his regionibus, in quibus lucem do-

ctrinæ ſuæ accendit ac ſeruauit hactenus incorruptam. Adſit illuſtriſſimo & clementiſſ: Principi noſtro, nutricio ſtudiorum noſtrorum communium, & patri patriæ uere AVGVSTO, *quem ut cum coniuge nobiliſſima & ſobole inclyta protexit ac ſeruauit hactenus manifeſtis præſentiæ ſuæ & Angelorum ſanctorum teſtimonijs, Ita deinceps ceſſitudinem eius clementer gubernet, ſeruet ac tueatur, Amen.*

P P. Peridie Michaelis Anno 1567.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS GEORgius Maior, Sacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor.

HEri circiter horam tertiam pomeridianam placidè obijt infantulus, ſeſquiannum & nouem ſeptimanas natus, Doctiſſimi Viri, pietate et uirtute præſtantis, M. LAVRENTII PETREI filiolus unicus PETRVS, ſuſceptus ex coniuge ANNA honeſtiſſima matrona, quæ antea nupta fuit prudentiſſimo Viro VALENTINO HANISCH, Quæſtori huius Academiæ, piæ memoriæ. Extinctus eſt hic puerulus in dentitione, quam ὀδοντοφύαν uocant Medici, cui acceſſerunt Phlegmone gingiuarum, febris continua, crebri

crebri paroxyſmi Epileptici, tandem & materiæ defluxus ad pectuſculum: Quibus omnibus uirtus naturalis debilitata, oppreſſa & proſtrata eſt. Cum uoluptate contemplati et admirati ſunt ij, qui quotidie parentis conuictu utuntur, ſingularem huius infantuli indolem ac argumenta ingenij, pietatis & grauitatis nimis præcocia ac præmatura. Etſi autem in graui luctu ſunt parentes & cum propter multas cauſas, tum propter has tres præcipuè, optanda & petenda eſt in terris à Deo uita longior: Primum ut melius diſcamus doctrinam de Deo. Deinde ut eandem aſſiduis exercitijs pietatis & inuocationis indies confirmemus, Deniq; ut Eccleſiæ ſocietatem, & Reipub: utilitatem doctrinæ propagatione & honeſtis officijs adiuuemus: Tamen cum uoluntate Dei ex hac ærumnoſa uita euocatus, & in cœleſtem patriam per Angelos ſanctos miniſtros delatus ſit hic infantulus, ſciant parentes bene cum ipſo actum eſſe, & confirmati fide & promiſſionibus diuinis moderentur dolori, Ac ſentiant ſe non amiſiſſe ſed præmiſiſſe hūc ſuum filiolum, uidebunt enim & complectentur eum iterum ſine omni dubio in cœtu eorum, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Nam ut Chriſtus ait: Non eſt voluntas patris, Vt pereat unus de puſillis iſtis, quos in ſe credere ait, quos iubet ad ſe uenire, quorum Angelos ſemper faciem Patris ſui cœleſtis intueri affirmat,

firmat, qui per Baptiſmum ipſius & Eccleſiæ corpori inſerti ſunt. Et quidem iubet omnes homines ſaluandos ſimiles infantulis fieri, hoc eſt, ſimili ſimplicitate, fide, obedientia & humilitate petere & accipere à Deo remiſſionem peccatorum, iuſticiam, ſpiritum ſanctum & uitam æternam. Hæc inter alia & in hoc ipſo funere & alias ſæpè cogitanda ſunt. Fiet autem funus huius pueruli hodie hora tertia pomeridiana, qui ſepelietur in Cœmeterio huius ciuitatis. Hortor igitur ſtudioſos, ut ante ædes parentum in platea Arcis, non procul à rota (ut uocant) aquaria, ſitas, conueniant, & ſinguli ſeſe ac totam Eccleſiam ardentibus precibus Deo commendent. Die 3. Octob.

IN ODYSSEÆ HOMERI LIBRI XXIII. PRÆlectionem.

INterpretationem libri XXIII. Odyſſeæ Homeri, Deo clementer Iuuante, Die Iouis proxima incipiemus, Qui poſt præcedentem Tragœdiam cedis procorum iam tranquillior, & magis ἠθικός eſt, continet enim leuia ἤθη, id eſt, motus animorum placidiores, & familiaria colloquia inter coniuges filium atq; familiam. Reſtat tamen adhuc in libro ultimo aliquid Tragœdiæ, quod Palladis interuentu cito ſedatur. Eſt uerò in his duobus ultimis

mis libris plurimum ſuauitatis ponderis, atq; doctrinæ, ut ubiq; Homerum agnoſcere poſsis, Et homines docti ac ſapientes pleruncq; præcipuam partem neruorum reſeruare ſolent usq; ad ultimum actum, Nam initio temerè effundere omnes uires ſuas deinde cum opus eſt deſtitui, ſicut aliquibus accidiſſe uidemus, quorum ſcripta extant, id hominis eſt ſtolidi & glorioſi. Hortamur igitur auditores noſtros, qui hactenus Homero operam dederunt, ut horum etiam poſtremorum librorum interpretationem patienter audiant, non pœnitebit eos, id bona fide & ſanctè illis promittere poſſum. Proinde fideliter & enixè moneo ſcholaſticos doctrinæ ſtudijs deditos, ut nunc dum tempus datur, dumq; æſtas adhuc eſt, in horrea ſua indefeſſo ſtudio conuehant, & colligant aurea ac diuina oracula optimorum autorum, & exemplum Lucretij imitentur, qui ſit cecinit.

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
Aurea perpetua ſemper digniſsima uita.

Et notum eſt præceptum utiliſsimum ac ſaluberrimum Theocriti,

οὐκ ἀεὶ θέρος ἐσσεῖται ποιῆες καλίαι.

Atq; Diuus Paulus in Epiſtola, quæ hoc die Eccleſiæ proponi ſolet, ſuos Epheſios, imo nos omnes hortatur, ut temporis opportunitate ſapienter utamur, Sic enim ait, μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοὶ

φοὶ ἀγοραζοντες τὸν καιρὸν, *Simus igitur mercatores temporis prudentes, & in æstate colligamus, ut in hieme sit, unde uictitemus, ne nobis accidat quod cicadæ, quæ cũ in hime algeret, et miserè esuriret, uenit ad formicam uictum mendicans. Quid per æstatem feciſti inquit formica, non ociosa fui ait cicada, nam tempus canendo conſumſi, tum formica ridens, ſi æstate cecineriſti ait, nunc in hieme ſaltes licet, mihi uictus meus labore conſtat, cum & tu tolerare diſce, atq; æstatis tempus poſthac non ſine fructu elabi ſinas. Salutaris hæc doctrina, & nobis præſertim optimarum artium ſtudioſis neceſſaria occinitur, ut tempore nobis diuinitus conceſſo cautè & parcè, & feliciter utamur, & à nobis fiant, quæ grata ſunt æterno patri, atq; clementiſſimo Deo per Chriſtum Redemptorem noſtrum, Amen* 1111. *Idus Octob:*

Vitus Ortelius VVinſemius Senior, Medicinæ Doctor.

IN PRIMI ETHICES LIBRI PRÆLECTIONEM.

CVM *de mandato Illuſtriſſimi Principis Ducis Saxoniæ, Domini noſtri clementiſſimi, conſentientibus ſuffragijs huius inclytæ Academiæ ſuſſus*

ſus ſim deinceps eam Philoſophiæ partem publicè proponere, quam Cicero moralem appellauit, ſecutus Græci uocabuli notationem: Recenſebo hoc loco breuiter cauſſas præcipuas, quæ bonas mentes excitare debẽt, ut in doctrina de uirtutum officijs cognoſcenda, magnum ſtudium multamq; operam ponendam ſtatuant. Nam ut in cæteris artibus grata de Deo fama ſparſa eſt, Ita hæc ſapientia quæ eſt explicatio legis naturæ, multa ueſtigia Dei continet, Quia teſtatur eſſe Deum, & docet qualis ſit, diſcernens eum à malis naturis, & oſtendit uindicem eſſe. Nec uerò aliud maius præconium de Ethicadici aut cogitari poteſt, q̃ quod ſit pars legis diuinæ, & præcipuum teſtimonium de Deo. Vt autem in primo Ethicorum Ariſtoteles grauiter ac ſapienter dixit, doctrinæ Moralis cognitionem magnum habere in uita momentum: Ita experientia teſtatur, Mores illorum leniores magisq; ad moderationem & humanitatem compoſitos eſſe, qui hac Philoſophia ſunt imbuti, quæ à morum ſuauitate ἠθικὴ *Græcis nominata eſt. Etſi enim magna uis eſt naturæ ut dicitur:* Naturæ ſequitur ſemina quiſq; ſuæ. *Tamen doctrina promouet uim inſitam, rectiq; cultus pectora ad uirtutem roborant. Et quia omnes leges Magiſtratuum honeſtas & probabiles cõgruere cum Lege naturæ oportet, non dubium eſt doctrinam quam profitentur, ex Philoſophia Morali, uelut ex ſcaturigine, manare. Nam in*

in nullo genree diſputandi, magis honeſte patefit, quid ſit homini natura tributũ, quantũ rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi, efficiendiq; cauſſa nati, & in lucem edici ſumus, quæ ſit coniunctio hominum, quæ naturalis ſocietas inter ipſos, Quibus explicatis fons legum & iuris inueniri poteſt. Quare ut Phyſica doctrina præparatio eſt quædam ad artem Medicam: Sic nemo ad iuris ciuilis cognitionem ſatis inſtructus accedere poteſt, ſine mediocri guſtu Philoſophicarum diſputationum de moribus. Inprimis autem ſtudioſis eloquentiæ hæc Philoſophia neceſſaria eſt. Nam omnis nitor Elocutionis, et ratio perſuadendi, ac mouendorum animorum ſumitur ex laude uirtutum & uituperatione ſcelerum. Itaq; præclarè Cicero inquit in I. de Oratore: Si me audierit qui eloquentiã expetit: Quoniam Philoſophia in tres partes eſt diſtributa: In naturæ obſcuritatem, in differendi ſubtilitatem, in uitam atq; mores: duo illa relinquamus, idq; largiamur inertiæ noſtræ: Tertium uerò quod ſemper Oratoris fuit, niſi tenebimus, nihil Oratori, in quo magnus eſſe poſsit, relinquemus. Quare hic locus de uita & moribus totus eſt Oratori perdiſcendus: Cætera ſi non didicerit, tamen poterit ſi quando uolet, ornare dicendo, cum erunt ad eum delata & tradita. Quod uerò ad ſacræ Theologiæ ſtudium attinet, Manifeſtum eſt, doctrinam de fine hominis, id eſt, de ſummo bono & de

& de uirtutum officijs ingens & neceſſarium adminiculum eſſe, in explicandis ijs locis, in quibus eſt diſſerendum de diſciplina, de lege naturæ, de reõus politicis, de contractibus de coniugio.

Hos enim locos rectius & facilius explicare poterit, qui florem ex hac Philoſophia decerpſit, quam rudis & ignarus Ethicarum diſputationum. Poſtremo utilis eſt huius Philoſophiæ cognitio ad collationem ſobriam & eruditam ſapientiæ Ethnicæ, Legis & Euangelij, Nam ut auri bonitas tum facilime noſcitur, cum alteri auro comparatur: Ita collatio horum generũ oſtendit doctrinam Eccleſiæ perfectiorem eſſe. Ex his multiſq; alijs, de quibus ſuo loco uberius dicendum erit, perſpicuum eſt, utiliſsimam eſſe doctrinam Ethicam, & uere dignam ſtudioſis ingenuarum artium, dignam bonis et eruditis, dignam eloquentiæ legum ac Theologiæ amantibus. Quamobrem omnibus magnopere hortator ſum, ut hanc partem Philoſophiæ dulcem & eruditam ſinguli ad cæteras artes & linguas adiungant. Id enim qui facient, reipſa experientur, ſe nequaquam in ſterili ſolo exercendo, ſtudium operamq; ponere. Cum autem iuniores præparandi ſint, ad ſubtiliores diſputationes Ethicas, propoſita Epitome, quæ ſummam huius Philoſophiæ complectitur: mihi quidem mandatum eſt, ut ſingulis ſeptimanis tribuam duas horas explicationi Libelli Ethici Præceptoris piæ memoriæ D. PHILIPPI

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000193

LIPPI MELANTHONIS, *qui præcipuas disputationes Aristotelis pura & illustri breuitate exponit, & præterea illustria Methodi et Dialectarum præceptionum exempla continet, Deniq; & multarum quæstionum eruditam explicationem, quæ & moribus utilis est, & formet iudicia de communibus negocijs in uita, simul præparet iuuentutem ad studium* IVRIS CIVILIS, *& eam partem doctrinæ Christianæ, quæ de ciuilibus officijs concionatur. Ordiar igitur huius utilissimi libelli prælectionem proxima die Iouis, & Deo adiutore fidem & diligentiam meam pijs & candidis auditoribus, quantum sciam & potero probare studebo.* P P. XII. Octob: Anno 1567.

Christophorus Pezelius Plauensis Professor Publicus.

STVDIOSIS FACVLTATIS ORATORIÆ, S. D.

IN *magna cum ingeniorum, tum rerum uarietate nec potest, nec debet constitui certa forma dictionis quæ caussa est, cur præcepta quæ apud Rhetores de Elocutione traduntur, & obscuritatem & difficultatem præ se ferre uideantur. Subtilitas & superstitiosa diligentia Græcorum, qui scrupulose distinguunt, & curiosè annotant in dicendo singula, ostendit inexplicabilis operæ esse, singulis ingenijs peculiaria præcepta eloquendi, accommodata ad uarietatem rerum tradere. Et tamen necessitas requirit, ut quicunq; dicendi facultatem cum laude coniunctam expetunt, doctrinam de Elocutione diligenter discant, cum sit maximè huic arti propria a qua & nomen Eloquentia sortita est: Quare nos tantum in explicatione institutæ generalem rationem præscriptam sequemur, quæ ingenio & naturæ cuiusq; congruere uidetur, ut aliquam dicendi facultatem, eruditorum iudicio comprobatam, de qua communia secundi libri Rhetorices præcepta differunt, discentes cognoscant. Etsi autem in dicendo artifices præcipiunt, ut enunciatio rerum ad caussam pertinentium sit perspicua, proprijs et usitatis uerbis elata: tamen & necessitas, & orationis dignitas sæpè requirit, ut figuris aptis & congruentibus orationem exornemus, cum hominum animi translationibus ut plurimum afficiantur, & delectentur. Translationum autem uim & modum secundum præscripta Ciceronis suo ostendemus loco, quorum cognitio necessaria est non tantum iis qui in lectione Oratorum & Poëtarum uersantur, sed et qui doctrinam Ecclesiæ dextrè explicare cupiunt, cũ translationes sacris literis sint familiares. Quam suauis est collatio in Psal 23. qua pingitur diuina cõseruatio, allegoria Pastoris et ouiculæ. Similitudinẽ congruentẽ sumit ab ijs quæ ad curam ouiũ pertinent, ut sint læta nõ arida pascua, fontes, riuuli,*

riuuli, certi & tuti actus. Per pascua Ecclesiam describit, fontes & aqua recreationis significant uerbum Dei. Actus tuti diuinam gratiam & assertionē piorum per fidem in uitam æternam. Describitur uirga et baculus pastorius, quibus Pastor utitur ad defensionē gregis aduersus lupos, Qua translatione defensionem diuinam & politicam innuit. In parte Psalmi posteriori, mutat tropos à similitudine ouis ad collationem Regis recens initiati, sumitq; similitudines ex lege Mosaica, quibus rem eandem repetit & describit. Quod antea dixit pascua, hic mensam nominat in conspectu Dei positam. Quod aquam recreationis hic calicem libaminis et unctionis, quod uirgam & baculum, hic bonitatem Dei, gratiam & omnem gubernationem.

Talia exempla optimè translatorum intueri prodest adolescentibus ad iudicium, ut & ipsi qui modus adhibendus sit Metaphoris rectè intelligant. De utraq; igitur ratione & propriè & figuratè enuntiandi animi sensa ac cogitationes, deinceps quantum à nobis Dei beneficio fieri potest, agemus in 2.do. libro Rhetorices, cuius explicationem instituam proximo die Martis hora septima matutina. Pridie Lucæ Euangelistæ.

Albertus Lemeiger Hamburgensis.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS, GEORgius Maior, S. Theologiæ Doctor & Professor.

In legibus scholasticis dies Crastinus constituitur, quo Rector nouus creetur, qui præsit rei scholasticæ per semestre hibernum. Hunc igitur huic rei destinatum diem nunc etiam, fauente Christo obibimus, & more ueteri conuentum habebimus, in æde arcis, quam Illustrissimi Principis nostri munificentia Academiæ dicauit, in quo & ego magistratum deponam, & deliberabitur, qui mihi in hoc gerendo sufficiatur. Incidit in eandem diem Eclipsis Lunæ, quæ paucis horis præcedet hæc comitia scholastica nostra, Sed sicut ille apud sapientissimum Poëtam optimum esse augurium pronunciat, pugnare pro patria, cùm superstitiosum in hoc genere ijs temporibus esset plurimum: Ita nos freti Christo, & Philanthropia atq; intercessione pro nobis huius apud æternum Patrem, nullorum euentuum tristiciam obstare patiemur ijs actionibus, quæ seruunt gloriæ Dei & saluti publicæ. Cùm autem à cœlo portendantur plurima, non tamen hinc plus malorum & periculorum portenditur, quam in terra à moribus & peruersitate hominum. Germaniæ quidem, patriæ communis nostræ, non uidetur status

 fuisse

fuisse periculosior multis seculis, Pontificij post-
quam cum magno malo suo experti sunt quantum
lucis à doctrinæ & eruditionis ueritati sit allatum,
etiam ipsi quærere incipiunt literarum adminicula,
quibus contra hanc abutantur, cui rei conferatur
omne studium familiæ eorũ, qui ne Christiani sint,
IESVITAS se nominari uolunt, infamantes
salutare nomen Iesu, cum sint Idolatriæ superstitio-
numq; magistri, & falsorum dogmatum propaga-
tores atq; propugnatores, & meritis filij Dei ob-
trectent. Atq; hoc genus, patientia & fortunas
stra abutens exultare iam incipit, & petulantiam
usurpare ὥσπερ κακχρίων ὀυίδια ἐνωχλοῦντα,
Lasciuiens etiam picturas edendo contra præclarissimè de Ecclesia Christi meritos uiros, D. D. Martinum Lutherum et Philippum Melanthonẽ, quibus memoria ab omnibus pijs debetur & præstatur sancta ὡς εὐλογίας, hos igitur summos uiros, pictores illi fortes & intrepidi non dubitant oppetere mortuos, cum scripta & ora uiuentium quo-
modo tulerint, ipsi melius sibi conscij sint quam à nobis referri potest in præsentia, interq; cætera etiam Acta colloquiorum cum aduersarijs habitorũ, inprimis Vuormaciensis proximi, ad omnẽ posteritatem demonstrabunt atq; testabuntur. Hoc modo etiam lepores insultant Leoni mortuo. Sed ne impunè hæc aduersus Deum et homines lasciuiens petulantia excurrat, uidendum, impietatis autẽ con-

natus

tus ne noceant Ecclesijs nostris, in scholasticorum diligentia positum est, qui si præsente copia doctrinæ ueritatis & literarum bonarum utantur, in promptu habebunt, quibus se & alios aduersus hoc genus tueantur, & per se est ἰσχυρὸν τὸ ἐλεγχόμενον. Ab aliis autem rebus & molientibus Pontificiorum plus est periculi, & crudelitas horum quomodo iam quasi in foribus & aditu Germaniæ grassetur, nimis est notum, & indies se magis produnt crudeli conatus horum. Inter nostros autem ἐνδοθεν φίλους quantopere turbent & affligant res communes? & tam in politijs quam Ecclesijs omnia sunt multiplicium & grauissimorum periculorum, tam ab intestinis quam externis causis plenissima. In tali igitur patriæ & rerum communium statu, & priuatis difficultatibus omnium, nihil aliud relinquitur, quam ut lumina cordis erigamus ad Deum, & inuocemus opem filij Dei, secundum exemplum & formulam pij regis Iosaphat. Atq; ut plus temporis sit ad preces publicè faciendas, erit hora statim VII. omnes Iurisdictioni scholasticæ subiectos in æde arcis conuenire uolumus, ut communibus uotis & communi inuocatione exoremus auxilium diuinum rebus nostris, & ut studia ueritatis & doctrinæ cum alibi, tum in nostra etiam schola conseruentur. Huic rei pro se quisq; & una nobiscum operam dantes, renunciationem Rectoris noui placidè expectent. PP. XVI. Calend. IXbris.

IN OBITVM REVERENDI ET DOCTISSIMI VIri M. Iohannis Piſcatoris, oriundi ex VVerda oppido Nariſcorum, qui Torgæ annos XII. piè & fideliter Euangelium Chriſti docuit, ibiq; anno 1567. V. Octobris peſte extinctus eſt. Autore M. Paulo Franzio Plauenſi.

Non obit, hinc ſed abit uitæ cœleſtis ad arcem,
Qui ſubit in uera fata ſuprema fide.
Nil igitur prodeſt lachrymis urgere ſepultos,
Et triſti tumulos imbre rigare pios.
Deſleat amiſſos, querula uel uoce requirat,
A uero prorſus gens aliena Deo
Quæ cæci uiuit falſa inter gaudia mundi
Cui ſpes poſt cineres nulla ſalutis adeſt.
Sed meliora pijs reſtant ſolatia nobis,
Sanguine qui Chriſti turba redempta ſumus.
Is molles nobis aditus ad ſydera fecit,
Munus & æternæ lucis habere dedit.
Sic quoq; piſcator mortali mole ſolutus,
Conſpectu fruitur colloquioq; Dei.
Sedulus & Chriſti pendet narrantis ab ore,
In terris cuius præco fidelis erat.
Qui quoniam linguas doctas callebat & artes,
Vnde modus fandi copia & ampla fluit,

Dogma

Dogma ſecare Dei norat prudenter & arte,
Qui bene res nouit rectius ille docet.
Moribus apta bonis ſemper proferre ſtudebat,
Sic tamen ut ſuerint corde profecta pio,
Fumiculo cordis moueatur lingua docentis,
Quid iuuat extremo natus in ore ſonus?
Sobria mens ipſi, ſemper moresq; uerendi,
Et grauitas uitæ digna docente fuit,
Ah quotus eſt hodie qui ſic ſacra dogmata tractat,
Vt quod labra ſonant hoc quoq; uita probet.
Facta probat uulgus, perſuadet uita docentis,
Omnes exemplorum æmula turba ſumus.
Nam male uiuendo munus quicunq; docendi
Nobile deformat, quod uetat ipſe Deus.
Voce ſua is propria ſeſe condemnat & omne
Eripit hac ipſa, quod dedit ante, manu.
Candida libertas, ſimplexq; audacia myſtas
Congrua nox uitæ, linguaq; uera decet.
Talis erat, talisq; fuit, dum uita manebat
Piſcator uultu mente fideq; grauis.
Flexibiles animos oculus uagus arguit usq;
Fucatæ uoces pectora falſa notant
Sed quod præcipuum eſt mens eius uiuida ſedes
Flaminis accendit, qui pia corda, fuit.
Hinc pietas cunctis uitæ præluxit in actis,
Virtutumq; parens relligioſa fides.
Æquus erat ſocijs, fuit hinc concordia utrinq;.
Quæ decus eſt templis firmat & una pios.

Doctrinæ conſenſus erat, diſſenſio nulla,
Alter & alterius ferre ſtudebat onus.
Doctus amat doctos, fines qui ponderat artis,
Degener eſt neſcit qui tolerare pares.
Eheu quale decus mors abſtulit inuida templis,
Et, quas conſtanti fouit amore, ſcholis.
Qui pietatis amore ſcholas iuuat, ornat & auget,
Hunc uerè magnum dixeris eſſe uirum.
Si dubitas, Chriſto quid maius continet orbis,
Et tamen acceßit, curat & ipſe ſcholas.
Ah cadere ante ſuum tempus præſtantia quæq;,
Implerig; malis iam loca multa uiris.
Ambiguus ſpargunt qui uoces ſemina belli,
Diſſidijſq; feris templa ſcholasq; repient.
Therſites ſoſpes uixit poſt fata Patrocli,
Hic bonus & ſocijs utilis, ille malus.
Sic Paris exitium patriæ, nec fortis in armis,
Hectore ſublato fratre ſuperſtes erat.
Sed bene nunc ipſi, miſeræ qui carcere uitæ,
Ereptus, tuta uiuit in arce Dei.
Quà ſua Chriſte tuo nunc paſcit lumina uultu,
A lue peſtifera liber & hoſte malo.
Qui mala guſtabit uitæ, non experet ipſam.
Si moreris Chriſto cuncta beatus habes.
Falleris & fallis qui ſperas aurea ſecla.
Res docet ipſa fecers, dulcia uana, ſequi.

FINIS.

RE-

RESIGNATIO MAGISTRATVS SCHOLASTICI ſemeſtris eſtiui.

ETſi rectius feciſſem, ſi eam exactæ propemodum ætatis partem, quæ adhuc reliqua eſt, quam ex uirium indies magis magiſq; deficientium imbecillitate ſentio breuem fore: Si eam ergò otioſam & quietam, ſine ullo aut labore aut certamine traduxiſſem, procul remotus à ſtrepitu communium negociorum, omniq; Reipublicæ cura, & precationi deditus ac meditationi propinquæ mortis, præſertim cum non ſolum in Republica onera gubernationis, difficultates & pericula creſcant, ſed Eccleſiæ etiam aßiduè nouis & monſtroſis ululatibus Diabolorum & hæreticorũ in impijs dogmatibus concutiantur, tanto auſu atq; conatu hominum ambitione furentium, ut ſi preſenti rerum ſtatu æſtimentur futura, neceſſe ſit bonas mentes, percußas uehementer hac ſpecie atq; conſternatas, magnopere de poſteritate angi: Tamen cùm Collegæ nullam penè confectæ iam ſenectæ, nullam infirmitatis, quæ ante oculos eſt, excuſationem admitterent, uictus ſummæ erga me beneuolentiæ teſtificatione, & humaniſſimis de conſiliorum & operarum communicatione promiſſis, ceſſi decretis, quæ facta erant, & onus gubernationis ſuſcepi.

Hoc cùm me certò credam nunc poſtremum

functum esse, uenio ualedicturus uobis optimi auditores, & uelut natura propenodum eluctatus ex huius uitæ tempestuosis fluctibus, ac tuto & tranquillo portui uitæ melioris appropinquus, de ijs quæ per annos amplius quinquaginta, aliorum exemplo & mea multiplici experientia didici, huic scholæ uel profuisse uel nocuisse, uos commonefacturus.

Retexam ergò paucis me ipsum, & repetam initia altius, cùm remota sint pleraq; à memoria uestra, qui uel adolescentes estis, uel maiores nostros non audiuistis.

Factus sum ciuis huius Academiæ, anno postquàm instituta primum fuit, nono. Is erat annus Christi milleſimus, quingenteſimus, undecimus. Adductus sum in has terras mandato & sumptibus Illustrißimi Principis Friderici Tertij, Ducis Saxoniæ, Electoris, cuius memoriam monumenta sapientiæ in Imperio, & iacta huius Academiæ fundamenta, & hîc sparsa semina purioris doctrinæ, posteritati ita consecrarunt, ut nomen Sapientis, quod meruit cunctorum ordinum summa approbatione, nulla sit unquàm abolitura uetustas. In huius aula planè puer educatus sum inter adolescentes Symphoniacos.

Reperi autem in his regionibus hæc uera & solida ornamenta ac præsidia Rerumpublicarum. POLITIAM legibus honestißimis, iudicijsq; publicis

publicis ac priuatis optimo ordine constitutam, ac sanctioris seuerioriſq; disciplinæ institutis moribus, studijs, exemplis adeò celebrem, ut à priuata honestate ac humanitate singulorum, à publica grauitate, tranquillitate, securitate in locis omnibus, hæ regiones sedes & officinæ iusticiæ ac humanitatis esse prædicarentur.

PRINCIPES reperi sapientiæ, iusticiæ, æquitatis, moderationis, togatæ bellicæq; uirtutis laude cumulatißimos, & opum subsidio instructißimos, cæteriſq; in Germania autoritate antecellentes.

NOBILITATEM certatim uestigia suorum Principum sectantem æmulo pace belloq; studio, & diuitijs affluentem.

ACADEMIAS artium ac disciplinarum optimarum studijs refertas, è quibus deinceps religio, humanitas, eruditio, & quidquid est politioris doctrinæ ortum, inq; omnem Germaniam ceu colonijs distributum est.

VRBES deniq; florentes ijs rebus omnibus, quæ ad benè beateq; uiuendum requiruntur, & honestis ac liberalibus exercitijs, cultu hominum ac munditie, elegantia uictus, commoditate ædificiorum, ueritate commerciorum, ubertate rerum fruendarum, omnibus deniq; humanitatis officijs præ reliquis in Germania maximè commendatas.

Vnum deerat, LVX. ueritatis Euangelicæ.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000199

Nam paſſim in Eccleſijs profundiſſima caligine obrutis atq; oppreſsis, ſonabant pro uoce Filij Dei ſomnia commentaq; humana, & pro cultibus diuinitùs mandatis regnabant in iiſdem Idolatriæ & ſuperſtitiones inuectæ Monachorum impoſturis, et Romani Pontificis Tyrannide comprobatæ atq; ſtabilitæ.

Sed ne quid his terris ad ueram perfectamq; beatitudinem deeſſet, non ita multò poſt Deus immenſa benignitate accendit lucem doctrinæ ſuæ in Eccleſijs harum terrarum, cuius primum iubar ex hac ſchola effulſit, anno poſtquam hunc uenti ſexto, Reuerendo Patre noſtro, ſanctæ memoriæ, Doctore Martino Luthero, ex Prophetícis & Apoſtolicis ſcriptis, rationib. planè inuictis efficaciſſimè conuellente & enecante commentitiam atq; anilibus fabulis inaniorem uim uenalium Indulgentiarum.

Hanc lucem auxilio dextraq; Spiritus ſancti cum ipſo Luthero deinceps paulatim auxerunt ij, quos ei ſocios Deus atq; Paraſtatas adiunxit, & ſingularibus donis ad hunc uſum exornauit, ac præ reliquis Melanthon, cuius ſcripta confuſas initiò adhuc & nouitate obſcuras, & propter Scholaſticorũ Labyrinthos, qui extricandi erant, perplexas controuerſias horum temporum, tanta dexteritate ac perſpicuitate explicarunt atq; illuſtrarunt, ut Luthe-

Lutheri teſtimonio de poſtrema editione Locorum Theologicorum, quod multi meminimus teſtes ἀξιόπιστοι, nullus inde uſq; ab Eccleſia Apoſtolorum liber illo exierit melior & magis neceſſarius.

Gratulabar hanc mihi felicitatem initiò, quòd uerſari ac uiuere inter homines harum regionum mihi contigiſſet. Sed patefacta deinceps luce cœleſtis doctrinæ, cùm iam ætas ac iudicium maturuiſſent, multò magis lætabar de oſtenſis, imò oblatis occaſionibus perueniendi ad Academiam hanc, in qua cum renaſcente luce Euangelij, ſimul effloreſcebant ſtudia Philoſophiæ ſincerioris, Melanthone artes illas repurgante & urgente. Nec deſinebam ardentibus uotis à Deo precari, hæ mihi ne occaſiones eriperentur aut perirent.

Fecit me uotorum compotem clementiſſimus Deus, Pater æternus Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui pro ingenti beneficio gratias agam in omni æternitate. Etenim non ſolum, ut communes omnibus oportunitates diſcendi in Academia adipiſcerer, effecit, ſed in noticiam me etiam adduxit, ac familiaritatem interiorem eorum, quorum operà & miniſterio doctrina Eccleſiæ emendabatur, & ſtudia meliora ac rectiora inſtaurabantur, quod ego in præcipua parte meæ felicitatis pono.

Cum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000200

Cum utroq; enim, Luthero & Melanthone, ut familiariter uersarer, ut quoties uellem utrumq; adirem, & quæ opus erant interrogarem, ut priuatim inter se conferentes de præcipuis doctrinæ controuersæ capitibus audirem, ut iudicia cognoscerem eorum de rebus maximis, deniq; ut ab utroq; diligerer, ornarer & adiuuarer, Dei singulari beneficio consequebar, quamprimum in Academia eis innotuissem.

Ac mihi quidem uicissim id in omni uita propositum fuit, ut doctrinæ fundamenta, fontibus introspectis, rectè & integrè cognoscerem, perceptaq; his doctoribus ueras sententias, firmiter atq; constanter ut retinerem, & uestigijs eorundem religiosè ut insisterem. Sed de me postea dicam. Ad publica redeo.

Lux Euangelij ab initijs, ut tum multis uidebatur, exorsa tenuibus, paulatim ex conflictu disputationum magis magisq; inclarescebat, Luthero aduersariorum, partim ridiculis ac penè iocularibus scriptis prouocato, partim minacibus atq; cruentis decretis protracto adactoq; ad certamina scriptionum, quæ, si illi quieuissent, fuisset abrupturus. Et prorsus hoc accidebat, ut & causæ, quam tuebatur, firmitate ac robore, et cnerui futilitate apparatus contrarij uinceret, cùm leuitas uanitasq; argumentorum, quibus hunc aduersarij sese confixuros credebant, uel mediocriter intelligentium

tum iudicio, semetipsam redargueret & elideret.

Hæc certamina tum huic scholæ conflabant odia, & attrahebant pericula ingentia, conspirantibus in caput nostrum atq; perniciem, non tantùm plurimis ac diuersis satellitij Pontificij cohortibus è Sacrificulorum ac Monachorum latebris, sed & Monarchis summis ac Principibus præcipuis orbis Christiani, qui mutationem in peruetusta religione fieri nullam uolebant, nec fieri posse prospiciebant, quin & ordini religioso & Imperio inclinationem adferret. Idcircò hi & insidias experiebantur, & minitabantur uim manifestam. Illi cum insulsæ stoliditatis Sophistices retectas iam toti orbi præstigias, frustra se admouere oppugnandæ ueritati cernerent exasperabant odia potentum, & ad intustam sæuitiam quamprimùm usurpandam hos incitabant uel aperto bello, uel crudelitate supplicierum.

Inter hæc pericula Deo mirificè hæc misera & tot hostilibus grauata odijs, tot circumsessa insidijs Myrmecia tegente, magis efferebat sese nomen huius scholæ, ceu insurgente ipsa aduersum molem periculorum, & amplificabatur ac dilatabatur Ecclesia, accedentibus quotidiè ad nostra agmina reliquis Germaniæ populis, quas claritas & euidentia prolatæ in medium lucis, refragari diutius agnitæ ueritati non sinebat.

In

In unam autem hanc curam cogitationemq; acerrimo ſtudio incumbebant cum Luthero Paraſtatæ fideles omnes, ut, tenebris Pontificiæ ſuperſtitionis diſcußis, & ſubtilioris ueneni erroribus dextrè refutatis, rectè explicarentur controuerſa dogmata, deq; his una perſpicua, certa atq; & Apoſtolicis ſcriptis, probatiſq; Symbolis conſentiens doctrinæ norma, ad poſteros tranſmitteretur. Id tandem effectum eſt in Comitijs Auguſtanis, anni milleſimi, quingenteſimi, tricеſimi.

Hanc doctrinæ normam tunc Spiritu ſancto dictante à Melanthone perſcriptam, & Carolo V. Imperatori recitatam, Eccleſiæ noſtræ ſemel amplexæ atq; profeſſæ, ea conſtantia deinceps retinuerunt, ut in nulla eam parte mutari paſſæ ſint. Sed conciſius ac breuius in eo ſcripto expoſitam, Lutherus ipſe & Melanthon pluribus ſcriptis fuſius tractarunt, & teſtimonijs ualidiſſimis roboratam, & contra inſultus atq; impetus aduerſantis ueritati Sophiſtices defenſam, ſicut ſcripta horum poſteriora teſtantur.

Nam cùm noſtris ſeſe ornare pennis aduerſarij, & de abſurditate admoniti, ſuos errores concinnioribus coloribus pingere conſueſcerent, cogitandum erat his Agonothetis, ad quos reſpiciebant uniuerſi, quibus remedijs aſperſi recens fuci detergerentur. Et ut fit, dies diem docebat, cùm in certaminib. quotidianis, & ueris luctis conſcientiarum multa aſſiduè diſcerent et experirentur. Etſi

Etſi autem aduerſarij Pontificij iunctum deſtiterunt & hanc ſcholam, & hunc unius doctrinæ profeßione coniunctus Eccleſias alias, modis omnibus perſequi & oppugnare, & prodierunt ex hoc cœtu Apoſtatæ, tranſfugæ, VVicelius, Tannerus & alij, qui aduerſarijs linguam nouam ad conuiciandum nobis accommodarunt: Tamen tamen fuit inter docentes conſenſio atq; concordia, ut fruſtra tentata hæc ſint, ſuoq; exoletæ impetu euanuerint. Ita factum, ut nouæ concordiæ falſa norma doctrinæ, perſiſterit immota, manſeritq; inconcuſſa autoritas ſcholæ aduerſus ictus omnes, undecunq; intentarentur, Luthero antecunte ceteros, et cuncta uel moderante uel propulſante ea autoritate, qua circumdatus erat diuinitus: Melanthone dogmata intra Methodi limites reuocante, & aſſiduis ſcriptionum ac diſputationum operis exercente, uſq; ad fatalem Eccleſijs noſtris Lutheri migrationem ex hac uita, & mox hanc conſecutum bellum Germanicum.

Cum Luthero enim extincto die Concordiæ, ſimul expirauit & inter homines eſſe deſijt Concordia. In Doctoribus noſtris commouere ſeſe, & in ſcholis atq; Eccleſijs tumultuari ac furere cepit, quam coërcuerat Lutherus repreſſerat, SVPERBIA, quæ cùm ſemper funeſta fuerit & exitialis Eccleſiæ, tum hoc tempore id prorſus effecit, quod Lutherum ſæpè prædicere meminimus, conuerſo ad Melan-

Melanthonem sermone his uerbis: Ambitiosorum hominum furiosi clamores nati ex cœca gloriæ regniq; in Ecclesia cupiditate, uno mense plus turbabunt & destruent, quàm toto tu & ego decennio multo sudore construximus.

Sed ambitioni ac licentiæ Theologorum occasionem attulit & quasi fenestram aperuit terribile bellum, quod Imperatorem uictorem ex insperatis successibus in nouas spes erectum, & fiducia quasi confirmatæ potentiæ & autoritatis animarum ad experiundas nouas componendæ religionis rationes impulit. Hæc cùm minimè ex sententia cederent, Germaniam multis in locis horribiliter perturbarunt. Sed de alijs non dicam. Nostra persequar.

In his actionibus eo tempore Inclytus Princeps Mauritius, Dux Saxoniæ, Elector, primus à bello coram in Comitijs Augustanis & absens sese Imperatori proponenti nouam conciliatæ religionis formam, edoctus & confirmatus à Melanchone & alijs, quæ à quibus extiterit autoribus, nunc commemorare supersedeo, acriter & animosè oppositit. Id me uerè affirmare autographa testantur, quæ extant, & norunt idem multi eius rei conscij, interq; hos nonnulli, qui exemplum imitati ac formam recusationis ab eo sunt mutuati.

Domum à Comitijs reuersum, cùm uerere uictor non desineret hoc argumento, quod liber ab aliqui

bus è numero Principum sentientium nobiscum censeretur prosuturus esse publicæ paci: Sed in recusatione prima ipse cum perseueraret, ad ea tamen præstanda sese offerret, quæ salua ueritate cœlesti, & sua suorumq; conscientia integra & illæsa largiri in rebus mediis posset, quæ fundamento & mandatis diuinis minimè contrariæ, ritibus externis continerentur, non impijs, nec profanis, & de his orirentur deliberationes, extitit in hac schola ERRO incertæ originis, patriæ, religionis & fidei, qui se Flacium Illyricum nominat.

Hic cùm esset ignarus omnium, quæ fierent, sumpta tamen occasione cùm ex mutationibus, quas inter Imperij ordines ac Principes bellũ pepererat, tum ex ijs, quæ dixi, deliberationibus, cepit primus, virus dudum conceptum secum atq; coctum, in scholam hanc, in præcipuos huius Doctores, in Ecclesias harum regionum, in Principes ipsos cuomere, & corrosa atq; exesa uiperino morsu aluo matris suæ, consensam harum Ecclesiarum dissoluere, sparsis somnijs, fabellis, rumusculis initiò, mox uerò & calumnijs ac mendacijs manifestis, & mirabili hyopocrisi fascinatis & occupatis imperitorum animis, apud quos simulatis gemitibus singularem zelum iactitabat, & quoddam cum Deo præ se ferebat commercium familiarius Enthusiasticis raptibus extra sese.

His cùm multorum animos ab hac Academia

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000203

alienasset, & sese factioso satellitio muniuisset, progredi longius, & dogmata aggredi cepit.

Vt ergò prorsus labefactaret autoritatem Academiarum, quam obstare suis conatibus uidebat, & iudicia ex Ecclesia tolleret, quæ penes Academias erant, quæ fierent & decerenturin Academijs harum regionum, suspecta reddebat, & fidem autoritatemq; ueteribus ac recentibus scriptis derogando, id agebat, ut ea prorsus è manibus hominum excuteret. Id enim si perfecisset, se in Ecclesia seditionibus fluctuante, facilè dominatu appetito potiturum prospiciebat, præsertim cum nouorum manipularium accursu quotidiè augeretur, ut fit in diſsidijs publicis dogmatum & seditionibus, in quibus quo quisq; est audacior & confidentior, eò citius crescit & euehitur altius, ut dicitur ueteri uersu: Ἐν δὲ δίχοστασίῃ νηὶ πάγκακῳ ἔμμορε λαῶν.

Succeßit res alicubi. Nullam ipse penè & manipulares eius doctrinæ partem intactam reliquerunt & incorruptam, quod scripta ostendunt. Si qua supersunt, ea, ne quid certi posteritas habeat, arrodere atq; conuellere pergunt aßiduè. Et hos furores omnes uenditant populo, titulo et prætextu nominis Lutheri, horribiliter sæuientes in mortui famam atq; existimationem summo cum discrimine Ecclesiarum, quæ hæc uulnera tum demum frustra sentient

sentient & deplorabunt, cum remedijs locus non erit, inter fluctus incertißimarum opinionum, & extremæ prophanitatis procellas, quæ magno cum impetu paßim irruunt, impulsæ triſtißimis istarum furiarum ululatibus.

Notum est enim, quæ portenta opinionum inuehant in Ecclesiam de Filio Dei, de Prædestinatione, de Peccato, de Lege, de Euangelio, de Iustitia fidei, de noua obedientia in renatis. Deniq; deuenerunt res eò, ut inter illos præclaros Aristarchos nostræ religionis, suo quisq; loco Lutherum se esse somniet, arroget sibi potestatem Prætoriam in suas & alienas Ecclesias, sua sibi cudat dogmata, semelq; promulgata pertinaciter defendat, damnet & execretur aduersantes, addat sæuitiam & crudelitatem, zeli nomine & specie uestitam, cuius rei atrocia & triſtia exempla sub Flacio uidit hæc ætas. Experiuntur idem boni omnes in Ecclesijs, in quibus hoc genus hominum regnat.

Sed interea quid fit? Dum hæ feralium discordiarum faces & Erinnyes immanitatem conceptorum aduersus nos odiorum explent, calumnijs doctrinæ & uitæ innocentum hominum, mendacibus figmentis, debachationibus aßiduis in quosuis, summos infimosq;, imbecilliores multis in locis his furoribus turbati & languefacti,

deficiunt ab agnita ueritate, & redeunt ad Romanæ Ecclesiæ ludibria, ceu canis ad uomitum. Alij prophanitatem induunt & contemptum omnis religionis. Alij ad dubitationes adiguntur, unde ruunt in desperationem.

Aduersarij uerò, qui exarmati prorsus ante has Flacianorum molitiones hiscere nec poterant nec audebant, nouo armorum genere ab his instructi, & nouum pugnæ genus edocti, nunc ita recipiunt spiritus, ut gladios calamosq; multò quàm antè hostilius in nos acuant, et sæuius multò quàm unquàm in nos incumbant. Quàm scelerate Flacij artibus in colloquio proximo Vuormaciensi certa explorataq; uictoria nostris è manibus erepta sit? quibus eius consilijs cohorti Pontificiæ & gladius sit in manus traditus, quo nos feriret, & ratio feriendi demonstrata, nemo ignorat. De his ergò trophæis, de labefactatis & calumniosè depravatis capitibus præcipuis doctrinæ in nostris Ecclesijs, de inuectis monstrosis erroribus, de sublatis prorsus iudicijs, de dirempto consensu, de conuulsa auctoritate Academiarum, de concultatis benè meritis, de flagrante immanibus dissidijs & odijs magna parte Ecclesiarum, de noua conspiratione aduersus nos & sæuitia noua Pontificiorum, de his ergò gloriantur & triumphant Flaciani.

Hæc sunt trophæa uictoriarum, quibus cum discrimine et interitu multorum piorum hominum, &

& nonnullorum etiam pernicie æterna, famam nominis sui dilatarunt.

Sed Melanthonem sibi euertendum præ alijs delegerat Flacius, cui ne cederet Staphylus, eodem quo Flacius modo ex discipulo factus Apostata, desertor & transfuga, sumpta occasione ex dissidijs, quæ Flacij artificijs accensa indies glisce bant magis magisq; atq; ingraueſcebant, & eiusdem successibus animatus, caput petere, & in Lutherum inuehi cepit, excerptis ex eius scriptis, quæ calumniosè exagitaret, & quibus ad euertendam ac proijciendam omnem Lutheri autoritatem uteretur.

Hos duos habuit Schola nostra hostes perniciosissimos & uirulentissimos, qui egressi ex nobis, cùm non fuerint ex nobis, sceleratis consilijs, & artibus planè Sinonijs clades Ecclesijs irrecuperabiles intulerunt, & uulnera inflixerunt immedicabilia, quæ nulla hominum memoria sanabuntur.

Sed minus damni dedit Staphylus, etsi huius rationibus magnopere nititur & confidit tota cohors miserorum Iesuitarum, fundamento insistens mendaciorum, calumniarum, & suæ falsæ, impiæ ac blasphemæ doctrinæ, quam tuetur.

Plus nocuit uirus Flacianum, quod blandiore prætextu & specie initiò cùm in animos hominum

irrepsisset, insedit altius, & adhæsit pertinacius, sed cùm simili mendaciorum, calumniarum, & impiæ falsæq; doctrinæ fundamento incumbat, refutabitur tandem iusto Dei iudicio, sicut refutatos legimus Iudæos, Arianos, Manichæos & similes.

Et consistet Schola nostra ac florebit, Deo benedicente laboribus nostris, in fideli ac sedula propagatione eius doctrinæ, quam quasi per manus acceptam ab his duobus doctorib. puram & incorruptam semper conseruauimus. Atq; eo ipso, quòd & custos manebit sancti depositi, & nullis uel calumniarum uel bellorum procellis opprimi ac deleri poterit, sicut hactenus hostiles conatus omnium irriti fuerunt & eruperunt in nihilum, Eo ipso ergò deinceps etiam & sese tuebitur, & redarguet atq; reuellet inimicorum machinationes.

Hæc de genere postquàm præmisi, de me etiam quædam subijciam, cùm Flacius & manipulares eius in me quoq; immitibus & implacabilibus odijs mordicùs incurrerint, & nomen meum lacerarint, iniustissimè et crudelissime. Meam ergò contra calumnias eorumnunc postremam edam confessionem, Deo & uobisomnibus testibus.

Testor ergò Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem cœli & terræ, & Ecclesiæ suæ, Angelicæ & humanæ, me constanter amplexum esse et amplecti scripta Prophetica et Apostolica

Apostolica & Symbola, quibus cum uerè sentio congruere confessionem nostrarum Ecclesiarum, Augustæ Carolo Imperatori propositam, & deinde repetitam, ut exhiberetur Synodo Tridentinæ, & in refutatione articulorum impiæ inquisitionis Bauaricæ. Testor me in omnibus articulis sentire idem cum nostris Ecclesijs, id est, cum Ecclesijs harum regionum, quæ à norma doctrinæ suæ nunquàm discesserunt, nihil in ea mutarunt, nullas nouas confessiones aut noua dogmata condiderunt: Et detestari ac damnare me toto pectore errores omnes & opiniones fanaticas, reiectas ab Ecclesia Christi Catholica, & ab his scriptis, quæ nominaui, discrepantes. Nec discessi unquàm, nec Deo iuuante discedam ab agnita semel ueritate.

Cumq; de necessitate operum in renatis me Flaciana cohors atrociter accusarit, & Diabolicè exagitarit, ac tribuerit mihi, quòd docuerim: Opera necessaria esse ad salutem, hoc sensu, quòd secundum Origenicam & Papisticam Synecdochen, opera cum fide mereantur remissionem peccatorum, & sint caussa Iustificationis coram Deo, affirmo coram Deo quod summam mihi faciant & fecerint iniuriam, de qua respondu ri mihi sunt ante tribunal Filij Dei, ad quem consistens in extremo ultimæ senectæ limine tanquàm ad iustissimum iudicem et καρδιογνώστην, introspicientem penitus abditos recessus animorum prouoco.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000206

Nunquàm hoc ſenſi nec docui, Opera eſſe aliquam cauſam Iuſtificationis, ſed cum perpetuo conſenſu ſcripturæ & Catholicæ Eccleſiæ Chriſti ſenſi & docui, totum beneficium redemptionis & ſaluationis noſtræ gratuitum eſſe, & deberi miſericordiæ Dei, & merito ſolius Filij Dei, unici Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ac Fide ſola accipi.

Hac propoſitione uerò: Opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, cùm propter ambiguitatem offenderit aliquos, teſtatus ſum diſertè, me non uſurum eſſe deinceps.

In hac confeßione conſtitutus ut dixi, penè in ipſo limine ſepulcri, Deo adiuuante perſeuerabo & moriar, & cum hac conſcientia accedam ad Tribunal Filij Dei, qui cùm ſit conſcius omnium cogitationum mearum & actionum, ſcit nunquàm me quidquam honori ſuo & beneficijs detraxiſſe, ſed impiè & falſò mihi hoc tributum eſſe ab hoſtibus huius Academiæ, Apoſtatis & deſertoribus, quos non dubito iuſtißimo Dei iudicio pœnas ſuæ uirulentiæ & immanitatis daturos eſſe, niſi reſipuerint.

Quo enim ſpiritu rapiantur & agitentur, ſatis oſtendunt impudentia mendaciorum, & ſæuitia conſiliorum, quorum ſe non ſocios tantùm & miniſtros, ſed autores præbent ac duces ijs in locis, in quibus dominantur.

Certißima ſunt enim Diabolici Spiritus argumenta

menta, Mendacia & Homicidia. His iam illi multos annos ad eum graſſantur modum, ut non ſolos nos ſurenter inceſſant, ſed ne quidem parcant optimis & præclariſſimè de Eccleſia merentibus Principibus, in quos uenenatè agnatos Principes, ſeditioſè ſubditos, rabioſe exteros homines concitant, ſparſis impudentiſſimis fabellis, quas etſi res ipſa certißimis & euidentißimis documentis quotidiè refutat, tandem tamen, ut dixi, iuſto iudicio refutaturus eſt Filius Dei, cuſtus Eccleſiæ ſuæ Mendacia enim & uindicant & extinguunt ſemetipſa.

Hæc ex hiſtoria huius Academiæ paulò altius repetita, ueſtra cauſſa Scholaſtici recitaui, quos huius meæ confeßionis teſtes relinquo poſteritati.

Nunc obteſtationem ueſtri addam, quam profectam à ſene & huius Scholæ atq; Eccleſiæ amantißimo, & proſpiciente euentum harum confuſionum, deq; poſteritate eam ob cauſam admodum ſollicito, exiſtimabitis eſſe uocem non hominis, ſed Spiritus ſancti.

Res oſtendit, eius nos doctrinæ cuſtodes eſſe & manſiſſe, quam Lutherus & Melanthon, Spiritu ſancto Duce & interprete, collatis ſententijs & coniunctis operis, ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis reſtitutam nobis tradiderunt, in quorum ſcriptis inde uſq; à tempore Confeßionis Au-

gustarũ scriptis, inde usq; à tẽpore Confessionis Augustanæ, nec dissonum quidquam aut discrepans est, uel inter se uel à fundamento, nec obscurum aut perplexum.

Hanc doctrinam, ut rectè discatis, & consensum atq; concordiam in ea cum hac schola cumq; Ecclesijs harum regionum, quæ unam omnes doctrinæ uocem profitentur, ut conseruare ac tueri studeatis, quo quemuis loco Deus collocarit, uos oro & obtestor.

Consensu atq; concordia hæ Ecclesiæ initiò efflorucrunt & hactenus constiterunt: Concordia machinationes & insultus hostiles multiplices facilè repulerunt. Hac uigente nil uiolentia, nil? calumniæ in nos poterunt. Laborare enim ueritas potest, opprimi non potest. At si ut Cadmæi fratres inter nos dimicare ceperimus, diuulsi in factiones, opinionum discrepantia, quod desertoribus nostræ societatis Flacianis accidit, amissa ueritate nos ipsos euertemus.

Non patiamini uos igitur aut ab hac recta, uera & explicata semita ad alias aberrantes, perplexas etconfusas uias abduci, aut quouis turbine nouarum opinionum ita percelli, ut de hoc canone dubitetis, à quo quicunq; discesserunt, ij in tetros illi lapsi errores, & sese & alios seduxerunt.

Scripta uobis etiam commendo Lutheri & Melan-

Melanthonis, in cuius una pagella plus piæ, utilis & necessariæ doctrinæ continetur, quàm in totis uoluminibus hostium nostrorum. Nec moueamini calumnijs aut Staphyli aut Flacianæ coniurationis, qui per Lutheri & Melanthonis nomen petunt & oppugnant nomen & gloriam Filij Dei, & iugulant Ecclesiam.

Nec exempla imitemini sceleratorum Apostatarum, qui posteaquàm hauserunt apud nos omnium liberalium disciplinarum fundamenta, digressi à nobis, transierunt in castra hostium, alij ad Pontificios, alij ad Flacianos, & quæ à nobis acceperunt arma, in nos hostili rabie conuerterunt.

Fugite ceu pestem & Ecclesiarum in hac uita & animarum, illas recentes præstigias factiosorum hominum conspirationis Flacianæ, ambitione furentium, & odio nostri planè Diabolico eo usq; progredientium, ut noua, his Ecclesijs ignota, absurda, monstrosa, contraria fundamento fingere non erubescant, horum & consortia fugite atq; consuetudinem. Et orate Filium Dei, ut uos sancto suo Spiritu gubernet & confirmet in uera luce doctrinæ suæ, & regat uos, ut fiatis organa salutaria animabus uestris & alijs.

Deinde oro & obtestor uos, ut legibus Academiæ & Præceptoribus uestris reuerenter obtemperetis, & omnem uitam uestram cum seria & ardente Inuocatione Dei componatis ad modestiam & ho-

& honestatẽ. Quantæ impendeant pœnæ uel potius iam urgeant nos, cernitis. Laceratur Ecclesia horribiliter digladiationibus inter se docentium, & de luce doctrinæ manifestè periclitatur.

Alibi sæuitur supplicijs & cædibus atrocissimè in eos, qui Pontificias Idolatrias & superstitiones non probant. Bellum ante fores est. Arma multis in locis expediuntur. Nos præ cæteris & insidiæ & pericula ingentia circumstant. Nam infestius nos odit & atrocius oppugnat Diabolus, quàm alios, quos distractos dissidijs & dementatos præstigijs, ex uno errore mirabilibus occasionibus pellicit & inuoluit in alios infinitos. Penuria frugum hoc anno cuectarum tempestatibus, caritatem annonæ & certam famem adfert.

Sitis ergò modesti propter Deum, & cauete, ne spontanea contumacia aut spontè accersitis furoribus cumuletis pœnas publicas. Diligenter facite officium uestrum. Rectè discite doctrinam Ecclesiæ ex scriptis Propheticis & Apostolicis, quibus addite eorum Commentarios, quos ad repurgationem & emendationem doctrinæ Deus excitauit, instruxit & prouexit, ad quorum monumenta & sepulchra consistimus.

Cogitate beatas animas Lutheri & Melanthonis, quorum exuuiæ hoc in loco quiescunt, & expressæ imagines oculis uestris obuersantur, hoc à uobis

uobis petere ac postulare tanquàm sua uoce è uicinis tumulis sonante.

Hanc uobis & confessionem & commonefactionem optimi auditores relinquo postremam, breui Deo adiuuante migraturus ex hac misera & æramnosa uita ad cœlestem Ecclesiam, & auditurus in cœtu Apostolorum, Prophetarum, sanctorum Martyrum cum dulcissimis meis Patribus ac Præceptoribus, Luthero & Melanthone, coràm docentem filium Dei, & explicantem causas rerum maximarum: Cur ita conditum sit genus humanum: Cur à lapsu per Filium redimi ac restitui oportuerit: Qualis sit illa inenarrabilis copulatio humanæ naturæ cum diuina, quæ facta est Filio λόγῳ assumente naturam humanam unione hypostatica & plura alia.

Nunc tibi æternæ Pater Domini nostri Iesu Christi toto pectore gratias ago, quòd lucem doctrinæ tuæ in his Scholis & Ecclesijs accendisti, & puram huc usq; lucere uoluisti, quod nos omnes per eam ad agnitionem ueram tui & Filij tui Iesu Christi adduxisti, quòd mirandis modis inter tot periculà, insidias, calumnias, odia et difficultates alias hanc Scholam conseruasti, protexisti & pauisti, ac repressisti Diabolos & organa eorum, ne, quod sæpè & multis modis in hanc Scholam tentarunt, perficere possent, quòd Principes, quos dedisti nobis, conuersos ad te rexisti Spiritu sancto, ut rectè

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000209

rectè intelligerent & ardenter amarent doctrinam tuam, ut consilia gubernationis suæ dirigerent ad gloriam nominis tui & salutem publicam, ut Ecclesias præcipua cura complecterentur, Scholas officinas pietatis, doctrinæ & virtutum benignè fouerent & instruerent, Respublicas ornarent honestis legibus ac iudicijs, tuerentur disciplinam ac pacem iustitia & seueritate.

Tibi æterne, misericors, propitie Pater commendo per & propter Filium tuum, doctrinam tuam, Ecclesiam, & Scholam hanc, & nutritorem Ecclesiæ tuæ in his terris, optimum Principem nostrum, Electorem Saxoniæ, Augustum, ac totam eius posteritatem: Teq; oro, ne sinas lucem doctrinæ tuæ nobis eripi, sed colligas tibi inter nos æternam Ecclesiam uoce & ministerio Euangelij tui, & in ea nos omnes comprehensos alis tuis, rege Spiritu sancto tuo, protege, foue, serua, ut plantemus cœlos in hac uita, & in omni æternitate cum tota Ecclesia cœlesti te celebremus, Amen, Amen, Amen.

SEQVN-

SEQVVNTVR SCRIPTA PROPOSITA SEMESTRI HIBERNO, ID EST, A XV. Cal. Nouembris Anni M D. LXVIII. vsq; ad Cal. Maij Anni LXIX. Rectore Iohanne Posone, Iuris V. Doctore & Professore.

DECANVS COLLEGII IVRISCONSVLTORVM IN ACAdemia VVitebergensi, Ioachimus à Beust. I. V. Doctor & Professor.

DELECTOR *Aristotelis dicto quod extat in tertio Politicorum.* ὁ μὲν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους. ὁ δ' ἄνθρωπον κελεύων, πρόσθησι καὶ θηρίον. ἥ τε γὰρ ἐπιθυμία καὶ ὁ θυμὸς ἄρχοντας διαστρέφει καὶ τοὺς ἀρίστους ἄνδρας, διόπερ ἄνευ ὀρέξεως νοῦς ὁ νόμος ὅδε, *Causas enim ostendit propter quas legum autoritas anteferri debeat arbitrio eorum, qui præsunt, & cur utile sit Magistratus ad certam atq; expressam legum uocem seu ad IVS scriptum alliga-*

alligatos esse. Quia inquit, LEX frenat affectus & cupiditates hominum quibus & sapientes excæcantur, & à norma æquitatis ac iusticiæ non nunquam detorquentur uiri boni.

Verè hæc ab Aristotele dicta sunt, sed addi debent & aliæ causæ maiores, desumptæ ex doctrina de legum fontibus, quas obiter Aristoteles attingit. Ideò anteferendum est IVS scriptum, quia Deus ipse certa lege inscripta in mentes hominum, genus humanum regi uoluit. Notitiæ enim Legis naturæ, discernentes honesta & turpia, sunt ipsa Decalogi præcepta æterna & immota, quæ non primum è monte SINAI saxo incisa Deus patefecit, sed ab initio mentibus hominum inseuit, inde omnes honestæ leges decerptæ sunt à uiris sapientibus Deo duce, qui animum & uocem Magistratuum regit, ut has noticias illustres, & uitæ ac moribus hominum accommodatas proponant, ac denuncient pœnas omnibus, qui eas contemnunt. Vult etiam Magistratum custodem esse & executorem legum, attribuit ei potestatem mitigandi uel exasperandi uocem earum, & hanc interpretationem ualere uult propter rationem, aut si ratio desit, propter autoritatem, quam Magistratui circumdedit, sed abesse debent Tyrannis & calumnia.

Verè itaq; Deus præest, ubi legum honestarum ualet autoritas. Tales enim sunt ipsa uox legis diuinæ, quod de nostris Romanis legibus rectè affirmamus,

mamus, quæ non humana calliditate excogitatæ sunt, ut cupiditatibus potentum adulentur, sed uel demonstrationibus extructæ sunt ex principijs immotis lucis & sapientiæ transfusæ diuinitus in mentes nostras.

Et singulari motu rexit Deus sapientum gubernatorum mentes, ut iusticiæ fontes & uiderent, & alijs monstrarent. Sed ita leges præsunt, cum sunt, qui rectè eas & intelligunt & interpretantur & exequuntur. Doctrina & interpretatio nostri ordinis est, executio eorum, qui ad gubernacula sedent.

Sed ad rectum intellectum legum assequendum studio opus est & cura discendi, quam qui negligunt, & tamen postea rudes atq; imperiti audacter uel in forum atq; iudicia irrumpunt, uel in Cathedras ac Pulpita doctrinæ publicæ euolant, grauiter peccant. Quid enim sceleratius cogitari potest, quam formatorem ingeniorum quæ Reipublicæ seruire debent, aut consiliorum moderatorem non intellecta aut deprauata etiam legum uoce fieri similem furiæ quæ aut lites, odia, dissidia excitat & alit aut infinitam dissipationem, & uastationem efficit.

Et punit Deus inscitiam & audaciam eorum, qui uel corrumpũt iudicia adolescentum imperitia sua, uel in publicis aut priuatis consilijs errore aut assentatione accendunt ciuiles discordias & bella.

Rursus honore digni sunt, qui fontes quærunt, nec umbram doctrinæ Legum, sed ueram scientiam expetunt atq; consectantur.

Talem cognouimus esse uirum doctrina & uirtute ornatißimum Magistrum LAZARVM COLERVM *natũ in oppido Misniæ* OSCHITZ. *Nam & in Publica disputatione, & in examinibus priuatis fontes sapientiæ, legum & Iusticiæ eum integrè & rectè didicisse perspeximus. Et cum in causis forensibus iam multos annos uersatus sit, testimonijs plurimis ac fide dignis comperimus amantem eum esse Iusticiæ, æquitatis, disciplinæ, concordiæ & pacis. Idcirco cum peteret testimonium à nostro Collegio, id ei tribuendum esse decreuimus.*

Quod ergò felix sit & faustum, atq; ipsi M. LAZARO COLERO *& Reipub. salutare, ad proximam diem* IOVIS, *quæ est* X. Cal. Nouemb. *in templo Academiæ, quod arci dicatum est, Doctorem eum Iuris utriusq; renunciabimus. Ad eam festiuitatem ut scholastici honoris nostri causa conueniant rogamus.*

Oro autem æternum patrem Domini nostri IESV CHRISTI *fontem sapientiæ, legum & ordinis Politici autorem atq; custodem, ut consilia & actiones huius* LAZARI COLERI *regat, ut prosint Ecclesiæ & Reipub. & concedat his regionibus pacem, qua uigent leges, quæ silent inter arma.*

P. P. 19. Octob. Anno 1567.

IN PRIVATAM INSTITVTIONVM IVRIS *prælectionem.*

NON inusitatum fuit hactenus in hac nostra Academia multis bonis & doctis uiris, quê scholas priuatas habuerunt, ut inter cæteras lectiones necessarias iuuentuti, interdum aliquid etiam temporis ac studij tribuerent explicandis institutionibus Iuris, non ut ex professo Iuris doctrinam traderent, sed ut Grammatica uocabulorũ & phraseos explicatione, adolescentes ad amorem & reuerentiam legum assuefacerent, & iudicium eorum aliquomodo formarent de communib. uitæ negotijs, deniq; & Ethicæ Philosophiæ illustria exempla ostenderent, ex qua tota Iuris prudentia tanquam ex sancto augustoq; fonte promanat.

Etsi enim grauißimè præcipitur à ueteribus, Quam quisq; norit artem, in ea se exerceat. Tamen causæ multæ sunt necessariæ, cur præceptores priuatos oporteat interdum Iuris quoq; & Iusticiæ fontes & initia tradere. Quia cum aliqui semper sint, inter discentes, qui se studio Iuris totos tradere cupiunt, necesse est, eos à teneris annis præparari, ut maiori cum fructu publicas prælectiones

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000212

audire poßint, eorum qui ex profeſſo Iuris ſcientiam docent. Deinde etſi non omnes Iurisconſulti futuri ſunt, communißima tamen capita Iuris ciuilis ab omnibus cognoſci plurimum refert. Magis enim dulceſcunt Ethicæ diſputationes cũ ad uſum in uitæ communis negotijs transferuntur. Et ſine guſtu aliquo doctrinæ Iuris ne quidem intelligi poſſunt libri de officijs à Cicerone ſcripti, aut orationes eius. Sæpe etiam in Theologia uocabula Iuris uſurpantur, ut Teſtamentum, ſtipulatio, pignus, arra, præſcriptio, adoptio, donatio, & alia penè infinita, quorum intelligentia magnam lucem & perſpicuitatem ſcriptis Pauli & aliorum Apoſtolorum affert.

Cum igitur adoleſcentes quidam, meæ fidei commendati iamdiu à me magnopere petiuerint, ut ſtudia ipſorum mea qualicunq; opera hac quoq; in parte iuuarem: decreui deinceps Deo iuuante, libros inſtitutionum tantum Grammaticè explicare, ut noticiam uocabulorum aliquam acquirant. Non profecto arrogantia ulla adductus aut ut falcem alienam in meſſem mittam, cum facile agnoſcam, me non parem eſſe ad Iuris doctrinam docendam, quam ipſe non didici: Sed ut dixi, ob hanc cauſſam ſolam, ut uocabula & phraſes peculiares Iuris ſcientiæ, quibus creberrime utuntur alij ſcriptores, noticia fiant adoleſcentibus meæ fidei commißis.

Quod ſi qui ſunt inter ſtudioſos, qui meis pri-

uatis

uatis ſeſe adiungere uolent, ij hac ſeptimana me conueniant & nomina ſua apud me edant, ut de hora conueniente à me certiores fiant. Bene ualete & precibus pijs tranquillitatem et ſalutem huius Academiæ, Deo commendate.

P P. 19. Octob. 1567.

Chriſtophorus Pezelius
Plauenſis, Profeſſor
Publicus.

STVDIOSIS DOCTRINÆ GEOMETRICÆ S. D.

POST, operas Arithmeticas & Aſtronomicas diuerſi generis noſtras, in quibus iam triennium ferme uerſati ſumus, nunc ad Euclidem redire conſtituimus, ut denuo ex fundamentis extruatur quaſi ædificium doctrinæ eius, quam profitemur.

Quæ uero à Græcis Mathemata, id eſt, Diſciplinæ appellantur (Siue κατ' ἐξοχὴν & excellente nomine, ſiue quod hæc ſola philoſophia fuerit & doctrina priſcorum) earum fundamentum eſt doctrina Geometrica, quæ in elementis Euclidæis traditur atq; demonſtratur, ſine quibus nulla eſſe illarum diſciplinarum ſcientia ſolida aut uera poteſt, & ſtudium harum mancum eſt omne & mutilum

atq; inchoatum, quacunq; se specie aliqui scientiæ memorabilis in hoc genere uenditent, fucum facientes imperitioribus.

Neq; enim quæ certa, quæ dubia, quid partum quidúe quærendum amplius, ubi insistere, aut progredi mens atq; cogitatio in illis disciplinis debeat, sine his elementis constitui potest, quibus excellens et admirabilis sapientia atq; industria ueterum tam Ægyptiorum quam Græcorum, ad explicandas atq; demonstrandas siderum & orbium cœlestium conuersiones præcipuè usa fuit, quacunq; occasione repertis, Nam quid de hoc extet literis mandatum, notum est.

Designantur autem τὰ φαινόμενα, id est, ea quæ in cœlo apparent diagrammatibus, et diagrammata in numeros rediguntur, de numeris tabulæ fiunt eæ quibus omnis doctrina motuum in cœlestibus corporibus descripta proponitur.

Non tamen huic rei atq; studio tantùm, sed & Philosophiæ & cæteris uitæ artibus atq; professionibus, & liberali doctrinæ uniuersæ tantùm operæ nauant, quantum non est facile credere incogitantioribus cũ prædicatur: Quod enim in terris est & humanæ sapientiæ studijs uerum & certum, id in Mathematis est uniuersum, & de his ad cætera emanat, atq; de exemplo et quasi indicio horum in alijs artibus reperitur atq; constituitur, Ideo fit, ut cum in alijs artibus & professionibus uarietas sit &

& discrepantia dogmatum pene infinita, de ijs tamen quæ Mathematum propria sunt, omnes artifices eadem & doceant & docere cogantur, cũ ratio uera non sinat aliter, quod & Galenus notauit atq; celebrauit. Est autem ueritas unum quiddam non multiplex, et puncti instar in medio circuli, ut plus uno uerum esse de eadem re non possit, hoc uero illud est, quod cùm unaquaq; re & natura huius congruit atq; consentit, atq; ita eodem recidũt, τὸ ὄν, καὶ ἐν καὶ ἀληθὲς. Hac de causa sapientissima Pythagoricorum familia, ad cuiusq; scientiæ constitutionem numeris usa est, quibus quæ in manibus essent explicarent, neq; ad cognitionem et ueritatem rei compendiosior est uia, & doctrinæ ratio seu Methodus certior atq; melior, ingenij tamen & industriæ minime uulgaris.

Hæc uerò certi et ueri in his disciplinis tanta exquisitio inde est, quod sola animi intelligentia constant, neq; in ea quæ sensib. subiecta sunt intuentur, sed abstracta ab omni materia considerant, quæ sunt ἐξ ἀφαιρέσεως καὶ εἰδῆ ἄϋλα, in quibus est αὐτὸ τὸ ὄν, & perpetuum et constans aliquid, cum materia mutationibus multiplicibus subiecta fluxa sit & uaria, neq; in ijs quæ oriuntur & occidunt uel stabilitas ulla, uel perfectio ea esse possit, quæ ueritatem repræsentet, sed animo hæc cernitur & ratione atque intelligentia uniuersa continetur.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000214

Itaq; immersæ hæ disciplinæ in materiam desinunt esse μαθήματα, neq; certi & ueri exquisitionem tum amplius præstant aut tuentur, Non enim quæ in Geometricis est demonstrata ueritas, eadem etiam in opticis, in Geodæticis, & Astronomicis manet, quod tum in materiam contemplatio demergitur, itaq; φυσικώτερα hæc μαθήματα appellat Aristoteles, quæ non considerantes aliqui de Astronomicæ doctrinæ non fallente exquisitione promittunt & loquuntur gloriosius.

Sed ut de opera, quam præstant cæteris artibus & professionibus Mathemata existimare facilius liceat, & res docet & Platonicis quibusdam disputationibus confirmatur, Dialecticam quod definit & diuidit, & componendo atq; resoluendo res explicat, & de certis quibusdam positis concessisq; principijs aliquid concludit & demonstrat, non ipse proferre atq; præstare, sed à Geometria assumere, cuius hæc sunt propria, unde hæc omnia illa mutuans, & doctrinæ formulam constituit & uerbis informat atq; consentaneum & probabilem admodum complectitur, ut fiant ea quæ sunt dialecticæ, sicut & nomen huius ostendit, propria.

Hic igitur usus Geometriæ inde ad cæteras omnes artes & professiones manat. Quid uerò peculiariter & his & Medicinæ atq; Iurisprudentiæ commodet, & breuiter dici non potest, & tales disputationes uulgo absurdæ uideri solent, cùm ne officinæ

officinæ quidem hac carere possint, & nulla sit artis uitæ, quæ non in hac aliquid ipsi quod ex usu sit, inueniat atq; excerpat. Itaq; in genere de Geometricis elementis ea breuiter monemus, quæ ab omnibus intelligi possunt, & facile assensionem reperiunt.

Sicut autem utile est in Rhetoricis præceptis explicandis exercere adolescentiam, etiam propterea, quod hoc modo ad cogitationem quandam & considerationem eorum, quæ quoquo tempore dicenda sunt, adducatur ea ætas, et tali attentione hoc perficiatur, ne oratio sit huius, ut ferè esse solet, futilis & temeraria: Ita Euclidæa elementa proponi iuuentuti prodest, ut ingenij uis acuatur, & quasi expoliatur ad ueras & constantes ratiocinationes concipiendas atq; usurpandas, & ut hoc sit quasi progymnasma quoddam, quo ad omnem ingeniosam atq; exquisitam doctrinam accipiendam, tanquam agri cultura & arationibus ad sementem præparetur. Mentem etiam à sensibus ut abducamus, & assuefieri oportet, & utilitatem habet multiplicem. Itaq; & ueterum quidam scribit πρᾳδοτέον τοῖς ἰδίοις τὰ μαθήματα πρὸς σωμέθισμον τῆς ἀσωμάτου φύσεως.

Hæ per se utilitates sunt magnæ huius studij, etiamsi ad id quo peculiariter dirigitur, & cuius causa res inuenta est, non respiciatur. Plato autem de usu peculiari disserit, quem Geometria præstet

Reipub, sed nos de cõmuni quodam dicimus, et pertinente per humana omnia. Quod enim idem Plato scribit de Arithmetica μαθήμα ἔιναι πρὸσωφαγκάζον ἀυτῇ τῇ νοήσει χρῆσθαι τὼ ψυχήν ἐπ' ἀυτὸ τὸ ἀλήθειαν, Hoc de Geometria etiam uerũ esse usus demõstrat, Et de Arithmetica et Geometria communiter hoc dicere possumus, qui natura ingenijs ad has aptis sunt, eos ad omnes etiam disciplinas ferme alias acumen adferre solere, Qui uerò tardiores sunt. si in his instituuntur atq; exercentur, etiamsi nullum alium fructum inde percipiant, ita tamen proficere, ut excolantur ingenia, & fiant ἀυτὸι ἀυτῶν ὀξύτεροι, ut Platonis uerbis, hoc etiam exponamus.

Sed ad Epicureos contemptores harum disciplinarum argumentando parum proficitur, bonis autem & prudentibus facilè perfuaserit aliquis λέγων ἓυ, quos experiundo hæc cognoscere & nos malumus. & utilius Reipub. fuerit, cum praconia quæ à nobis fiunt, qui has artes profitemur, spectata esse ad alios possint.

Ab ijs tamen qui scholasticos honores in studijs Philosophiæ deinceps petituri sunt, doctrinam nostram, ut par est repetemus, Hos igitur necessitas quædam, sed uniuersos liberalis cognitio & latissimè patens in omni uita horum studiorum utilitas, ad tales scholas, & ut ueteres locuti sunt, in hos eruditos pulueres adducat atq; congreget.

Cras

Cras autem Deo iuuante incipiam primum librum Euclidis, & cum in huius, tum in cæterorum librorum explicatione ita uersabor, ut accommodem doctrinam ad captum omnium qui discere uoluerint, Dialectica etiam compendia adhibiturus, & confidimus nos fidem & nonnullam industriam in hoc genere auditoribus nostris esse probaturos.

Sebastianus Theodoricus VVinshemius.

ETHICÆ DOCTRINÆ STVDIOSIS.

VErè in nos congruit quærela sapientis & ærumnosi Prophetæ: Non est malum in ciuitate quod non fecit Dominus. Quam tristia enim horum temporum sunt spectacula.

Sed gratias agimus Deo æterno, Patri Domini nostri IESV CHRISTI, quod, cum non sit malum in nostra ciuitate, quod non fecit ipse, tamen ipse simul etiam malum clementer nobis lenit & mitigat, et facit ut nondum prorsus dißipentur apud nos docentium & discentium cœtus. Eumq; ueris animi gemitibus oramus, ut deinceps etiam in ira misericordiæ recordetur, nec permittat, ut in Academia nostra prorsus fiat uastitas. Pugnemus autem et ipsi, ne in hac distractione rerum et hominũ noster cœtus totus dißipetur, ac usitata et necessaria literarum studia, quantũ fieri potest, nõ abijciamus.

Hodie

Hodie igitur hora 4. propitio Deo iuuante, ad Ethicæ noſtræ doctrinæ enarrationem redibimus, quam huius temporis publicæ & priuatæ ærumnæ & miſeriæ aliquandiu interruperunt.

Ac rurſus æternum DEVM, & Patrem noſtrum toto pectore oramus, ut ſeruientibus nobis in noſtra ſtatione præluceat, ſeruet & gubernet nos, & faciat nos omnes miniſtros ſuæ gloriæ, & ſuæ Eccleſiæ. Bene ualete. Vltima Octob.

Iohannes Ferinarius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

DE Turcis accipimus eſſe gentem horum in largiendo egentibus benigniſſimam idq; hac de cauſa, quod credant largitionibus talibus ſuis redimere ſe pœnas peccatorum ſuorum apud Deum, easq; omnes in eum cui egenti largiuntur aut beneſaciunt aliquid, transferri, Itaq; omnium maximè ſalutarem rem eſſe ſibi perſuadent elargiri pauperibus & perniciosiſſimam omnium largita ſumere. Quod igitur in illis barbaris, uel immanibus potius beluis, efficit hæc falſa & cõtumelioſa in meritum filij Dei perſuaſio, id omnino apud profitentes nomen & religionem Chriſtianam efficere debebat, patefacto per hunc ipſum filium Dei, uera, doctrina

doctrina de conſilio & uoluntate æterni patris, qui uult ut propter gloriam etiam nominis ſui internos diligamus & benefaciamus mutuo, & quæ conferuntur in pauperes ea filius Dei, quaſi ipſi ſibi præſtita & in ſe ipſum collata eſſent habiturum ſe affirmat, & conteſtaturum ſe de his beneficijs piorum ad orbem terrarum in glorioſiſſimo aduentu et ultimo iudicio ſuo coram omnibus qui à primo homine uixerunt & tum uicturi ſunt, uſq; ad ultimum hominem natum, qui idem hanc erga pauperes beneficentiam etiam in hac uita pijs ſe compenſaturum remuneraturumq; promittit.

Hæc ex ijs, quæ hoc tempore, quo more introducto circummittendi ſunt qui Eleemoſynas colligant ualetudinario ſcholaſticorum, moneri ſolent, repetimus. Et horum igitur & his ſimilium quæ pietas Chriſtiana unicuiq; ſubijcit, conſideratione, confidimus omnes noſtros hoc præſtituros, quod res & copia unumquemq; facere ſinet, præſertim cum ante oculos ſit omnium, cura & ſtudium conſilij publici Academiæ noſtræ in commodando hac in parte ægrotantibus ſcholaſticis, & ante paucos menſes domus etiam noua ante oppidum non paruis ſumptibus empta ſit, & ad eos uſus ædificetur, ut inſtructiores ſimus ad benefaciendum ijs quibus ope & cura quocunq; tempore ex noſtris opus fuerit.

Et

Et hortamur itaq; omnes subiectos Iurisdictioni scholasticæ, ut propter DEVM & temporum horum difficultatem et pericula benignos se præbeant & mandamus omnibus, ut collectores nostros ita ut par est, accipiant.

P. P. X Cal. Novemb.

STVDIOSIS ARTIS MEDICÆ.

COnsilio & suasu clariss: dominorum Doctorum artis Medicæ, præceptorum meorum obseruandorum, constitui priuatim repetere, doctrinam Hipp: & Galeni, de morbis particularibus humani corporis, causis, Symptomatibus & signis eorundem, ac hanc dulcissimam doctrinam qua fieri potest breuitate & quæ tamen satisfaciat explicationi, in tabulas quasi redigam, ut in conspectu haberi, & facilius memoriæ commendari possit.

Etsi autem satis probabiles causas haberem, quæ merito me ab hac publica significatione abducerent, tamen iudicium & uoluntatem clarissimorum dominorum doctorum anteferendã puto meis rationibus, Deducam (Deo auxiliante) auditores, ad fontes artis nostræ, unde præcepta, quæ in Medicina usum habent, desumpta sunt, nec peregrina aut noua fingam, sed quæ rationi consentanea erunt, & ab opt. authoribus probata, proponam fideliter. Postremo in me quoq; recipio, si auditoribus hanc qualemcunq; meam operam gratam & profuturam cognouero, (absoluta morborum dignotione) eorundem etiam curationem, ex Medicis Græcis & Arabicis, ac Recentioribus nostræ ætatis probatissimis, descriptam, & collectam probataq; additurũ esse. Oro autem æternum Deum, patrem Domini nostri Iesu Christi, fontem & Doctorem omnis salutaris medicationis, ut adsit nobis in hoc suscepto labore, S. S. suo, quo conatus nostri sint salutares ipsius Ecclesiæ ac nobis Incipiam autem Deo auxiliante, die ☿ Hora 2. Pomeridiana in auditorio Medicorum.

Abrahamus VVerner.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVIS non misereatur eorum, qui amore scientiæ, exules sibi, de diuitibus pauperes seipsos exinaniant, uitam suam multis periculis exponunt? &c. Hæc uerba præfatur Imperator FRIDERICVS benignissimæ erga ordinem nostrum constitutioni cuidã suæ, quæ, mandato ipsius, inserta est legibus ueteribus Iuris Romani, sub titulo Codicis: De Filius pro patre &c. Non tamen ab aliorũ tantum uiolentia et iniurijs, quas humaniss. lex illa Imperatoris reprimit, periculũ est ijs, qui studiorũ causa, peregrinantur, sed multi in sese ipsi uim exercent, quos sciendi res præclarissimas, et ueri decoris cupiditas ita incitat, ut non tantùm hac de causa à Patria et suis ultrò exulẽt, et patrimonia exhauriãt

ijcã

ſed ualetudinem etiam, & uitam ſuam huic rei impendant, in quibus, cum dolore noſtro, referimus ad uos in præſentia nomen probi, & eruditi Iuuenis VVICBALDI AB ANKELN, qui natus in familia perquam honeſta, & locuplete, oppidi Holſatiæ CREMPA, alterum iam annum in ſchola noſtra pietatis, & doctrinæ ſtudijs ità incubuit, ut ualetudini ſuæ non parceret, neq; rationem huius haberet debitam.

Etſi autem, cùm ingenio ualeret, hac ſtudij ſui aßiduitate in his præclarè profecit, & utriuſq; linguæ non uulgarem ſcientiam ſibi comparauit, ita tamen intempeſtiuis ſtudijs naturam afflixit, ut Medici, quorum opera uſus fuit, exiſtiment, hac de cauſa factum eſſe, quòd febrim in quam ſuperioribus diebus incidit, ſuperare non potuerit. Confecit enim eum morbus, ut heri antè cœnam moreretur, Atq; reſpondit exitus uitæ anteactæ, quam degit piam, & placidam, & omnes quibus notus fuit, de moribus ipſius optimis, & incorruptißimis, teſtantur, ut mors huius ſcholaſtici noſtri non tantùm familiæ ipſius lacrymabilis, ſed Reipub: etiam deploranda ſit, cui antè maturitatem uſus fructus ingenij, & uirtutis in hoc iuuene interceptus eſt.

Fiet autem funus ei Hodie hora III. Et efferetur ex ædibus Andreæ VVerbeckij, uicinis Collegio nouo. Itaq; hortamur ſcholaſticos, ut æqualis ſui,

ſui, & qui diligentia, profectu, moribus & uita ſua ornauit communitatem noſtram, eius igitur funus ut deductione etiam frequenti ſua cohoneſtent. Quod aũt Apoſtolus mandat, ut ſuo unuſquiſq; corpori honorem habeat, ad ualetudinis curam piam, et iuſtam pertinet, cumq; natura hominis ex mente & corpore ſit compoſita, neq; animus ſic eſt exercendus, ut corporis, neq; corpus ut animi ratio nõ habeatur, ſed ad utrumq; in hac parte ſimul reſpiciendum. PP. PridieNon: IXbris. 1567.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACAdemia Vitebergenſi Magiſter Sebaſtianus Theodoricus VVinshemius Mathematum Profeſſor.

IN faſtis Chriſtianis à multis iam annis ad diem Nouemb. XXV. aſcribitur nomen CATHERINÆ quam aliqui Regiam Virginem fuiſſe memorant, natam patre COSTO quodam, Domino SALAMINOS, et ante annos plures M. CCC. propter confeßionem nominis & fidei Chriſtianæ uitam amittere, & cruciatus perpeti, & profundere ſanguinem non dubitaſſe, quod qui facerent ueteres Græci propterea μαρτυρὰς & ὁμολογητὰς nominarunt. Sed poſteriores hæc nomina ita

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000219

distinxerunt, et Martyres appellarent, qui cruciatibus perpeßis testarentur fidei ueritatem, & perseuerantes in hac, morte sua glorificarent Deum, ὁμολογητὰς autem qui placidè & non excruciati, neq; aduersariorum uim & iniuriam perpeßi, fidem seruassent integram, & coluissent religionem usq; ad uitæ exitum. De hac uerò CATHERINA, neq; ortus & patriæ, neq; parentum conditio, neq; temporis notatio consentire uidentur, ut de cæteris quæ de hac feruntur, nihil dicamus, Alii qui enim Alexandrinam faciunt non Salaminiam, COSTVM autem illum neq; Salaminos, neq; temporis, quo interfecta hæc Virgo scribitur, historia agnoscit. Atq; aliqui sub Maxentio, anno Christi CCV. Martyrem factam tradunt, in quem annum Maxẽtiana non incidũt, sed Seueri potius ea ætas est.

Græcorum autem monumenta non CATHERINAM, sed ÆCATHERINAM celebrant, quæ unius an diuersarum Virginum nomina sint dicere non possumus, Quia tamen longo tempore post, Constantini inprimis Copronymi tempore, & Nicenæ secundæ Synodi, id est, anno Christi D. CC. XC. mortuorum sanctorum cultus immodicus, & ossium atq; exuuiarum & aliarum reliquiarum atq; imaginum etiam ueneratio cepta & decreta fuit, fieri potest, ut sicut alia multa ita tum etiã illæ de hac uel Catherina uel Æcatherina narrationes maxime et exquiri et iactari ceperint.

Etsi paulo post anno Christi D. CC. XCIII. hæc

hæc Synodus à Francofortensi præsente Pontificis Adriani Legato, ut superuacanea damnata est, & non tantum, ut Græci fecerant, inter Synodos œcumenicas septimo loco ne referretur, sed ne inter Synodos quidem, ut haberetur ab hac decretum. Sed quæcunq; hæc Virgo, et an fuerit aliqua, aut quid de hac factum sit, non quærimus in præsentia: Quia tamen & in his terrris aliquando culta, & in nimis multis orbis terrarum locis, quæ Christianum nomen profitentur, hodie etiam uti patrona quædã sua diorum nostrorum colitur, & intercessio eius inuocatur, & adoratio ad imagines & loca dicata memoriæ huius, sancitur, Ideo ut contrà hoc Idolum à nostris etiam literis proferatur aliquid per annos iam aliquot præstantiß. Poëta & ueterum laudi proximus D. IOHANNES MAIORIOACHIMVS, ad eam diem quæ est in fastis consecrata memoriæ Catharinæ, recitare publicè consueuit aliquid uersuum suorum, Idq; hoc etiam anno facere constituit, sed cum certis de causis rem producendã putauerimus in diei Crastini (qui est ab ordinaria huius operæ octauus) horam Nonam recitationem eam, reiecimus. Ad quam ut conuenire scholastici possint, publicè de hoc in præsentia significamus.

Cumq; de ijs, quæ contra Idolatriam idoli huius ueterem dicenda sunt, et temporum occasiones subierunt, iam aliquoties dixerit, Nunc etiam Musas bonas suggesturas ei confidimus, quæ & uena ipsius

non ſint indigna, & quibus cognoſcendis operam impendiſſe, neminem pœnitere poßit.

P P. Calend. Xbris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

REſert Ariſtotcles apud Hypanin fluuium, qui in Pontum infunditur, beſtiolas quaſdam naſci, quæ unum diem uiuant. Ex his quæ hora diei octaua parit, prouecta ætate cenſentur: quæ uerò occidente Sole, decrepita, eoq; magis ſi ſolſtitiali etiam die id contingat.

Etſi autem ad hanc ἐξακυβιότητα & hominis, & multorum animantium uita collata, uidetur eſſe longißima: tamen ea ipſa duratio quamtumuis longa, ſi ad æternitatem comparetur beſtiolarum, illam breuitatem uitæ excedere nimime uidetur. Longè igitur anteferimus infinitam æternitatem breuißimo atq; ærumnoſo curriculo huius mortalis uitæ, quod παρασκευὴ quædam, & ut Plato nominat, μελέτημα ἐστὶ τοῦ θανάτου in ijs, qui ſe non tantum ad uoluptates corporales natos ſomniant, ſed Lucis huius uſuram ad hoc ſibi conceſſam eſſe iudicant, ut in hac militia ad ſubeundam conſtanter mortem, et cœleſtis æternæq; illius uitæ beatitudinem capeſſendam optimo miatico ueræ doctrinæ, & agnitionis atq; inuocationis

tionis Mediatoris Ieſu Chriſti inſtruunt. Cum ijs, qui hoc modo ex acie decedunt, præclare actum eſſe dubitari non debet, quæcunq; fuerit in hoc difficili Labyrintho fortuna, ex qua de Dei ergà nos uoluntate certo ſtatui non debere, etiam ſcripturæ teſtimonio docemur. Euocatus eſt autem heri ex hac uita, Vir doctus & honeſtus, Magiſter Iohannes Ranfftius Northuſanus, cuius etſi ætas magna non fuit, cum à natiuitate imbecillitatem ipſius natura non obſcuris indicijs oſtenderit in digitorum ſtructura mutilata: tamen inter uarias ærumnas & rei familiaris inopiam id operam dedit, ut exiguam etiam ſpartulã ſuam exornaret indiſcenda ac propaganda neceſſaria doctrina & morum honeſta gubernatione. Cumq; in uertendis quibuſdam Græcorum ſcriptorum pagellis utilem operam iuuentuti nauarit, & ſocius ſtudiorum communium fuerit, & inter has operas Typographiæ etiam labores inſpexerit & gubernarit, quo ad ei per ualetudinem licuit, Deniq; quod ſummum eſt, maximeq; exoptandum, etiam inter uota ad filium Dei liberatorem ſuum ac Redemptorem expirarit: non debet ipſi honeſtum officium atq; poſtremum deductionis funeris ipſius noſtræ deeſſe.

Hortamur igitur ſcholaſticos, ut hodie Hora XII. ante ædes Viri honeſti Laurentij Schwenckij Typographi ad pias ceremonias funeris conueni-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000221

ant, ibiq; se & suam salutem Deo ardentibus uotis commendent.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

PEtijt à nobis nobilis matrona, gente Flansia, quæ est familia equestris nobilitatis in uicina Marchia, ut in sumere mariti ipsius Carissimi CASPARIS à Cöcritz proponeremus aliquid, quo nostri ad hoc deductione sua ornandum imitarentur, Et significatur nobis idem ut fieret petijsse etiam Cocricium morientem, In quo, utrisq; ut bosequamur, & humanitas & pietas Christiana postulare uidetur. Nota est gentis Cocriciæ inter Equestres harum terrarum uetus nobilitas & dignitas, & huius Casparis parentes, in Lusatia sedem habuerunt, ubi hic natus & inde in aulam Illustriss. et sapientissimi Principis FRIDERICI Electoris Saxoniæ etc puer adductus, in hac educatus fuit, ubi ministerij sui operas & fidem, ita ei probauit, ut non libenter eum à se dimitteret, & discedenti annui precij pensionem honorariam constituerit non exiguam, quæ quam diu uiueret ei penderetur. Postea & alijs Germaniæ principibus operam suam elocauit, Tandem in hoc oppidũ ei commigrare libuit, in quo annos iam triginta sedẽ habens

bens consenuit, & superiore nocte longo morbo fractus placide decessit, atq; eiusmodi sententiæ uerbis moriens usus dicitur, quibus commendarit se Deo uiuenti, Magno Michaëli Iesu Christo redemtori, & Saluatori suo, huncq; orarit inuocans, ut benigne per hanc uitam & mortem corporis ad æternam salutem iuuando perducere uellet. Omnia autem tum bona sunt clausula quando bona est, & vitæ exitus pius saluraris est, atq; anteactum cursum præclarum speciosiorem reddit, errarorum autem & imbecillitatis ad homines memoriam obruere solet, ad Deum uero tollit prorsus, sicut enim in certaminibus ita et in uita pro eo ut ex hac deceditur præmia decernuntur.

Mundat autem credentes sanguis filij Dei, & abluit sordes nostras, unumq; cœlum est quod recipit uniuersos qui in Christo moriuntur, ad consuetudinem cum hoc & inter nos sempiternam.

Fiet autem funus ei hodie hora XII. In quo deducendo familiæ nobili opera danda, & Viduæ honestæ, quæ per annos fermè XLVII. in coniugio fideli cum hoc marito suo uixit, & ab omnibus matronalibus uirtutibus commendatur, Inprimis autem beneficentia huius erga indigentes ope & sublcuatione bonorum publicè celebratur.

PP. V. Idus Xbris.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000222

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVÆ hoc anno à Bruma uſq; fuit conſtitutio aëris Verna & tempeſtatis Auſtrinæ creb ra ſubitáq; indies mutatio, & conuerſio penè momentanea: ea non modo ſenum, qui nunc uiuunt, teſtimonijs, moleſta & grauis fuit corporibus quemadmodum rectè dictum eſt à Poëta: Aere non certo, corpora languor habet: Verum etiam ex ueterum medicorum doctrina, in poſterum morbos complures, periculoſos atq; exitiales paritura eſſe uidetur. Nam & Hippocrates ſapienter monuit τὰς μεταβολὰς τῶν ὡρέων καὶ μεταλλαγὰς ſubitaneas potiſſimum, gignere morbos: & eos quidem δυσκρίτους καὶ ἀκαταστάτους, hoc eſt, irregulares atq; ſolutu difficiles, cum anni tempora ſunt ἀκατάστατα, incerta atq; inordinata, & hyems auſtralis tepens atq; pluuioſa eſt. Etenim calorem natiuum corporum ſuperiore æſtate languefactum, refici nunc temporum idonea uicißitudine conueniebat, circumfuſi aëris byberni frigore ad interiora ipſum cogente ac colligente, ut & nutrimentum exactius coquat, et ſi quid in æſtu cum propter coctionem imbecillem tum potus largioris, & frigidorum atq; crudorum auidiorem ingeſtionem, præter naturam collectum eſt περιπνευματικὸν,

μαλικὸν, id ne cauſam ægritudinibus præbeat, abſumere ac diſſipare queat. Quod ſi contra hyemis κατάστασις in Ver tranſeat, fieri aliter non poteſt, quam ut inſolito tepore laxata & rarefacta denuò corpora fluxionibus uarijs obnoxia reddantur calore foris circumſtantis aëris, cum per anhelitum tùm arteriarum dilatatione per hiantes poros ad interiora penetrante ac ſpiritibus ſe permiſcente, Qui quidem calor et humores fundit ac commouet ut fluxioni aptiores reddantur & meatus aperit ac dilatat, ut per uias patentes iam, magno impetu atq; copia ex cerebro, pectore, uentriculo alijsue membris ſe effundat materia pituitoſa aut bilioſa in has uel illas corporis partes, easq; maximè, quæ propter debilitatem καὶ ἀτονίαν congenitam uel acquiſitam, ruentem materiam promptius & facilius admittunt & recipiunt. Inde cum eiuſmodi ſunt aëris διαθέσεις νοσώδεις, quicunq; ex fluxionibus humorum originem trahunt morbi, multiplices exiſtunt, et frequentius homines δυνάμει νοσερούς inuadunt atq; opprimunt.

Si uero hyemem εὔδιον tepidam & clementem ſubitò ingruens frigus excipiat, qui ante hac reſoluti calore fluctuabant humores & ad expulſionem promptiores erant, iterum coguntur atq; ſiſtuntur, ut obſtructis meatibus uaſorum ex membris nobilioribus, non poßint corpori ſuppeditari δυνάμεις

quibus & uita continetur & ſenſus atq; motus ſingulis partibus ſuppeditatur. Cuius quidem rei his ipſis diebus exemplum manifeſtum & ſpectaculum inſuaue Medicis præbuit optima fœmina pietate, modeſtia omniq; matronali laude ornata MAGDALENA coniunx ANDREÆ HARTVNGI Chirurgi in hoc oppido primarij, quæ cum ab Adoleſcentia corpore fuiſſet non admodum firmo ſæpius nunc in hac aëris inconſtantia Catarris infeſtari cœpit, qui dum fluere ex capite propter tenuitatem longius potuerunt, alias aliam partem articulos uero potiſſimum occuparunt, cohibiti uero deinceps propter craſſitiem copiam & malignitatem ſubſiſtere in fonte, & obſtruere neruorum principia cepertunt, unde in lingua primum ϖαρωδέϛι, Deinde magis magisq; inualeſcente obſtructione, iam manifeſtè conuelli corpus animaduerſum eſt, donec intercluſis uijs, & ſpiratione intercepta, cor quoq; ipſum heri ante meridiem ſuffocatum eſt.

Cum autem non ſolum hoc decubitus ſui tempore uerum etiam in omni uita pietatis fuerit amantiſſima ſeq; et ſalutem ſuam pijs precibus commendarit, & honeſtis exercitijs atq; erga alios officijs beneficentiæ, ſuam animi pietatem declarare ſolita ſit, non dubitamus eam in numero eorum eſſe, de quibus ſcriptum eſt: Beati mortui qui in Domino moriuntur, Nos uero acerbo mariti ipſius luctu affici,

affici, & ſocietatem doloris noſtri oſtendere honeſta funeris deductione (quod fiet hodie ad horam duodecimam) decet quẽ quidem & propter artem qua antecellit plærisq; harum regionum artificibus & propter uirtutem, integritatem, fidem & erga ordinem noſtrum amorem ſingularem atq; obſeruantiam, ſtudiumq; benè merendi de omnibus non ſolum diligimus, carumq; habemus, ſed etiam quibus poſſumus humanitatis officijs ornare, nobisq; deuincire ſtudemus.

Nota uero eſt atq; perſpecta ipſius induſtria, fides & in medendo felicitas, atq; gratificandi quibuscunq; cupiditas, non noſtris ſolum ciuibus Vniuerſis ſed exteris quoq; et dignitate equeſtri ac nobilitate conſpicuis atq; illuſtrib: Viris. Quare et ſcholaſticos noſtros hortamur uniuerſos, ut quod pietas Chriſtiana & communis omnium ſortis atq; conditionis reſpectus facere unumquemq; iubet ſuam, hoc quoq; officio comitandi funeris beneuolentiam erga honeſtiſſimum Virum deq; multis bene merenti declarare uelint: quem quidem uel hoc nomine magis excruciari luctuq; domeſtico penè confici ſcimus, quod tertiam nunc coniugem ſepelit. Simus igitur memores dicti: κοινὰ πάθη πάντων, ὁ εἷς τροχὸς ἅπαντ' ὅλος.

P P. XVI. Ian.

LIN-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000224

LINGVÆ GRÆCÆ STVDIOSIS.

Postquam enarratione primæ fabulæ quasi gustum aliquem lectionis Sophocleæ prebuimus auditoribus, Nunc ad reliquas progredi uisum est, Inter quas proximum locum obtinet Electra, cuius tanta est cum grauitate coniuncta suauitas, & uenustas, ut non temerè tantis laudibus celebrata sit ab omnium ætatum uiris ingenio & doctrina præditis. Inter Tragœdias enim Sophocleas primam palmam obtinuerunt Electra & Antigone, Est uero inuentio, ordo, & œconomia in Electra præcipuè admirabilis, tanta enim arte & ingenio singula inuenta, et disposita sunt, ut uix ab humano ingenio sic excogitari potuisse uideantur. His accedunt uerborum lumina & insignis figurarum uenustas, Sententiarum acumen & grauitas, multifaria doctrina ad omnes uitæ partes necessaria & salutaris, Affectus præterea tam lenes illi quos ἤθη uocant, quam uehementes & Tragici, quibus lectoris animus quasi affixus & captiuus detinetur, adeò ut qui hæc euoluit, uix à Lachrymis abstinere queat, Quemadmodum enim Æneas dum intuetur picturam excidij Troiani illachrymat, sicut Virgilius ait.

Constitit, & Lachrymans, quis iam locus, inquit, Achate,

Quæ

Quæ Regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus, sunt hic etiam sua præmia Laudi
Sunt Lachrymæ rerum & mentem mortalia tangũt
Tolle metus, feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atq; animum pictura pascit inani
Multa gemens largoq; humectat flumine uultum.

Sic & nos cum, has imagines & miros ac miserabiles casus humanæ uitæ à summis illis pingendi artificibus: Sophocle, Euripide, & Æschylo, alijsq; tanta arte expressos aspicimus & consideramus, quamuis plæraq; fabulosa esse non ignoramus, tamen ita animis commoueri solemus, ut lachrymas tenere uix possimus, & quantò quis ingenio humaniore præditus est, tanto facilius magisq; afficitur. Sunt uero loci communes, ut uocantur, id est, Regulæ ac doctrinæ huic uitæ necessariæ in hac fabula præcipuè. Primo sicut tota Tragœdia aliud nihil est, nisi perpetua quædam concio de Timore Dei, & de pœnis, quibus Deus atrocia scelera etiam in hac uita punire solet, Idq; eo fit ut his terribilibus Exemplis à similibus facinoribus alij absterreantur, Quemadmodum Phlegiam miserrimum Virgilius magna uoce apud Inferos clamare & testari ait:

Discite iusticiam moniti, & non temnere Diuos

Ita hæc Tragœdia Sophoclis quoq; monet omnes homines de pœna diuina contra Tragica scelera, quæ pœna quamuis aliquando tardius, tamen certò,

certo, & eo grauior atq; ἀπροσδοκήτως opprimere solet talibus facinoribus obnoxios. Deinde pinguntur in hac fabula duo genera hominum, qui cum idem utriq; spectent & sequantur: tamen alteri cautius & moderatius agendum censent, alteri confisi caussa, ut in re profligata audendum atq; ui perrumpendũ esse statuunt, In explicatione fabulæ quomodo hæc temperanda & qua ratione lenienda sint indicabitur. Traditur etiam alia doctrina hic in omni genere uitæ adprimè salutaris & necessaria de non irritanda fortuna, præsertim si sit aduersa, secundum ueteris Poetæ præceptum, καίριος ὀλεύειν μηδ' ἄντι πνέειν ἀνέμοισιν.

Sunt hic etiam exempla Eustorgiæ, quæ fœlicibus successibus diuinitus ornantur et uicissim exempla Astorgiæ, quæ Tragicis & horribilibus pœnis uindicantur. Deniq; omnia hic sunt uerè Sophoclea, hoc est, grauia, plena salutaris doctrinæ, et illustria, ac talia quæ liberale ingenium non tantũ summa delectatione afficere, sed et salutari doctrina cumulatim complere possint. Mea fides & assidua opera discentibus donec uiuam et per ualetudinem potero, non deerit. Tantum hoc oro & precor ut æternus Deus per Christum filium suum Redemptorem nostrum, nobis Spiritu sancto suo clementer adsit, & efficiat ut mea docentis & uestra discentium studia Ecclesiæ Christi & Reipub. salutaria sint, Et tibi clementissime pater placeant in Christo

sto & per Christum Amen. Datæ XV. Calend. Ianuarij, Anno 1568.

Vitus VVinshemius Senior Medicinæ Doctor & Græcæ linguæ Professor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NICEPHORVS scribit, Iustinum, qui ante Iustinianum imperauit, primùm edicto sanxisse, ut θεοφάνια seu χριστούγεννα, deinceps toto terrarum orbe à Christianis solemnitate publica uno tempore celebrentur: Exemplo motum Iustinianum nepotem, & in imperio successorem instituisse festũ τῆς ὑπαπαντῆς, id est, exceptionis Christi, quod Purificationis est in nostris Ecclesijs, occasione sumpta ex historia.

Etsi autem fatemur iam tùm semina superstitionum, quæ postea creuerunt, non exigua in Ecclesia sparsa fuisse, tamen hoc Imperatorum consilium non existimamus ex superstitione, sed ex alijs grauissimis causis natum esse, ut Ecclesiæ Orthodoxæ, quæ Christum uerũ Deum, genitũ à Patre ab æterno, et uerũ hominem natũ ex Maria uirgine agnoscebant, & profitebantur, et colebant: Hæ ergò ut hac quoque festiuitate à cœtibus dissentientibus separarentur, & occasio ut esset, tùm reperendi confes-

confeßione & teſtificatione publica integram de Chriſto, Filio Dei & uirginis Mariæ, doctrinam cum uera gratiarum actione prædicante beneficia eius, tùm explorandi, qui fanaticis & blaſphemis hoſtium Orthodoxæ Eccleſiæ furoribus infecti, ab hac ſe publica confeßione ſeiungerēt, Cùm reliquiæ Arij, Neſtorij & Eutychis Eccleſias in Oriente turbare non deſinerent.

His enim ea ſeueritate ſeſe oppoſuerunt hi Imperatores, ut Iuſtinus cùm ſententiam Synodi Chalcedonenſis edicto confirmaſſet, Seuero Epiſcopo Antiocheno, calumniari eandem & blaſphemis uocibus perſonam CHRISTI lacerare non ceſſanti, blaſphemam linguam radicitus è faucibus euulſerit.

Iuſtinianus uerò & Synodum Conſtantinopolitanam alteram conuocauit, in qua repetita eſt confirmatio quatuor Synodorum, quæ præceſſerant, & condemnatis Neſtorio & Eutyche, Anthimum, Seuerum, Petrum, & Zoram, ac reliquos hæreticos his adhærentes gradu Eccleſiaſtico deiecit, conſtitutione ſeuerißima, quæ inter διατάξεις νεαρὰς eſt quadrageſima ſecunda, & confeßionem contra multos errores accuratè factam edidit, precationis forma, quæ retinetur in liturgia Græca, ac τροπάριον Iuſtiniani uocatur. Cuius uerba ſunt: Μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ, ἀθάνατος ὑπάρχων, καὶ κατα-

δεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας ἀτρεπτως ἐνανθρωπήσας, σταυρωθεὶς τε Χριστὲ ὁ θεὸς, θανάτῳ θάνατον πατήσας, εἷς ὢν τῆς ἁγίας τριάδος, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, σῶσον ἡμᾶς: id eſt: Vnigenite Fili & Verbum Dei, qui cùm immortalis ſis, aſſumpſiſti humanam naturam propter noſtram ſalutem, ex ſancta Dei genitrice, & ſine mutatione naturarum HOMO factus & crucifixus es, CHRISTE Deus, mortem morte proculcans, qui una perſona ſanctæ Trinitatis ſimul glorificaris cum Patre & Spiritu ſancto, ſalua nos.

Hæc precatio utrumq; tribuit CHRISTO, & quòd ſit uerus Deus, ac uerus Homo, & quòd factus ſit uictima pro peccatis noſtris, ac ſit Redemptor & Saluator generis humani. Fundamentum enim fidei Chriſtianæ, quod eſt Chriſtus, nititur his duabus rebus præcipuè: Perſona et beneficijs CHRISTI: de quibus cùm acerrima certamina in Eccleſia illis temporibus extiterint, curæ fuiſſe pijs Imperatoribus exiſtimamus, ut de his ueræ ſententiæ, ceu teſtimonia publica ex antiquitate repetita certis anni temporibus contra Fanaticos, Eccleſiæ proponerentur, ut & ſimul conſpiceretur, ueras ſententias qui amplecterentur, & ad cœtus Orthodoxos, qui ſeſe aggregarent.

Memoriam festiuitatis, ex antiquitate acceptam, cùm nos retinuerimus, exemplum etiam imitemur, ac hisce diebus maiore studio doctrinam de persona & beneficijs filij Dei recolamus, miscentes uota & gratiarum actiones pro reddita & conseruata lucæ doctrinæ. Et confessionem edamus nostram contra indies magis magisq; appropinquantes nobis Mahometistas: Contra recentes Arianos & Seruetianos, qui in Pannonia & uicina Sarmatia horribili & planè Diabolico furore præparant animos Mahometicis blasphemijs. Periculà nos enim & difficultates non minores circumstant & urgent.

Paucis annis post illos Imperatores duo regna enata ex eo cœtu, in quo fuit Ecclesia, cœperunt hostiliter belligerari cum filio Dei & Ecclesia: Alterum in Oriente Mahometicum: Alterum in Occidente Pontificum Romanorum. Initia in idem tempus incidunt. Vtrumq; simul creuit, & filij Dei gloriam acerrimè oppugnat utrumq;, Sed ratione diuersa: Illud armis creuit, hoc idolatria & superstitionibus: Illud repudiata prorsus doctrina de persona & essentia filij Dei, totum nomen CHRISTI delere conatur armis: Hoc conseruata quidem doctrina de persona, sed meritis filij Dei, cultuq; adorationis & inuocationis corruptis atq; obrutis, idola colit & stabilit sæuitia horribilium superstitionum. Vtrumq; eadem flagitia confirmat, cæci dissimili ratione. Mahometicum sublato perpetuo Con-

coniugij fœdere concedit fœdas & nefarias libidines. Pontificium stabilit legem de Cœlibatu, quam fontē esse magnæ turpitudinis nemo negare potest. Antecesserunt autem initia horum regnorum in Ecclesijs utriusq; Orientalibus et Occidentibus, luxus, ambitio, audacia fingendi noua dogmata, & nouos cultus, spreto Euangelio, intestina odia, libidines, auaritia, rapacitates. Talibus morib. irritatus Deus permisit, ut cito illa duo Tyrannica regna crescerent & horribiliter grassarentur. Cū his conflictati sunt pij hucusq;, Sed nunc repurgata ac restituta luce ueritatis, eadem regna uehementius insurgunt aduersus Ecclesiam ex omni parte, ac uidentur cogere in unum uires uniuersas, ut conatu summo experiantur extrema.

Ne ergò iusto Dei iudicio opprimamur ab utroq; ijsdem contaminatij uitijs, quibus illius temporis Ecclesia, de quo diximus, laborauit, penè non est cur dubitemus, si ut cœpimus, perrexerimus. Cohorrescimus cogitantes, quæ in doctrinæ præcipuis capitibus nonnulli ambitione & impudentia effrenati & indomita audent et conantur. Tales non refutari scriptis, sed iusta seueritate à Magistratu compesci debebant.

Cùm ergò audacia & licentia fingendi quiduis assiduè augeatur, Vos auditores nostros hortamur, & propter gloriam Dei obtestamur, ut doctrinā sicut exponitur in scriptis Lutheri et Melanthonis, q̄ sonāt Ecclesiæ nostræ, discatis ac sequamini, ut ueris

*ſententijs præmuniti intelligere, diſcernere, ac eã-
nere peſtilentes opiniones poßitis.*

Habetis Dei *beneficio totum fundamentum, id eſt, totam de perſona Filij* DEI, *& de beneficijs, quæcomplectitur Paulus uniuerſa, cum inquit:* χϱισὸς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ δικαιοσωνήτε ϰαὶ ἁγιασμὸς ϰὴ ἀπωλύτϱωσις: *Totam ergò eam doctrinam habetis integrè ea Methodo & perſpicuitate explicatam in Melanthonis ſcriptis, quantam rectè cenſuit Lutherus uixin ullo Scriptore inde uſq; ab Apoſtolorum tempore reperiri. Hæc ſcripta qui impudenti Sophiſtica calumniantur & conuellunt, eorum uirus ceu peſtem fugite & execremini: Et orate filium Dei, ut repreſſis iniuſtis ac crudelibus armis hoſtium perſequentium Eccleſiam, & hæreticorum ac ſophiſtarum ululatibus uindicet ac tueatur lucem doctrinæ ſuæ, et ſibi inter nos colligat æternam Eccleſiam, in qua ſimus & maneamus, ipſo nos protegente & adiuuante, doctrinæ ueræ cuſtodes, ſicut hactenus hæc Schola fuit.*

Cùm autem inſtituto ueteri hac feſtiuitate ſolenni ſoleamus publico officio teſtificari gratitudinem noſtram erga miniſterium Euangelij, *mandamus, ut Scholaſtici noſtri cras præeuntibus nobis munus ſuum offerant ad Altare.* P P. Die Natali Domini *noſtri* IESV CHRISTI: *Anno incoante,* M. D. LXVIII.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HÆC *cùm ſuſpicimus magni cœleſtia mundi*
Templa ſuper, gratuſq; uices & lucis &
Et *uenit in mentem Solis Lunæq; uiarum* (*anni,*
Et *quod conſpirent tacitè fixa æthere in alto*
Corpora, cum rebus natis tellure ſub ima,
Menſq; hominis teſtis factorum uiua, tremenſq;
Ante nefas, & frons auditis decolor auſis:
Confeſtim ratio perſuadet gentibus orbis,
Eſſe Deum mentem, qua diſponente ſagaci
Conſilio, extiterit rerum natura creata,
Et *talem, cui ſint curæ mortalia ſecla,*
Quæ facta inſpiciat, ſandi memor, atq; nefandi.

Clarius his autem indicijs, multoq; uerendum
Augurium conſtat magis, atq; illuſtrius omen,
Nos homines terra genitos, & ſemine uili
Eſſe Dei curam, quia nam de ſede latente
Emicuit Pater omnipotens, & luce coruſca
Confeſſum ſeſe dedit, & uiuo ore locutus
Doctrinam tulit in medium, promiſſaq; cœli.

His autem porrò magis omnibus altior una
Exit in aſpectum nota ueri & dulcis amoris,
Cùm ſoboles uiuens æterni Patris imago,

Fit genibus minor, & ſupplex in uota precesq;
Ante Patrem ſoluit linguam, ueniæq; repentè
Offert ſe mediam, mox noſtrum crimen, & iras
Æterni Patris in crimen, pœnasq; ſequaces
Sponte ſuis humeris recipit, ceu triſte piaclum,
Atq; humilis tandem in noſtram collecta figuram
In ſe noſtra luit delicta, ſuamq; uiciſſim
Iuſticiam aſſeruit nobis, propriamq; dicauit.
Vt uitis ſocio nemore altam amplectitur ulmum,
Palmitibusq; ambit teneris, & germine ditat
Lætitiæ, celebremq; ſuo cum munere reddit:
Sic noſtram adiunxit miro ſibi fœdere maſſam,
Luccq; iuſticiæ decorat nos lucis egentes.

Iſq; ante ora hominum qui ſit, confeſſus, et unde
Edocuit coràm, cur hæc in fœdera uenit,
Et res ipſa fidem dictis dedit, æthere caſtis
Cùm lucem afflaret, rurſusq; referret in auras.

Quantum culpa malum eſt, quæ tantam afferre
Vnius ob noxam potuit, quæ reſpuit omnem (ruinã
Humani generis medicinam, atq; arte leuari
Non alia uoluit, niſi decernente ſenatu
Tergemino, ſatus ipſe Deo noſtra ora, figuramq;
Indueret, lethoq; daret caput obuius ultrò? (amoris

Quantum deinde bonum eſt Patris ardens ardor
Qui dum præſtet opem, natum, ſua gaudia, natum
Vnigenam, conſortem æui, ſine fine, ſine ortu,
Conſilij atq; operum ſocium cùm conderet orbem,
Victus amore hominum cœlo demiſerit alto

Præ-

Prætuleritq; ipſi noſtrum genus, & nece triſti
Merſerit inſontem, ſontes ut ſeruet in illo?

Dic mihi: Quando aliquid maius ſe fecerit ipſo
Maximus ille Deus, totius conditor orbis?
Tunc cùm Iuſticiam mitis Clementia uicit.

O felix labes, cui talis ſorte Redemtor
Contigerit, qui plus retulit, quàm perdidit Adam,
Grandius et Chriſti precium eſt, quàm crimẽ Ada-
Hic carnis ſuſcepit onus, quò Numinis alis (mi.
Nos homines uectos ultro portaret ad aſtra.

Ergò tuus natalis adeſt, luxq; alma diei
Vmbris preſſa prius trahit incrementa uiciſſim,
Perq; gradus Sol aſſurgens obliquus ab Auſtro
Teſtatur creuiſſe tua ſua lumina luce,
CHRISTE Deus, ſate Pate Deo, ſate uirgine ma-
Nam dius fulgor uibratæ lucis, & auræ (tre.
Brumalem infecit noctem, quæ prima ſub auras
Te puerum excepit: uolitantesq; aëre in alto
Accincti iuuenes, perfuſi lucis amictu
Noctem illam in ſyluis ſeſe exhibuêre uidendos,
Et cœtu cinxêre polum, cantusq; dederunt.
Tu lux uera hominum patria de luce reſultans
Clarum infers orbi iubar, in caligine denſa
Degenti uitam, & latitanti mortis in umbra.
Namq; ſono Verbi, patrio quod corde tuliſti,
Cordibus inſpiras flamen cœleſte, nouamq;
Lucem animis fundens, colluſtras pectora cœca

Notitia Patris æthereꝰ, nouaq; efficis intus
Iuſticiæ decora, & uitæ das dona perennis.
Ille tuus Verbi ſonus, hæc noua lumina mundo
Offert in medium, clariſq; nitoribus implet
Qui fidente animo capiunt uenerabile Verbum,
Quo luſtrante homines lucis color, aureaq; unà
Integritas, & uita recens in mente refulget.
Hinc ut lux oculos magis, et magè corda feriret,
In cæcis pecudum latebris, & noctis in umbra
Editus, æthereo mundum ſplendore ſerenas,
Atq; in te ſpecies ueræ pateſacta ſalutis
Diſſpulit errorum tenebras, umbraſq; retexit,
Inq; diem nox cæca abijt, lucemq; tenebræ.
O nox, quæ Solis radios, telamq; diei
Exuperas, ſola in melius tunc cuncta tuliſti,
Quæ non ulla dies poterat conatibus ullis,
Freta tuis armis Gideon, ſacriſue capillis
Intonſi Simſonis, & aris ſanguine tinctis.
Vittati Aronis, uel Moſis lege ſeueri.
Sub te magna Deus geſſit ſpectacula rerum:
Ægypti primos ſpoliauit lumine fœtus,
Et populum Phariſ regis ditione reduxit
Antiquæ in patriæ fines, fataliaq; arua.
Sic te, dum medio uoluuntur ſydera lapſu,
Chriſte dedit partu uirgo ſine lege uirili,
Qui populum à regno tenebrarũ, & triſtis Auerni
Seruitio, lethiq; umbra, ſub lucis amica
Imperia, & patriam, libertat emq; referres.

Huius in exortu lucis, Patris emicat ardor,
Inq; genus noſtrum probitas, animusq; benignus,
Qui natum letho oppoſuit, terriſq; uolebat
Omnibus ærumnis affectum ducere uitam,
Dum modó ferret opem, & nobis mala noſtra leuaret.
Nec dia in ſpecie fulſit, ſed imagine ſerui
Vt dominos cœlo aſſereret, Stygijq; retentos
Iure Ducis, rurſum immunes de carcere ſoluat.
QVIS, niſi cui crudo ſit cornea fibra, Deiq;
Securus, proprijq; boni, bona tanta tacendo
Diſſimulet, uocemq; premens indicta relinquat?
Cùm tibi magne Pater gaudentes gaudia noſtra
Aligeri grates referant, & carmina dicent.
Ne tamen ad laudes tenues, & languida uota,
Nec paria illa tuis magnis, at debita, factis
Reſpice, Sed qui uerba imo de pectore profert
Affectus, meritisq; tuis fiducia nitens,
Sæpè etiam infantum chorus eſt tibi grata locutus,
Nam tu mente ſatus, mentem, non munera ſpectas.
Et neq; fas ſenſu capere, & proferre loquela
Tantũ opus, ut dignũ eſt. Hoc gratius euenit ipſum,
Quod ſimplex eſt auſus amor, nec cura, uel artes.
Quod ſupereſt: Cùm miſſus ad hoc deſcendis
Eruere infandos auſus, molimina ditis, (Olympo
Et lapſam in melius naturam ferre uiciſſim:
Fas homines ſibi ſe tales oſtendere uita,
In quibus euentus habeant tua munera, & ingens
Officium, exhauſtiq; ſuprema in morte labores.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000231

Lucem auidis animis ſectemur, & impia noctis
Somnia, doctrinasq; uagas, peruerſaq; uitæ
Semina, ceu peſtes tetri auerſemur Auerni.
Vt facis aëriæ ductu ex Oriente profecti
Inuenére Deum Ieſſeæ in mœnibus urbis:
Sic qui ferre cupis Chriſto ueſtigia, & ore
Cernere, & ambroſias audire & reddere uoces:
I, lucem Verbi ſequere, & te ducat euntem
Prænia fax fidei, qua ſola ſydera adimus:
Cætera, ſunt ignes fatui, ſtuppæq; doloſæ
In lapſum urgentes, quas ore accendit anhelo
Collis Auentini Cacus incola, fulmina ſpirans
In ſuperos: illic facilis deſcenſus Auerni eſt.
At uelut aligerûm manus almæ nuncia lucis
Duxit paſtores ſancta ad magalia CHRISTI:
Sic qui læta ferunt de parta nuncia pace
Accincti templis, & ſacra in ſorte miniſtri,
Hos ceu ductores tuæ CHRISTE ad regna ſequa-
Officijſq; pijs meritum teſtemur amorem. (mur,
Natus homo eſt, ut mẽte Dei ſimulacra referret,
Cui tàm magnus amor noſtri eſt, quàm magnus &
Ille ſui affectus partẽ quoq; fudit in illum (ipſe eſt.
Mutuus ut mentes liget, atq; reciprocus ardor.
Ergò DEVM referant noſtra agmina pacis
Conſenſuq; pio: neu cœco impulſa furore (amore
In ſua fata ruant, & uitæ fœdera turbent:
Pœna comes ſceleri, & ſua cuiq; iniuria damno eſt.
Et curam hanc morum, præſens fortuna requirit,

Dum

Dum regna inter ſe Martem experiuntur, et hoſtis
Turcicus immunis bello, atq; impunè quietus
Europæ fluxas res carpit, & artis alumnas
Eruit egregias urbes, operumq; labores.
Nos noſtræ in fidei ſocios, tua uiſcera CHRISTE,
Mittimus auxilia, atq; rogis accendimus ignes.
Quanta lues iterum ingenijs, quanta artibus almis
Imminet, atq; umbras reuehit Styge peſtiferas nox.
Ecquæ olim ſeris doctrina nepotibus? ecquæ
Norma tenax ueri? Quò, quò diſcordia falſos
Perduxit fratres? Nos in maledicta, cruentasq;
Efferimur pugnas: Hoſtes, de uulnere noſtro
Paſcuntur fera corda, ſui ſine patre pericli.
O fatum, ô mores. Viden, ut confuſa ſathiſcit
Mille modis Pietas: & quorum cura mederi eſt,
Hi laniant magis, et uelut unguis in ulcere regnant.
Non lacrymis uacat ulla domus, ærumnaq; mordax
Te tua, me carpit mea uiuo uulnere, & unum
Quenq; docet fortuna ſua cognoſcere in aula,
Quàm breuis hæc uitæ ſit ſors, quàm longa futuræ.

P. P. In feſto natalitio Ieſu Chriſti.
M. D. LXVIII.

DECANVS COLLEGII
PHILOSOPHICI IN ACADEMIA
VVitebergenſi M. Sebaſtianus Theodoricus
VVinshemius, Mathematum
Profeſſor:

PAr us

PArua mari in magno Moſen fiſcella tegebat,
Quanquàm nec remi, uela nec ulla forent.
Inq; caſa agreſti Chriſtum præſepe fouebat,
Regis Idumæi quem dolus enſe petit.
Sic quoq; Doctrinam texit Schola noſtra ſacratam
Per famulas artes cœlica ſcripta docens.
Nam nec pura manet, nec ſeros fertur ad annos,
Ni doctæ hanc artes Sphyngis ab arte tegant.
Nec niſi doctrina Chriſto agmina ſancta leguntur,
Ex fidei norma quam docet artis opus. (auge,
O Deus, AVGVSTO uitam, & uim corporis
Namq; Scholam hanc larga fulcit, et auget ope.
Et meritò: Neq; enim decus illa pulcrius ullum
Orbita Romani continet Imperij. (eſt,
Nam quid Alexandri regna, & gaza aurea Cræſi
Si nec habent Chriſtum, nec pia ſacra iuuant?
Aurum, & opes, et regna, rapax tandē atterit ætas,
Quæ dedimus Chriſto, ſemper habemus opes.
Hæc Schola theſauris regni precioſior una eſt,
Saxoniæ hac clara eſt & domus, & dominus.
Hac, eſt fama ſuis, hac, formidabilis hoſti eſt,
Et metus, & terror Roma ſuperba tibi.
Tu Schola Lenonũ, tu luſtrum, et lerna malorũ es,
Chriſticolûm peſtis, carnificina, rogus.
Errorum genitrix, ſcelerum fons, clauis Auerni,
Styx ſupera, æternæ uiua palæſtra necis.
HÆC Schola, uirtutis Schola, Doctrinæq; taberna
Sanctorumq; parens ingenioſa uirûm. (eſt,

Errorum

Errorum domitrix: Fidei, quæ clauis Olympi eſt,
Et meriti aſſertrix maxime Chriſte tui.
SI tamen hanc optas longos ſeruare per annos,
Et ſoboli ſeræ tradere ſacra Dei:
Luce opus eſt artis uariæ, linguæq; lepore:
His ſine uel muta eſt, cæcaue Relligio.
Eſt opus & doctis hoſtes contundere dictis,
Aſſerere & ſcriptis aurea dicta Patrum.
Quos, uelut in picta cum ſæuit imagine frendens
Pardalis, extinctos gens animoſa ſecat.
Gens Leporũ in barbam defuncti animoſa Leonis.
Hei quanta in pictos uulnera, & ira uiros?
SED tibi Chriſte labor noſter cùm ſeruiat omnis,
Nos rege luce tua lux, & imago Patris.
ERGO exercitij morem conſeruo receptum,
Et ſub cenſuras agmina docta uoco.
Qui cupit egregia profectum oſtendere in arte,
Huic operam promta defero mente meam.

In die Magorum, Anni 1568

RECTORET CONSILIVM PVBLICVM ACADEMIÆ VVitebergenſis.

QVod propitij Dei ingens φιλανθρωπία, et miſericordia ſummũ beneficium dare poteſt neteri humano, id his terris noſtris benigniſsimè

mè conceßit, ut doctrina cœleſtis de Deo, naturâ, uoluntate atq; uero cultu Dei, & Filio Dei atq; Euangelio huius, ab Idolatria, erroribus, & ſuperſtitione, quibus Pontificum, ut appellari uolunt, Romanorum culpa & tyrannide obruta fuit, repurgata, ad ueritatem ſcriptorum Prophetticorum & Apoſtolicorum, et Symbolorum trium, atq; conſenſum ueteris & Catholicæ omnium temporum Eccleſiæ, non tantum docendo reduceretur & inſtauraretur, ſed ſcriptis etiam ſalutaribus comprehenderetur, quibus uniuerſa ſcientia Sanctorum dilucidè explicaretur, ad rem noſtræ ætati et poſteritati, ſi futura eſt aliqua, conteſtandam. Ad quam rem conſtat iam per orbem Chriſtianum, Deum huius Scholæ, inq; hac ſummorum uirorum, D. D. MARTINI LVTHERI & PHILIPPI MELANTHONIS opera atq; miniſterio uſum eſſe, Et extat in unum librum collectũ CORPVS Doctrinæ noſtræ, quam Schola hæc hactenus, inter Diabolicas calumnias, malicioſas nouationes & defectiones ſceleratas à ueritate huius multorum multiplices, Deo nos conſeruante, conſtantißimè profitetur & retinet, & una nobiſcum harum terrarum Eccleſiæ uniuerſæ & per Germaniam pleræq; & in exteris regnis permultæ eandẽ nobiſcum in ſancta & ſalutari concordia profitentur, & ſanguine etiam ſuo obſignant. Atq; hæc dum ita apud nos ſtant & præſtantur, extiterunt ex Scholaſticis noſtris DVO

DVO, qui omnes & gregales ſuos, & qui ante ipſos unquam in hac Schola turbarunt, improba & ſeditioſa audacia uincerent, atq; ea perpetrarent, è quibus et pugnæ iam inter Scholaſticos exiſtere incíperent, & cædes ſecuturæ, & Scholæ noſtræ interitus atq; euerſio metuenda eſſent.

NOMINA horum inquietorũ ſunt CVNRADVS SCHLVSSELBVRGIVS Schaumburgenſis, & N. N. N. Ex quibus Schluſſelbergius tàm ad conuictores ſuos, quàm alios multos ex Scholaſticis, & coram ciuibus etiam huius oppidi inter pocula: qui metuentes rebus communibus, primùm ad nos rem detulerunt: doctrinæ publicæ longo iam tempore obtrectare, poſtea eandem manifeſtè criminari atq; accuſare auſus fuit, Et teſtimonijs multorum conuictus eſt, quod nomina & doctrinam quorundam ex Collegio noſtro atrociſſimæ contumeliæ uerbis affecerit, & diſertè pronunciare non dubitauerit, De Filio Dei in hac Schola non rectè doceri. Ipſe etiam paulò poſt manu ſua exaratum ſcriptum, cum ſubſcriptione nominis, Rectori obtulit, quo expreſsis uerbis, quid in doctrina publica, & quas quorum Profeſſorum Scholas de Chriſtianæ doctrinæ certis capitibus habitas reprehenderet atq; accuſaret, conſignauit.

Fecimus igitur quod debuimus, Vt illos tres ex

ex Collegio noſtro Profeſſorum publicorum, qui ab ipſo accuſabantur, in conſilio publico noſtro, primum ad nos cauſſam dicere, et poſtea SCHLVSSELBVRGIO accerſito, ſimiliter coram nobis et quatuor profeßionum Collegijs uniuerſis, reſpondere iuberemus, Ibi tum in frequenti Senatu noſtro ad accuſationes huius ſæpe nominati SCHLVSSELBVRGII, præſenti ipſi ita reſponderunt Collegæ illi noſtri, Vt partim falſo doctrinam huius Scholæ & ſe ab hoc accuſari, uel ut planè dicatur, mendacij ſcelerati eum conuincerent, partim calumnias eum uſurpare in interpretandis & detorquendis, quæ ex ipſis audiuiſſet demonſtrarent, neq; accuſator contra quod diceret haberet, ſed à re aliena quædam proferens, de Filio Dei locutus eſt eiuſmodi, quæ cum Eutychæa eſſe doceretur, & patefactæ in ſacra ſcriptura ueritati contraria, atq; ab Oecumenicis Synodis & Orthodoxa Eccleſia conſtantiſſimo conſenſu damnata, ne uerbo quidem uno hoc negauit aut negare potuit.

Præter hæc omnia literis ad ſuos miſsis ſcribere de Schola noſtra auſus fuit, in Saxonicis Eccleſijs & Scholis natos atq; educatos ad petitiones honorum in ſtudijs Philoſophiæ ut magiſtri bonarum artium & Philoſophiæ renuncientur, ægrè admitti, quæ res ex literis ipſius, & ad præcipuos ex nobilitate equeſtri Saxonica homines permanauit, qui uel eiuſdem, uel aliorum obtrectantium nobis

bis culpa, in eo errore uerſantur, ut ſcribatur ad nos, exiſtimare eos, etiam alieniſſimos à uera doctrina nonnunq̃ ad hos honores admitti. Cùm quidem & hic Calumniator non ignoret, & publicè conſtet, omnes, qui Magiſtri apud nos, aut cuiuſcunq; profeßionis Doctores creantur, coram toto Auditorio iurare in Confeßionem Auguſtanam oportere. De altero autem & ipſo conſtat, ex nulla gente ad nos plures ſtudiorum cauſſa commigrare, neq; ullius nationis homines apud nos ab annis iam pluribus quadraginta, atq; hodie etiam honorificentius haberi, quam Saxones, ut celeberrimam gentem à nobis hæc calumnia abalienare minimè poßit, ad cuius ipſius teſtimonia hac in parte prouocamus.

Cùm etiam ſuperioribus menſibus aliquoties contra optimos & doctiſſimos quoſdam ex Collegis noſtris uiros, & illos etiam ipſos, quorum ſcholas ſeu lectiones uoce et ſcriptis ſuis accuſauit, infamantia eos ſcripta maledicorum Verſuum propoſita fuerint, hic idem non tantum, quod leges ciuiles iubent, non ſuppreßit ea atq; aboleuit, quantum in ipſo fuit, ſed uentilando & recitando ad alios ſparſit atq; propagauit, & ita egit omnia, ut approbatorem ſe eorundem eſſe non obſcurè oſtenderet: quales Imperatorum reſcripta eadem cum autoribus talium ſcriptorum pœna afficiunt. Etſi eam experti ſumus hominis audaciam & odium aduerſus noſtros, ut autorem eum eſſe libellorum illo-

rum Archilochiorum magnopere dubitari non poſ-
ſit, neq; deſunt, qui huius rei eum inſimulent.

Alter autem N. N. hunc SCHLVSSEL-
BVRGIVM & diſputationes ipſius contra do-
ctrinam publicam & Profeſſores huius approba-
uit, defendit, & propagauit, & ſe eſſe Diſcipu-
lum ipſius profeſſus eſt. Et non tantum diſputa-
tionibus inter Scholaſticos turbulentis, ſed etiam
ſcripto ad Rectorem à ſe oblato, & uocibus coram
Senatu noſtro impijs & blaſphemis, de ijs, quæ ue-
ritati Chriſtianæ & doctrinæ huius publice no-
ſtræ contraria ſunt, teſtari non dubitauit, & com-
miniſci definitiones de rebus maximis, & expli-
cationes locorum ſcripturæ eiuſmodi, quales nul-
lius hactenus impietas aut impudentia proferre au-
ſa fuit. Atq; neutrum horum quicquam facere aut
feciſſe diſcendæ ueritatis cauſſa, ſed malicioſe &
& odio noſtri omnia, demonſtrat hoc, quòd neq;
cum ijs ipſis, quorum doctrinam accuſarunt, neq;
cum Collegio Theologico, interrogandi aut confe-
rendi cauſſa unquam ullum uerbum communica-
rent, & de ueritate luculenter edocti in ſententia
tamen contumaciter permanerent.

Hos igitur ambos, tàm Magiſtrum quàm Di-
ſcipulum, qui ambo etiam Flacianorum furorum et
turbarũ ſe eſſe patronos et conſortes profeſſi ſunt,
cùm periculoſiſſimè in Schola noſtra turbare cœpe-
rint,

rint, neq; commonefactionibus ad ipſos in conſeſſu
noſtro habitis ad ſanitatem ſe reduci paterentur,
propter ſeditioſas obtrectationes atq; criminatio-
nes factas ab ipſis contra ueram doctrinam de Deo,
& optimos uiros, qui hanc rectè docent, & pro-
pter iniurias, contumelias, calumnias, mendacia,
contra tàm ueritatem et hanc docentes, quàm Aca-
demiam noſtram ab ipſis uſurpata, Quodq; Præ-
ceptoribus ſuis iuratam reuerentiam, & his & rei
Scholaſticæ debitam fidem minimè præſtiterunt,
decreto legitimè facto, hac ſchola, communitate,
omniq; uſu & Priuilegijs huius in perpetuum ex-
cludimus, & excluſos eſſe publicè ſignificamus, &
hodie ante adhuc Solis occaſum hinc diſcedere iube
mus, atq; omne eis poſtliminum præcidimus. Qui-
cunq; etiam ex noſtris eos recipere aut occultare
conuictus fuerit, in eũ pari pœna animaduertetur.
Et hortamur autem uniuerſos, ut ſecundum præ-
ceptum Propheticum Veritatem & Pacem dili-
gant, & mandamus iiſdem, ut ſinguli & uniuer-
ſi eos ſe præbeant, quales & pietas Chriſtiana, &
Leges Scholaſticæ, & Illuſtriſſimi Principis &
Domini atque Parentis noſtri, & Patris patriæ
edicta propoſita unumquemque eſſe uolunt iu-
bentq;.

P. P. III. Idus Ianuarij.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000236

ASTRONOMIÆ STVDIOSIS.

MAne ante Solis exortum quatuor Planetæ, tres ſuperiores, & Venus, cœli faciem pulcro ordine exornant, æquis propemodum inter ſe ſpacijs diſſiti. Mars enim prope nebuloſas cancri ſtellas inclinans iam ad Occaſum antecedit, hunc proximè conſequitur Saturnus, non procul à ſpica uirginis. Saturno ſuccedit Iuppiter ex interuallo propinquo aſpiciens Αντάρεα ſeu cor ſcorpij. Solem proximè anteit ἑῶσφορος tàm illuſtri fulgore conſpicuus, ut umbram faciat. Hos Planetas ut ſcholaſtici, intueantur & conſiderent, hortor. Quid pulcrius eſt, quàm hæc admiranda Dei opera contemplari, quæ & confirmant adſenſionem de prouidentia in animis, & inuitant ad gratiarum actionem & precationem ardentiorem? Dolendum eſt, pulcerrima, de motibus cœleſtibus ſtudia negligi non tantum à Principibus, quorum munificentia excitari ac foueri debebant: Sed & à Scholaſticis. Ingemui conſiderans in collatione diſcrepantiam calculi Copernicci & Alphonſini. Diſcrepant enim loca & ſedes planetarum non gradibus tantum pluribus, ſed & dodecatemorijs. In Solſtadij calculus à Cypriani, quorũ ille Copernicum, hic Alphonſinos ſecutus eſt: differt ſcrupulis primis

mis 42. in ☽ parte 1. ſcrup. 12. in ♄ parte 0. ſcrup: 55. In Ioue parte 1. ſcrup. 28 in ♂ partibus 5. ſcrup: 9'. in ♀ part. 3. ſcrup: 22. in ☿ partib. 7. ſcrup: 37. Magna hæc diuerſitas eſt, quæ emendari non poteſt, niſi ex obſeruationibus nouis fiat reſtitutio & emendatio motuum. Sed ad hanc rem ſumptus magni requiruntur, & præmia quibus Artifices excuſcitentur. Quod cum priuatorum non ſit, principibus curæ eſſe debebat. Scholaſtici tamen ſtudium cognoſcendi Elementa huius doctrinæ non deponant: Et cœlum ſæpè ac cum admiratione & diligentia aſpiciant. Quibus uero contigerunt idonea & capacia ingenia, illi longius progrediantur & fontes cognoſcant. Cum enim carere doctrina motuum uita communis nequeat, adiuuabit Deus conatus ueſtros, & excitabit Mecœnates, qui labores hos, quos impendetis, remunerabuntur & compenſabunt. 9. Ian. 68.

Caſpar Peucerus, Doctor.

STVDIOSIS MEDICIS. S.

DIgna eſt cauſarum conſideratio homine liberaliter inſtituto & ratione prædito, per quam conſequentia cernit principia & cauſſas rerum

rum uidet, earumq; progressus quasi anteceßiones non ignorat. Atq; in hac cauſſarum cum effectibus perpetua connexione agnoſcunt homines autorem ordinis & opificem Deum, qui certis cauſis certos effectus attribuit, quarum commoderatione conſeruaretur ex ceſſu uel defectu affligeretur & deſtrueretur natura.

De his ergo non tantum Philoſophorum ſed & Medicorum ueterum extant ſcripta & monumenta. Quorum in numero habetur Galeni libellus de morborum cauſis, quem interpretandum non ita pridem ſuſcepi.

Poſtquam igitur in genere, cauſſarum diſcrimina & ſex rerum non naturalium capita, quæ inter cauſas euidentes alterantes & immutantes corpora noſtra recenſentur, proœmij loco, explicaui, conſequens nunc eſt ut Galeni commentarium aggrediar. Quare ſtudioſis Medicis, me proximo die Iouis Deo uolente, in auditorio Medico hora Nona ad conſuetas prælectionum operas reuerſurum, ſignifico, eosq; ut aßidui utilißimam & neceſſariam hanc doctrinam cognoſcere uelint, hortor & moneo.

Paulus Heſſus Phil. & Medicinæ Doctor.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS.

NOn tantum decus & ornamentum eſt in homine, facultas rectè, & perſpicue, & ornate dicendi, ſed et adminiculum neceſſarium præſertim his temporibus in Eccleſia & Republica, res implicatas mediocriter explicare, ſiue id fiat oratione extemporali, ſiue quod utilius eſt, præconcepta meditatione & ſcriptione non ad noſtræ tantum ætatis, qua uiuimus, ſed etiam ad poſteritatis utilitatem ac iudicium accommodata. Niſi enim in explicatione doctrinæ cũ cœleſtis tum Philoſophiæ, oratio adhibeatur, eiuſmodi, quæ proprijs et uſu communi cuiusq; linguæ receptis uerbis ac phraſibus ſententias explicet, ac res mente conceptas enuncíet, aliiſq; declaret, neceſſe eſt docentem hallucinari, res ipſas confundere, tenebris inuoluere ac legentes in errorem adducere. Noſtra ætas quæ in tempora mœſticiæ ac perturbationis plena incidit, plurima exempla nobis ſuppeditare poteſt ſcriptorum, quibus ludunt multi præſtigijs ſophiſmatũ ambiguis, perplexis, ac monſtroſis dictis ac ſententijs, unde opiniones diſſimiles in animis audientium excitantur, inter doctores odia, cõcertationes diræ, & diſceptationes cum Eccleſiæ pernicie proueniunt, cum quiſq; opinionem ex ambigua oratione conceptam mordicus defendere nititur: Quicunq; igitur animi cogitationes in quocunq; ſtudiorum genere conceptas, aliorũ cognitioni ſubijcere ſtudet,

ei necesse est, ut à primis statim annis, ad genus sermonis proprium & perspicuum se assuefaciat, & optimæ orationis exempla, quorum copiam erudita et eloquens suppeditat antiquitas, sæpè multumq; aspiciat, & uerba, phrasin ac compositionem inde mutuetur. Hoc itaq; consilio sermonis latini studiosos ad lectionem & imitationem Ciceronis, & eius ætatis scriptores, qui usu proprietate & eloquentia plurimum ualent crebro inuitamus, ut non modo illustres sententias ex Cicerone excerptas in promptu habeant, & his sua scripta exornent, sed totum orationis corpus, dispositionem & œconomiam mente considerent & complectantur.

Vt autem adolescentes intelligant, qua ratione singulæ orationis partes scrutandæ sint quomodo series & connectio sententiarum obseruari debeat, proponam deinceps explicationem elegantissimæ orationis, quam Cicero habuit pro Archia Poëta, quæ non tantum propter uerborum elegantiam & suauitatem, sed & rerum quibus abundat cognitionem legenda, & studiosè cognoscenda est. Explicationem huius auxiliante Deo ordiar crastina die consueta hora. III. Idus Ian. Anno 1568.

Albertus Lemeiger Hamburgensis.

IN TRAGOEDIAM EVRIPIDIS QVÆ CYCLOPS uocatur.

Post-

Postquam Deo auxiliante, interpretationem Odysseæ Homeri absoluimus, ut aliqua uarietate prælectionum animi auditorũ recrearentur & quasi reficerentur, Cum etiam Dionysia iam instent, Decreuimus, priusquam ad Iliada progrediamur, enarrare fabulam Euripidis cui Cyclops titulus est, tum quod ea breuis est, & paucis diebus absolui potest, tum quod nulla Tragœdia Euripidea dulcior, iucundior, aut magis etiam ridicula extat, ut Scholastici habeant quod in his Dionysijs rideant, seq; hoc erudito, liberali & iucundißimo ludo oblectent. Præter hos iocos suppeditabit hæc prælectio nobis etiam multiplicem ac salutarem doctrinam ad omnes uitæ partes utilem, Et exempla rebus præsentibus atq; huic calamitoso seculo nostro adprime conuenientia. Sed quia exemplis librorum destituimur, neq; omnibus commodum est comparare integrum codicem Tragœdiarum Euripidis, Ideo nobis curæ fuit, ut hæc fabula seorsim excluderetur, id auditoribus significandum duximus, ut sibi interea exempla ecemere atq; instruere possint. Inuenient autem ea uenalia apud Samuelem Bibliopolam, & Cunradum Ruellium. Diem quo incepturi sumus hanc prælectionem quamprimum publicè hic indicabimus.

Vitus Vinshemius Senior, artis Medicæ Doctor.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

SIC ait Horatius, & hoc uerſu plane omnes uirtutes neruosq; eloquentiæ atq; poëtices, complexus eſt. Si uero ullus Poëta ullo ſcripto hanc tam præclaram palmam adeptus eſt, certe Euripides ea fabula, cui Cyclops titulus eſt, hanc laudem plene eſt conſecutus Multiplicem enim doctrinam, & uitæ humanæ adprime ſalutarem in hac Tragœdia cum dulciſſimis & uenuſtiſſimus iocis coniunxit, ut fieri non poßit, quin animus lectoris (modo liberali ingenio præditus ſit) iucundiſſimæ lectionis uoluptate expleatur. Venuſtè enim pingit imaginem Tyranni, cui extremum contemptum Dei et hominum tribuit. Nullũ enim ille Deum agnoſcit, niſi ſolum uentrem, cum uocat maximum Deorum, illi dicit ſe conſecrare non tantum ferarum omnis generis, & pecudum carnes, ſed hoſpitum quoq; ad ſe uenientium corpora. Huic Tyranno adiungit ſatellites & miniſtros, Silenum & Satyrorum genus ſcurrile, morionicum, ſemicaprinum, uentri deditum, impurum, & omni genere libidinum contaminatum: Iam, ſi quis hæc conſideret, mirabitur quid Euripidi in mentẽ uenerit, quod inſciens et ante tot annos ita graphicè Romanam beſtiam, ſeu peſtem, Pontificem, uolebam dicere, una cum ſuo ſatellitio Monachorum, Ieſuitarum, draconum & uiperarũ ſuis proprijs, uiuis, uerisq; coloribus depinxit, ut nullus Apelles maiore arte ita omnibus muneris abſolu-

abſolutam imaginem huius beſtiæ exprimere potuiſſet. Nonne ille Romæ ſedens, uiſcerib. miſerorum & ſanguine ueſcitur atro? Nempe Chriſtianorũ et hoſpitũ ſanguine, quos alios ſuper alios cumulatim mactatos Polyphemi more diris et Diabolicis dentibus dilaniat. Nonne domus eius, ſanie dapibusq; cruentis, Intus opaca ingens, ipſe arduus altaq; pulſat Sydera, Dij talem terris auertite peſtem. Deinde quem Deum alium niſi uentrem præcipue colit ille Tyrannus Romanus, cũ ſuo illo uipereo genere ſatellitum? Non hic eſt ipſis maximus Deorum, pro quo ſolo pugnant, cui conſecrant tot corpora ſanctorum, Et quemadmodũ Cyclops potu lactis: ita illa Beſtia ſanguine piorũ expleri non poteſt, icta uidelicet à Dipſade, hoc eſt, Satana, ut quo plus hoc de ſanguine bibat, eo plus ſitiat Draco ille Hæmatopotas. Scripſit Franciſcanus quidam librum, ut abominabili impietate plenum, ita bene longum ac prolixum, De conformitatibus (ſic ipſe uocat) Franciſci Franciſcanorũ patris, Imo Dei, et Chriſti redemptoris noſtri: At ego omnes conformationes Cyclopis Polyphemi, et Pontificis Romani hac breui pagella comprehendere non poſſum, commemorabo tamen aliquas adhuc, Deo iuuante, in enarratione huius Tragœdiæ. Proinde, ſi qui ex auditoribus hac pictura non oculos, ſed mentẽ paſcere, hoc eſt, oblectare ac ridere uolent, non pigeat eos hanc uenuſtiſſimã et iucundiſſimam fabulam liberalibus iocis refertam cognoſcere.

Hoc

Hoc etiam certò promitto ac ſpondeo eis, fore ut non ludant operam, quia hæc, utut ridicula uidentur: Tamen multiplici etiam doctrina ingenium mentemq; diſcendi cupidorum explere poſſunt. Sumpſi uero hanc operam mihi, ut hoc triſtiſſimo tempore noſtro lætiore aliquo argumento animos diſcentium exhilararem, Vt cruſtula blandi dant puerulis præceptores elementa uelint ut diſcere prima, quemadmodum Horatius ait. Æternus Deus pater Domini et Redemptoris noſtri clementer adſit nobis & regat nos Spiritu ſancto ſuo, per Chriſtum filium ſuum, Amen.

Hanc prælectionem, Deo iuuante incipiemus proximo die Iouis, hora octaua.

Vitus VVinsheimius Senior, Do.

Μετάφρασις primi uerſus in Cyclope Euripidis:

Ὦ Βρόμιε, θιὰ σὲ μυρίος ἔχω πόνος.

O Bacche, te propter quam uiuo duriter.

Ingentem manibus tollens cratera duabus,
Præpinguis Monachus talia uerba refert:
Qui miſer exhaurit Trullas, ne gutta ſuperſit,
Vnde queat ſiccam muſca leuare ſitim.
Lauti-

Lautitijsq; ſolet craſſum diſtendere uentrem,
Rara fames illi rarior ipſa ſitis.
Heu miſeri fratres, heu duræ ſemita uitæ,
Quam uobis conſtat uita labore graui.
His meritis cœlum quis deneget? Æacus ipſe
In ſumma tales collocet arce poli.
Ergo quisquis amas Epicuri de grege porcus,
Et fieri Stygio grata ſagina duci,
Hanc ſectare uiam, Chriſti fuge dogma, Deiq;
Inſultans uerbo, præmia digna feres
Præmia pro tali cultu ſunt uermis & ignis
Et mors, & tenebræ, flammaq; tartarea.
Sed tu Gnate Dei prohibe, ne pectora noſtra
Te contra tali capta furore ruant.

SACRÆ SCRIPTVRÆ STVDIOSIS.

ENarrationem Epiſtolæ ad Hebræos cœptam & partim ualetudine aduerſa, partim ſerijs alijs negotijs, hactenus impeditam, hodie hora tertia in lectorio Medicorum, Deo iuuante, continuabimus, cuius Epiſtolæ cognitio hoc tempore in primis neceſſaria eſt, quo iam iterum Arij cloaca & camarina in multis locis mouetur, ut iuuentus, huius Epiſtolæ doctrina de utraq; natura in Chriſto, tanquam Antitodo præmunita, peſtilentem Arij fœtorem fugere & execrari diſcat, ne hoc peſtifero ueneno infecta, in æternum exitium ruat. Non enim in alio quoquam, quàm in Domino noſtro Ieſu

Iesu Christo Deo & homine, pro nobis crucifixo & resuscitato salus est, nec aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Si igitur salus tua tibi curæ & cara est, diligenter discas et pura fide in pectore tuo retineas doctrinam de duabus naturis in Christo, in hac Epistola ad Hebræos copiosissimè & luculentissimè traditam.

Georgius Maior.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

DE Aristotele scribitur interrogatum eum, quid ex studijs doctrinæ & sapientiæ (quæ uno nomine græco Philosophiæ indicantur) fructus sibi comparasset? Vel ut græcè melius dicitur, τι ποτὲ αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας: *De hoc igitur interrogatum illum, sic respondisse, ex studijs his hoc se consecutum, ut iniussus faceret, quæ pleriq; legum metu facerent, id est,* τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν ἅτινες διὰ τὸν ἀπὸ τῶν νόμων φόβον ποιοῦσιν. *Atq; hic sane fructus est studiorum nostrorum præcipuus, quod animi his excoluntur ad uirtutem & ad disciplinam amplectendam. Cæteri enim quos & ipsos suppeditant, cũ hoc non sunt conferendi, et uirtus, et probitas sine scientiæ & sapientiæ copia laudem habet, & usum in uita præclarissimum, uirtutis expers sapientia*

non item, sed coniuncta utraq; præstantiam eam complectuntur et conciliant possessoribus suis, quæ in terris, et ex humanis rebus potest esse maxima. Vtinam autem hoc efficiat in nostris etiam scholasticis studiorum eorundem, quæ profitentur, exercitium & usurpatio, cui rei cum publica doctrina uniuersa, et priuata multorũ inseruiat, eadem tamen de causa et leges scholasticæ conscriptæ sunt, et instituta publica recitatio harũ. Quam nos etiam cũ in hoc nostro magistratu præstare hodie hora XII. constituerimus, Mandamus scholasticis uniuersis, ut indicato tẽpore in Collegij noui schola maxima, obnoxiè conueniant, Et de recitatione publica se ad lectionem legum priuatam adduci patiantur, & quæ disciplinæ causa monere nos mores, et tempora cogant, attentè cognoscant, et utriq; obedientiam debitã fideliter præstent. Apud quos uero, neq; Dei respectus neq; Reipublicæ pericula, neq; leges diuinæ & humanæ, neq; cõmonefactiones bonorum, neq; huius temporis, et æternarũ pœnarum consideratio, hoc efficiunt aut obtinent, ut uitam, & mores suos regant et disciplinæ honestæ se subijciant, ad eos nihil aliud fieri potest, q̃ ut diuinis et humanis pœnis permittãtur, Et nos nostro loco, ut seueritatẽ debitã usurpemus, id quod res postulabit à nobis quoquo tẽpore præstabimus, Quæ uero dicenda et monenda sunt, εἰς μαρτύριον ἀυτοῖς, *eorum hodie etiam aliquid referemus, ut neutra in in parte nostrum officium requiri possit. P. P. XVI. Cal: Martij.*

ORA-

ORATIO HABITA AD RECITATIONEM LEGVM Academiæ VVitebergensis, à Iohanne Posone I. V. Doctore &c. et Academiæ Rectore, Anno 1565. 15. Februarij.

VT, qui Scholastici esse uolunt, norint leges Academiæ quibus se subijciunt, Iurantes Magistratui suo fidem, & obedientiam, constitutum est utrunq;, et utquouis semestri prælegantur publicè, Et, cum hoc fit, ut is qui Magistratum gerit, aut præfetur aliquid de legibus ipsis, aut addat commonefactiones, exhortationes, obiurgationes, pro temporum ratione, & occasionibus, accommodatas & necessarias Moribus præsentibus, ac misceat his uota precesq; pro Ecclesia, & Repub. & ostendat pericula quæ incumbunt, ut sit ardentior inuocatio, et conspectus impendentium pœnarum reprimat, ac frenet aliquantulum ferocieres. Ad id faciendum hoc tempore omni studio, causæ nos impellunt maiores quàm plæriq; uestrum cogitant. Non fuerunt enim res Europeæ toto passim orbe Christiano aut deteriore, aut periculosiore loco ulla hominum memoria, quàm nunc sunt. Ardent bellis omnia Regna orbis Christiani, sed funestißimum inter hoc est, quod conspiratione, & concursu Pontificiorum infertur Ecclesiæ, quanquam

quàm alio prætextu, & nomine contrahuntur uires uniuersæ regni Pontificij intra Galliæ, & Belgij limites, ad excindendas illorum locorum Ecclesias. Eas si deleuerint uictricia Arma conuertent in nostras, quibus iam ante distractis, ac perturbatis insanorum hominum furiosis clamoribus, uereor ne hoc accidat quod euenire solet in rebus dubijs, et relligionis perturbatione maximè, & cœtu, in quo est Ecclesia, inter confusiones opinionum diuersarum & hostilium concertationum, quasi fluctus quosdam uacillante, ut aliqui, destituti subnixu cæterarum & auxilijs, uiolentia impreßionis hostilis euertantur, aliqui, dißidiorum tædio, aut prolabantur in ἀθεότητα, καὶ βεβηλότητα, spreta omni religione, aut redeant ad εἰδωλομανίαν ueterē, aut noui aliquid cudant, aut desciscant ad Impietatem Mahometicam, cuius semina latè sparguntur in Pannonia & Sarmatia horribili furore. In hoc bellum dum Europa sese exarmans, & exhauriens, opes, & uires suas impendit, Turcæ, læti occasionibus, robur cogunt uniuersum Terra Mariq;, ut & Italiam imperij sedem, ac præsidijs nudatam inuadant atq; occupent, & in Germaniam infestißimis, ac funestißimis, irruptionibus adsiduè populabundi excurrant, Arce belli alicubi in uicinia constituta, nec in his tantis opportunitatibus cunctaturos somniemus, nisi retractos ad alia bella, Deus singulari bonitate & miseri-

cordia hinc auertit. Vereor aliud, etiam, Ne, quæ est immanitas odij in Pontificijs aduersus nostras Ecclesias, ne ij ergo, si bellum intestinum parum prospere succesſerit, ipsi Turcas sponte in Italiam accersitos, inde immittant in Germaniam, uel hostium Christiani nominis opera nos perdant etiamsi simul sit pereundum ipsis. Germania uerò quæ maiorum ætate, talia incendia etiam in externis regnis sapientia ac uirtute, priusquam ingraueſcerent, restinguere, ac sopire est solita, nunc, quasi sui oblita, cum sit animis, & sententijs distracta in diuersum, & odijs mutuis deflagret, studio partium fouet hoc exitiale bellum, ac cæco prorsus impetu properat ad certum exitium, proxima dubio procul futura, quæ uastabitur, si consilijs Pontificiorum respondерit euentus: Nec decrunt quibus, si id acciderit, direptio patriæ, & oppreſsio eorum quos oderunt, potior erit religione. Dum ad hunc modũ oppugnatur Ecclesia, & quassatur armis hostium, domi immanius multò laceratur, atq; eõuellitur crescentibus quotidie furoribus τῶν ματαιολογῶν, qui, quibus possunt occasionibus, odia, ac dissidia uetera renouat & exacerbant, noua inflammant. Horum contagia cum nuper in Academiam nostram etiã irrepserint, necessitas coëgit nos maturo et seuero remedio, initijs occurrere, priusq; corruptis et infectis pluribus serperent, & inualescerent. Nam cum doctrinam huius scholæ et Ecclesiæ, quam scriptis

ptis Propheticis, et Apostolicis, ac Symbolis consonam, et Synodorum œcumenicarum testimonijs confirmatam, ac quasi per manus traditam in ijs libris quæ publicè enarrantur, concordibus animis et sententijs retinere nobis, ac tueri constitutum sit, si qui impias, ab analogia fidei alienas, et fanaticas opiniones, reiectas iudicio & testimonio Ecclesiæ orthodoxæ omnium temporum, & ab hac norma nostra discrepantes, factiose, seditiose, et cum obtrectatione contumeliosa ac scelerata publicæ, & ordinariæ doctrinæ, ferere, propagare, & defendere ausi fuerint, eos, cum semetipsos auellant à nostro corpore, in hoc cœtu non tolerare decreuimus, ne ijsdem erroribus, et delirijs teneras mentes aliorũ imbutas secum in exitiũ præcipitent cum certo etiam periculo Ecclesiarũ, quib. aliquando horum opera seruitura est. Hæc tanta mala publica, ac tam certa, et præsentia pericula ne ocioſis aut securis animis contemnatis, uos, & propter Dei gloriam, propter Ecclesiam et salutem uestram obtestamur. Nobis sollicitudinem, et dolorẽ augent corruptiſsimi mores huius seculi in maxima multitudine hominũ, qui nulla doctrinæ uoce, nullis legibus, nullis pœnis, nullis deniq; mediocribus calamitatibus coerceri, aut frenari sepatiuntur. Neq; ullũ esse ordinẽ in genere humano, qui nõ enormiter degenerarit à semetipso, discimus quotidianis exẽplis in hac nostra quantulacunq; gubernatione (non possumus enim nec debemus dissimulare uitia, quæ in scholastico cœtu inualescere experimur

ingenti noſtro cum dolore) confirmatur contemtus doctrinæ, legum, diſciplinæ, præceptorum, ac bene meritorum, creſcit audacia fingendi, aut renouandi falſas, ac moribus & uitæ periculoſas opiniones non tantum in Philoſophia, ſed, quod deterius eſt, ac periculoſius, in doctrina Eccleſiæ. Vt legum, ſic doctrinæ nulla autoritas eſt. Licentia, ut in moribus & uita, ſic in dogmatibus pro arbitrio torquendis, eludendis, & euertendis quæritur. Sunt quibus nulla ferè fidei ἀναλογία, nulla religionis forma placet amplius, Sed religio eſt eis quod alicunde ex maledicis ſcriptis huius prophani ac uirulenti ſeculi arripuerunt.

Non Iurisiurandi uinculum, non pacta atq; conuenta obligant amplius, Nullus Arreſti nexus eſt, qui unicus fuit hactenus neruus gubernationis noſtræ, fallunt fidem, & ſeſe hinc clam perfidioſe ſubducunt qui Iuriſiurandi priorem obligationem ſtipulatæ manus geminato promiſſo arctius adſtrinxerunt. Conſuetudo calumniandi, obtrectandi, ſpargendi libellos famoſos, ſerendi fabellas & mendacia, quibus famæ & exiſtimationi non æqualium tantum, ſed et ſuperiorum, & Magiſtratus, ac Principum etiam optimè meritorum de nobis uniuerſis, ſceleratè, & flagitioſe detrahitur. Præterea odia, inuidentia, uirulentia, feritas belluina in moribus, turpitudo libidinum, nocturnæ diſcurſationes, uociferationes, graſſationes, uiolentiæ τε χοῦ χεῖραι,

χεῖραι, rapinæ, furta, expilationes adeò creſcunt ut Scholaſticos ne foueat hæc Academia, an uerò Cyclopes, ac centauros, uel his immaniores, Scythas, homines honeſti qui huc adueniunt, interrogare ſoleant. Sumptus deſtinati ut inde & honeſtè uiuatur, & comparetur neceſſaria ſtudijs librorum ſupellex, profunduntur in luxum inanem ueſtium minimè decentium ordinem noſtrum, & conuiuia, ac helluationes.

Etſi autem, adferri nobis neceſsitatem ad hæc morum ueſtrorum uitia exagitanda ualde dolemus ac mallemus parci honeſtis auribus & ingenijs, quæ offendi ſcimus & ipſa turpitudinis mentione, & ſeuerioribus obiurgationibus, tamen propter degeneres ad quos hæ reprehenſiones præcipuè pertinent, premere ea neutiquam potuimus, cum non ſint errata infirmitatis humanæ, ſed ſpeciem habeant enormitatis minimè tolerandæ, & petulantiæ ſponte accerſitæ contemptu iudicij diuini, ac honeſtorum hominum, in nonnullis etiam furorum diaboli. Non alere enim, & confirmare nos uitia conniuentia, aut indulgentia noſtra conuenit, idcirco quæ reprehendimus, in ijs deprehenſos, etiam quocunq; ſeſe illi proripuerint, uel abdiderint, ſeuere perſequemur, nec ſpargi hîc prauas opiniones ſinemus in ulla doctrinæ parte.

Hortamur ergò & obteſtamur, uos auditores uniuerſi, ut paternas noſtras commonefactiones

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000245

agnoſcentes, magnitudinemq; impendentium pœnarum præmetientes, quæ atræ tempeſtatis inſtar, ſeſe in ſublime attollentes, paulatim propius cer-uicibus noſtris aduoluuntur, confugiatis ad unicum portum ueræ conuerſionis ad Deum, in agnitione, fiducia & inuocatione unigeniti filij Dei, Domini, & mediatoris noſtri Ieſu Chriſti, ac deprecantes ſupplicibus precibus iuſtiſſimas pœnas ſerijs, & ar-dentib. conatibus, emendetis uitã et mors, ac flecta-tis animos ad piam, Deo gratam, et generi humano, ac nobis ipſis ſalutarem moderationem. Memineri-tis in quo cœtu uerſemini, non inter Cyclopes, aut Leſtrigones, aut Lapithas degitis, nec in Platonis Academia erudimini, ſed in Eccleſia Dei, in qua præſentes adſunt, ut Rectores, & efficaces ſunt, DEVS æternus pater Domini noſtri Ieſu Chri-ſti, & Filius eius, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Spiritus ſanctus uere in multorum adoleſcen-tum corda effunditur, & Spiritus Angelici cuſto-des ſunt horum agminum. Hoc Dei templum pro-phanare, & polluere, & DEVM Rectorem quaſi expellere ex hoc domicilio, quod initio con-didit, & deinceps, per filium & ſpiritum ſan-ctum à lapſu reſtituit, ut in eo habitet, ſciatis ſummum ſcelus eſſe.

Hæc poſtquam, noſtro loco, & nomine mo-neamus, contumacioribus etiam denunciamus decre-ta,

ta, & ſententiam Illuſtriſſimi Principis Ducis Sa-xoniæ, Electoris &c. Domini noſtri clementiſſimi, qui, cum interſit omnium noſtrum, hanc urbem om-ni tempore, ſed noctu maximè, hoc præſertim du-bio, incertoq; ac periculorum pleno ſtatu rerum, tranquillam eſſe, mandat, uobis ut ſignificemus, uel-le ſuam celſitudinem, noctu ſcholaſtici uagari per urbem armati, uociferari, & tumultuari ut deſi-nant, & intra ſua ſe ſepta ut contineant, ac quieti, uacent aut pijs precibus, aut ijs rebus & ſtudijs, quorum cauſſa hic uerſantur, ſi quos negocia egre-di cogunt, ij ſua taciti expediant, & ſine tumultu, Ne uerò edicta hæc uana aut irrita fore exiſtimetis, ſcitote decretũ eſſe, ut qui cũ tumultu et uociferatio-ne inciderint in cuſtodes publicos, aut excubito-res, non mulctentur pecunia, aut puniantur carce-re ſcholaſtico, ſed ducantur in cuſtodiam aliam, longe immaniorem ſc. carcere ſcholaſtico & in ea detineantur donec Dux Saxoniæ Elector ſtatuat, quod in illos exemplum edi uelit. Vult & hoc Dux Saxoniæ, Elector imperij &c. Ne quis hic toleretur, neue à quoquam ex ſcholaſticis recipia-tur clam, aut occulte, qui nomen ſuum profeſſus non eſt apud Rectorem, nec eius rei teſtimonium habet, nec ſtudiorum gratia hic commoratur, in-ter les cum inquirere nobis conſtitutum ſit, monemus ſi qui pro ſcholaſticis ſe gerunt, in catalogum diſcentium nondum relati, nomina ſua ut edant,

& Academiæ fidem, atq; obedientiam promittant, ac præstent. De his rebus, cum & Magistratus oppidi peculiaria mandata acceperit, & præfectura atq; custodia urbis certis hominibus sit cum authoritate publica commendata, qui executores erunt mandatorum, complectentium salutem omnium nostrum, Cauete ne quis & se temerè in discrimen conijciat, et nobis negocia periculi ac difficultatum plena, attrahat.

De furtis etiam aliquid ut addamus necessitas postulat, penè certò nobis explorato constat, bonis alienis manus adferri, præcipue ab ea colluuie nequissimorum hominum, qui, cum sint à nostro ordine alieni, famulorum tamen se nomine uenditantes, inq; alienas Domos ac habitationes insinuantes, & exquisitum omne petulantiæ, ac maliciæ genus singulari studio conatuq; excogitantes, & exercentes, in certam perniciem generis, & societatis humanæ adolescunt. Hi sunt qui irrepunt clàm in alienas ædes, qui obseruant & explorant occasiones, qui inhabitatoribus absentibus fores, cistas, armaria effringunt, diripiunt, expoliant, Qui ijs quibus seruiunt Authores, & incitatores sunt, & operam accommodant ad delinquendum, Qui ceu faces dissidiorum, & Tubæ conflictuum serunt rixas & contentiones inter Scholasticos, gliscentibus uerò rixis æstuantes iracundia, et sponte furentes magis inflammant, cunctantes impellunt ad prælia,

prælia, tergiuersantes protrudunt, Nudis, & inermibus arma subministrant, qui sobrios, & modestos ad compotandi, helluandiq; consuetudinem, & ad libidines inuitant, ac seducunt, qui nuptialia conuiuia, & alios honestos congressus publicos spurcicie morum, obscœnitate cantionum, foeditate helluationum, importunitate discursationum ita ornant, & commendant, ut honestos homines adesse pigeat.

Hæc cum ita se habere non tantum ex indicijs certorum hominum, sed documentis etiam quotidianæ experientiæ didicerimus, Mandamus uobis Scholastici, has pestes adolescentiæ conflatas ex nequitia, quæ sunt organa diaboli à uobis ut abigatis, & alios potius modestos, honestos, pietatis ac studiorum amantes uobis adiungatis, quorum opera usui esse poterit Ecclesiæ.

In hos si quid Beneficiorum confertur id præstatur Ecclesiæ, & remunerationem promittit Filius Dei: Qui dederit potum aquæ uni ex minimis non perdet mercedem suam. Quantò honestius est impendere aliquid cáucandis Filio Dei ministris, per quos Ecclesiam ille suam in genere humano condat, doceat, ac regat, quàm cloacis, & organis diabolorũ, à quibus aut Ecclesia turbetur deinceps, aut deuastentur politiæ, proderit idem tranquillitati publicæ in hac Academia & urbe, proderit securitati uestræ, proderit studijs singulorum. Quare

ita uos geretis hac in parte, ne causa nobis adferatur quærendi alia remedia asperiora, repurgari enim cœtum scholasticum ab his uomicis oportet, si tranquillitas aliqua restitui debet.

RECITENTVR LEGES.

AVdiuistis leges Academiæ, & fontes earum, ac fundamenta. Cum ergò repetant uocem diuinam in Decalogo traditam, & deducant atq; aliguent uos, non ad commenta rationis humanæ, sed ad normam æternæ, atq; immotæ ueritatis, expressæ in doctrina cœlesti, & exigant ac præcipiant ea officia quæ Deus seuerissimè flagitat, cogitabitis obligari uos non tantum nobis, sed Deo ipsi. Hunc scitote legum nostrarum Architectum esse, & authorem, ac uindicem fore inobedientiæ in contumaciter delinquentibus, etiamsi pœnæ differantur, nec spe impunitatis peccetis. Tot scimus scholasticos admirandis modis & occasionibus alibi planè diuinitus ad pœnas atroces pertractos esse, qui uel suppresso, uel falsis testibus elusa crimine hic euaserant, ut uix ullum credamus unquam contumacem uiolationem disciplinæ impune tulisse, ἡ γὰρ κατασροφὴ, ἀνδρῶν παρανόμων κακὴ, κοὐ φυλάσσεται ὁ ἀσεβὴς εἰς ἀεὶ ἀσφαλῶς παλιὼν. Hæc immota est & immutabilis regula iu-

sti iusticiæ diuinæ, quæ nunquã fallit. Quod si prorogantur pœnæ, & delictum latet, adsiduè tamen horribilium Erynnium terroribus, atq; cruciatibus laceratur et conficitur conscientia rea coram Deo, ut ad quemuis auræ sibilum expauescat, & contremiscat, nec remedia ulla perferat. Aut si uulnus conscientiæ iuuenilis ferociæ cicatrice obductum initio leuiter coalescit, eroditur tamen subtus sensu sceleris perpetrati, ceu ulcus maligni puris acredine atq; occasione leuissima irritatum recrudescit, κακία γὰρ σιωπηθεῖσα νόσος ὑπολαθοῦσα ὄξιμ ψυχῇ, *Reuerenter itaq; legum præceptis obtemperate, ardenter Deum inuocate, ut accendat et regat pectora uestra spiritu sancto suo, dirigat gressus uestros in uijs suis, doceat uos iustificationes suas, custodiat corpora uestra præsidio castorum Angelorum, & cum uelit* DEVS *uoluntatem comitem esse spiritus Sancti, adhibete ipsi quoque diligentiam in regendis moribus, dignam hominibus Christianis. Reprimite incendia prauorum adfectuum, sensus, linguas, manus frenate, uitate occasiones lapsuum, abstinete à congressibus & consuetudine improborum, sedulò fungimini officio uestro, & intra metas uocationis uos continete. Gratitudinem debitam, quæ est ueritas & iusticia declarate sermone & officijs ergà Deum, erga Principem nostrum præclarè de nobis, & tota posteritate merentem, erga Præceptores uestros,*

Ab

Ab ijs congreßibus, in quibus & doctrinæ cœleſtis ueritas máliciosè ac petulanter conuellitur, & calumnijs, atq; obtrectationibus deformatur fama et exiſtimatio aliorum, procul diſcedite. Cumq; uerißimum ſit à Deo colligi, gubernari, protegi, liberari & ſeruari Eccleſiam, & dari felices ac proſperos euentus, nec magnitudini & multitudini periculorum & negociorum pares eſſe uires humanas, iungite precibus ueſtris uota pro Eccleſia, Repub. pijs principibus & gubernatoribus, id ſi feceritis non accendet Deus uniuerſam iram ſuam, ſed in ira miſereordiæ recordabitur, & mitigabit pœnas, ac leniet calamitates publicas, & ueſtris conatibus ac ſtudijs priuatim adſpirabit, ut feliciter proficiendo ſitis organa utilia Eccleſiæ, & ſalutaria uobis ipſis.

Te ergò æterne DEVS, *Pater æterne Domini noſtri Ieſu Chriſti toto pectore oro, ut hoc turbulentißimo ac triſtißimo tẽporebenignis etpropicijs oculis reſpicias ad Eccleſiã tuam, oſtendas teſtimonium præſentiæ tuæ, quòd uerè adſis Eccleſiæ tuæ ſerues, protegas, ac defendas eam, oſtendas quòd plus poßis quàm Diaboli, & impiorum furores, artificia et conatus, reprime eos quicunq; furenter conantur, uel uiolentia manifeſta delere nomen & Eccleſiam tuam, uel impijs, falſis, fanaticis, præſtigijs & ſophiſtica inuoluere, & obſcurare lucem doctrinæ tuæ, collige tibi inter nos, & in his regionibus*

gionibus Eccleſiam æternam, in qua & nos, & poſteri noſtri ſimus ac maneamus cuſtodes doctrinæ tuæ.

Da nobis ſalutarem pacem & gubernationem, da neceſſaria bona corpori, rerum fruendarum neceßitatem, ſalubritatem aëris, & depelle diabolos inſidiantes huic cœtui ſcholaſtico, ac deſtrue opera eius per, & propter filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

DIXI.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Nimis multæ cauſæ offeruntur, propter quas non poſſumus non dubitare an multis retrò ſeculis, non tantum Germania, ſed orbis Chriſtianus, id eſt, Eccleſia Chriſti una cum hoſpitijs huius: in maiori diſcrimine confuſionis extremæ fuerint. De noſtra quidem ætate affirmare poſſe uidemur nullo unquam tempore huius, publicis rebus uniuerſis, plus periculi omnibus à partibus & cauſis immmuiſſe, quam hoc ipſo, in quo uerſamur. Quod etſi magis uident & agnoſcunt ij, qui has adminiſtrant & regunt, quocunq; tamen unusquiſq; etiam ex uulgo non incogitantißimus animum & oculos conuertit, omnis generis pericula apparere incipiunt. Tali autem tempore Eccleſiæ

&

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000249

& Reipub. quid fieri ab omnibus Christianam religionem profitentibus oporteat, hoc loco recenseri non potest, & alijs locis & temporibus docetur, pietas quidem non magis de se quam de alijs & fidei consortibus cunctis solicita esse solet et debet, et uult Deus diligere nos inter nos, et affici calamitatibus inter nos nostris: quæ misericordia est: quas affectiones beneficentia sequitur, hic ei gratior cultus est quam sacrificiorum, secundum dictum Propheticum, quo Christus etiam aduersus Pharisæos utitur, & quale hoc sit considerare eos, & discere iubet. Hanc igitur misericordiam & beneficentiam, ut consideratione omnium, quæ paucis uerbis plurima monuimus, & eorum quæ sua unicuiq; pietas subijcit, exercere uelint omnes Iurisdictioni scholasticæ subiecti erga pauperes & ægrotos communis ordinis nostri, eos oramus, Quibus cum hoc tempore iterum colligere Eleemosynas nostras debeamus, his diebus circummittemus ministros publicos, qui hoc exequantur. Quos ita a uobis accipi & dimitti uolumus, sicut pietas postulat, & res & copia unumquemq; facere sinit: Ita nimirum & officij laudem apud homines sibi parient et à Deo ἔνεκα τοῦδε αὐτὴ ἐλεημοσύνης expectare poterunt mercedem eam, quam promittit officijs talibus in credentibus lucu'entissimam.

P. P. XV. Calend. Feb.

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS IOHANNES POSO Iuris utriusq; Doctor, & Academiæ Professor.

HOc die ante annos LXXI. editus est in hanc lucem D. Philip. Melanthon Vir clariß. quem fuisse σκεῦος ἐκλογῆς & organum diuinitus excitatum ad repurgationem cœlestis doctrinæ obrutæ densißimis tenebris Pontificiorum & ad excitanda in Germania Philosophiæ sanioris atq; linguarum studia res ipsa loquitur. Ac in priore quidem illo, παραδότης fidelis atq; adsiduus fuit D. Lutheri cum introspectis fontibus, & adhibita Methodo Dialectica late diffusam atq; dißipatam doctrinam in Iustum corpus redegit, præcipuis eius membris euolutis, distinctis, ac perspicuis scripturæ testimonijs confirmatis.

In altero, cum socium aut ducem in his terris reperisset ferme nullum, præstitit Solus quod potuit, & linguæ Græcæ atq; Latinæ præcepta & usum, publice enarrando præstantißimos utriusq; Scriptores primus monstrauit, et pleraq; Philosophiæ partes, quarum cum in uita communi, tum

tum ad Ecclesiæ doctrinam recte tradendam, usus esset maximè necessarius, perspicuè illustrauit, reuocato in Scholas atq; manus discentium Aristotele, cuius præcipuis disputationibus maximam lucem suis commentationibus & scriptis attulit. Hoc ingens Dei beneficiũ sæpè multumq; cogitemus, ac grati celebremus non uerbis tantum, sed pia confessione ac serio atq; indefesso studio discendæ ac propagandæ ueritatis doctrinæ accensæ rursus in hac Academia, per duo illa sancta et salutaria organa Lutherum scilicet & Philippum. Vtriusq; auditorem fuisse adsiduum meminimus D. Sigismundum Geloum Pannonium, sapientia, doctrina & uirtute præstantem Virum, cuius nunc in Aula Imperatoris præcipuæ sunt partes. Qui quidem uel hoc nomine se beatum iudicat, quod frui ipsi doctrina, amicitia & colloquijs familiaribus tantorum uirorũ aliquot annos licuit, sicut Platoni quoq; sunt μακάριοι οἱ ξωήκοοι τ ἐκτὸς σωφρονόντος σόματ ἰόντωρ λόγωρ. Quapropter cum & filium suum Georgium, optimæ indolis ac præclaræ spei adolescentem rectè erudiri in doctrina Ecclesiæ atq; optimarum artium studijs uellet, in nostram potissimum Academiam superiori Anno illũ ablegauit, in qua adolescens uersatus est singulari laude modestiæ, probitatis ac pietatis, eaq; in studijs diligentia, ut si uita ei diuturnior concessa à Deo fuisset, & patris sui expectationi satisfacere, & usui

esse atq; ornamento patriæ potuisset. Sed abripuit eum immatura mors, postquam diuturna febri Hectica uires corporis alioquin non firmi natura languefactæ & absumptæ fuerunt. Vt uerò antea in exercitijs pijs uixit, ita nunc in morbo quo paulatim consumptus est, & animi sui patientiam atq; constantiam ostendit, & confessionem suam edidit, & se filio Dei ardentibus uotis assidue commendauit. Vtq; uiator qui noctu iter facit, lætatur auroræ conspectu, sic ipse sperans se in illam cœlestem Academiam uenturum esse, ubi non ut in hac uita caligo est sed diuinitas, & copulatio diuinæ atq; humanæ naturæ in Filio, plurimæq; admirandæ causæ diuinorum operum coram cernuntur, letabatur. Quare cum in numero sit eorum de quibus scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur, ipsi quidem hanc felicem migrationem gratulemur, sed Reipub. causa doleamus, quæ ingenijs idoneis ad Artium propagationem destituitur.

Patris lętiam ipsius uiri optimi, ac nobiscum eiusdem doctrinæ professione coniuncti, & de multis discentibus bene merentis luctu grauissimo afficiamur, quem cum filium singulari σόργι amplexus sit in maximo dolore futurum, accepto hoc tristi nuncio non dubitamus. Ei funus fiet hodie hora XII. Hortamur igitur scholasticos nostros uniuersos ut ad funeris ceremonias ante domum Parochialem frequentes conueniant, ac de fragili-

tate corporum humanorum, & de modestia, sese commonefaciant & uitam singuli suam Deo pia precatione commendent.

P. P. VViteb. XVI. Februarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVemadmodum nautæ, cum nocturno tempore in undis marinis, à uentorum procellis ac fluctibus hinc inde iactantur ignari uiæ, aut portus, de uita aut salute quoq; sua, ne momento quidem certi, sedulo tamen id operam dant, ne ex oculis atq; conspectu sydera cœli, et parvulam illam Cynosuram ammittant, qua fidunt, duce nocturna Phœnices in alto: Ita nos ingenti naturæ nostræ infirmitate, & maximis huius caducæ & fragilis uitæ periculis & ærumnis quotidianis, deniq; Diaboli & organorum ipsius furoribus atq; insidijs, uelut in medio pelago inter fulmina & tonitrua, uentorumq; turbines oberrantes, de omni statu nostro, conditione & exitu uitæ totius incertos, decet acriter mentem atque oculos defigere in illustrissimam uerbi diuini lampadem, & in hac fulgentem filium DEI λόγον, καὶ τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν ὃ τῇ σκοτίᾳ τοῦ κόσμου φαίνον: qui quidem & portum monstrant salutis æternæ, & affu-

turum se hic quoq; piè inuocantibus promisit, & consolationem efficacem in mentibus per Spiritum sanctum accendit, ut eluctantes ex difficili laboriosaq; hac peregrinatione, læti in portum uitæ, salutis atq; lætitiæ sempiternæ traducantur.

O uerè beatos igitur, qui, quicquid de cætero fiat, unicam hanc salutis anchoram amplexi, ex turbulentis uitæ huius tempestatibus & labyrinthis salui emergunt: O miserrimos omnium, qui amissa luce atq; consolatione diuina, & curis atq; uoluptatibus corporum oppressi, in Syrtes æterni exitij præcipitantur.

Verè itaq; beata fortunataq; censenda est, honestissima matrona Anna Blochingerin, mater optimi Viri, doctrina, pietate, atq; integritate præstantis D. Magistri Matthæi Blochingeri, collegæ nostri amantissimi: quæ cum in omni uita sua decus fuerit eximium huius oppidi, et illustre exemplum plurimarum uirtutum, quæ in matrefamilias eminere debent, heri ex hac mortali uita, ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem piè ac placidè euocata est, cũ excessisset annum ætatis LXXIII. et in hoc raro curriculo unicũ id sibi, aduersus senectæ incommoda et mortis terrorem φάρμακον comparauerit, de quo Christus iurans inquit: Qui uerbũ meũ audit et credit ei qui misit me, is habet uitã æternam, et in iudiciũ non uenit, sed ex morte in uitã æternam transiuit. Hanc consolationẽ illa pectori suo impressam, per spiritum S. inter uarias ærumnas longo ac diffi-

cili tempore circumtulit, cum uiuente adhuc marito, Viro optimo & de hoc oppido bene merito, ſpectatrix fuiſſet triſtium calamitatum, quas bellum Germanicum his terris atq; gubernatoribus intulit: & amiſſo marito, annis deinceps XXI. illi ſuperſtes fuit, & familiam liberorum piè ac grauiter rexit ad modeſtiam, timorem Dei, cæteraq; honeſta officia adſuefecit. Vtq; Hanna filia Phanuelis aßidue adſuit templo: Ita hæc noſtra Anna, cum uicina eſſet templo, & pietate eximia, nunquam negligere publicos congreſſus, quo ad per ualetudinem illi licuit, ſolita eſt, ſed aßiduè audiuit conciones ſacras, & adiunxit ſeriam precationem, qua & ſe et domeſticam ſuam Eccleſiam Filio Dei commendauit. Negotia domeſtica ſingulari diligentia adminiſtrauit, & cum per ætatem laboribus non ſufficeret amplius, totam ſe meditationi uerbi diuini & precationi dedidit, neptes ad ſimilem diligentiam adſuefecit, & operas familiæ inſpexit ac gubernauit, uelut ſedula apicula hinc inde perreptando ædium angulos. Et quanquam non fuit corpore δωάμει νοσερῷ aut morbis uarijs conflictata, tamen ſenecta ipſa corporis uires magis quam morbo ullo languefactæ ſunt. Itaq; longa tabe ſeu μαρασμῷ ſenili paulatim contabuit, & inter uota aßidua ac ſuſpiria, quibus S. Pauli exemplo diſſolui hanc compagem aridi corpuſculi ſui, et reddi filio Dei anhelantem animulam ſuam exoptauit,

uit, placidiſſimè deceßit: Cum quidem paulo ante agonem integra mente palamq; teſtata fuiſſet ſe mortem non exhorrere, ſed alacri fide & ſpe liberationem expectare, & initia uitæ æternæ ſentire.

Adſtantem lectulo familiam, nurum & neptes, plorare uetuit, ac potius gratulari ſibi hanc fœlicẽ, dudumq; exoptatam migrationem iußit: Deniq; mira animi æquitate & conſtantia, mortem dudum expectauit atq; intrepidè adijt.

Talis fides in agone lucens, et portũ proſpiciens, in quo præcipuè acquieſcere bonæ mentes debent, etiam exempli cauſa conſideranda, et à Deo aßiduis gemitibus petenda eſt huiuſmodi μετάβασις, ut Chriſtus hoc iter nominat. Ei uero honeſtiſſimæ matronæ funus hodie fiet hora XII. ad quod ut conueniant uniuerſi ſcholaſtici noſtri, eos hortamur, ut hoc ipſo officio cum gratitudinem ſuam & obſeruantiam erga filium ipſius Virum honeſtiſſimum, & optimè de Republica noſtra merentem, declarent: tum ut in his ceremonijs funebribus ſinguli & de ſeſe, & de communibus periculis ardentius cogitent, uitamq; ſuam & Eccleſiam Deo pijs precibus commendent. Non enim caſu naſcimur, nec caſu morimur, ſed utrunq; Dei opus eſt, alterum quidem benedicentis, alterum uero iuſtè iraſcentis.

Diſcernamus igitur mortem hominis à putrefactione pomi aut morte pecudum, & teſtemur

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000253

uitam esse beneficium Dei, ac uitæ totius cursum, mortisq; iter fœlix ac placidum à Deo petamus.

P. P. XXVII. Feb.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

PRohibere quod moribus & consuetudine licitum esse pleriq; putant difficile est, Tale autem est quod hoc tempore anni ab aliquot iam seculis festiuitate quadam introducta conceditur omnibus publice contra decorum tam dictis q̃ factis committere omnia, & sicut Clazomenijs ἀχημοσύνη, omnemq; leuitatem et scurrilitatem usurpare, & ab eo quod Christianæ professionis grauitas postulat uitam et mores abducere. Sed nõ est difficile ostendere neq; moribus neq; temporibus permitti hæc posse aut licere unquam, Mores enim consuetudinis sunt et consuetudo est ueteris et laudati moris, neq; quæ peccatum & turpitudinem habent eorum consuetudo esse aut dici potest, et Paulus uetat αἰσχρότητα καὶ μωρολογὸν εὐτραπελείαν & præcipit quæ σέμνα sint & decus habeant & pulcritudinem, Vide etiã et quomodo etqua occasione ex Græcorũ et Romanorum idolatria tam Bachanalia quam Hilaria in Ecclesiam Christi inuecta sint ita sæpe luculenterq; in ordinarijs edictis, quæ hoc tempore proponi solent, expositum est, ut in præsentia non uideatur sine fastidio repeti posse. Horum igitur omnium

omnium consideratione etiã nunc edicimus, ut scholastici, ab illis ineptijs omnibus, obuersationum & discursationum in publico indecentium & turpium abstineant, neue personatorum deformitatem ullo modo usurpent. Etsi autem officium & persona Christiani sui præcipue hoc obtinere apud unumquemq; debet, & secundũ uersum non malum unius ex recentioribus, Sunt miseri quorũ gaudia crimen habent, accedit tamen nunc quidem horum temporum multiplex tristicia quæ ne concessa quidem & licita, id est, experte peccati aut deformitatis hilaritate frui finit intelligentem & considerantem status publici quẽquam. Duo magni exercitus in Gallijs in quibus & robur est equitatus Germanici in castris contrarijs collecti prælium quærunt, quod, præcisa pene omni spe pacis non possumus non in dies uel horas etiam iam singulas metuere horribile & cruentum, à victoria autem plus etiam periculi imminet, De cæteris quæ in ipsa Germania sunt & omni confinio huius, monere nihil attinet, cum sint ante oculos, Inter hæc igitur qui securus crapulari potest & posthabitis siue contemtis etiam omnibus bachæ bachantis in modum bachari, is, an homo sit aut Epicuri de grege porcus habendus, uel cyclopicus potius Dei, et hominũ contemtor, in promtu est statuere unicuiq;, Quare iterũ et monemus Scholasticos et mandamus uniuersis, ut in consideratione professionis Christiani nominis, & quæ hanc decent, atq; ita in ueneratione Dei æterni, Domini &

Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quem colit & inuocat fides noſtra, & magiſtratus legitimi, atq; periculorum ingentium in quibus orbis Chriſtianus uniuerſus & imprimis communis patria noſtra Germania uerſatur, eos ſe, cum alias ſemper, tum imprimis hoc tempore præſtent, quales eße, debere & docentur & iubentur, Qui ſecus fecerint, hoc etiam ipſo oſtëdunt duci ſe à diabolo, cui permittit tales Dominus ut impleat corda eorum, ſicut Petrus loquitur, & nos etiam noſtro loco de ſententia conſilij publici in eos animaduertemus. PP. IX. Cal. Mart.

DECANVS COLLEGII PHILOSOSOPHICI IN ACAdemia VVitebergenſi Magiſter Sebaſtianus Theodorus.

CVM alia ſint in uita, maioris & præſtantioris ſapientiæ ſtudia, ut diuinæ & politicæ et Medicæ, ita tamen longo iam tempore uſus obtinuit, ut Philoſophiæ & Philoſophorum nomen: (quod primum humanæ ſapientiæ uniuerſæ ſtudijs, & cultoribus horum Pythagoras fecit) de ijs ſtudijs peculiariter, quæ ſunt bonarum literarum & artium atq; eruditionis & doctrinæ, quorumq; profeßio et exercitatio collegij noſtri propria eſt, uſurpetur, & glorioſißimum nomen priſci ſeculi in noſtris

ſtris ſcholis ut reſideat. Cuius rei cum aliæ complures cauſſæ in mentem ueniant, in præſentia tamen interpretabimur affectione & ſtudio gratiæ factum eſſe, ut à cæterarum profeßionum Collegijs noſtris ſtudijs ſolis hoc nomen relictum, dicatumq; fuerit, quod eorum, quæ Philoſophiæ ſtudia appellantur, ope & opera, eximiæ illius ſapientiæ ſcholæ & profeßiones carere nequeant, Atq; diuinæ quidem multipliciter inſeruiunt, politicam autem et Medicam ex ſe penè uniuerſam producunt, Quod enim Grammatica artibus, hoc Philoſophia maioribus illis profeßionibus præſtare uidetur, cuius indefinitam quandam τὴν ἀορίστοτέραν ſapientiam ipſæ determinant & circumſcribunt, Et hoc eſt illud commune uinculum quo omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent inter ſe coniungi Plato ſcribit, cuius ſententiam hanc luculenter interpretatur Cicero. Multo tamen arctius coniungit omnium ſtudiorum noſtrorum operas et profeßiones, pietatis atq; ſocietatis Chriſtianæ conſideratio.

Cum autem his diebus in examinatione priuata audiuerimus eos, qui hoc tempore teſtimonium petunt honorum publicorum in Philoſophiæ ſtudijs, conſtituimus eoſdem hodie Hora prima ſecundum Leges & conſuetudinem ſcholæ noſtræ ad examinationem publicam producere & ſiſtere. Itaq; reuerenter, officioſe & amanter inuitamus, atq; oramus omnes, qui in hac Academia degunt aut hoſpites

ſpites in hanc aduenium Theologiæ, Iuris, & Medicinæ Doctores, *& optimarum artium* Magiſtros, Vt *in noto loco ſcholæ* Medicorum *tam hodie quam ad diem craſtinum conuenire non dedignentur, & quid profecerint candidati noſtri, conferendo cum ipſis de ſtudijs communibus, explorare,* Atq; *hoc etiam modo ſuam erga Philoſophiæ ſtudia, & collegium noſtrum affectionem, & beneuolentiam declarare, & tam collegium quam candidatos noſtros officio tali ſuo, quod per ſe eſt liberaliſſimum, ornare. Ita quod ipſis dignum eſt facient & quæ rependantur ipſis bonorum officia & gratiam merebuntur.* PP. IIII. Non Martij Anno 1568.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, MAGISTER Sebaſtianus Theodorus VVinshemius Profeſſor Mathematum in Academia VViteber-genſis, Lect. S. D.

MVltæ extant *grauiſſimæ laudationes earum artium, in quibus uerſamur, quas ueriſſimas eſſe non eſt dubium. Sed omnium uenuſtiſſima eſt narratio, quæ recitatur apud* Xenophontem *libro* S. παιδείας κύρ. *Nam cum* Cyrus *florentiſſimam urbem* SARDIVM *poſt longam obſidionem tandem occupaſſet, eamq; militibus diripiendam traditurus eſſet, hac apud eum deprecatione pro*

ciuitate capta CROESVS *interceſſit:* PARCE, *inquit, huic urbi & captis ciuibus, inter quos multi ſunt præſtantes artifices,* Quia *artes ſunt fontes bonarum rerum.*

Hoc grauiſſimo ſermone animum Cyri ad moderationem flexit, & ſalutem ciuibus ſuis ab irato victore impetrauit: Nec *uero ullum præconium maius de his noſtris ſtudijs fieri poteſt, quã quod τέχναι ſint πηγαὶ τῶν καλῶν. Vt enim riuuli ſunt diuinæ ſapientiæ, ita ex ijs, uelut ex ſanctis auguſtiſſimiſq; fontibus promanant utilitates penè immenſæ atq; infinitæ in uniuerſam uitam hominum.*

Sunt enim nerui ſocietatis politicæ & præſidia ac ornamenta neceſſaria in uita priuata. Inprimis autem Eccleſiæ multipliciter proſunt. Quia ad agnitionem Dei quantam in hac caligine mens humana conſequi poteſt, conducunt, ſicut ueriſſime Plato dixit: Gratam de Deo famam in artibus ſparſam eſſe. *Deinde collatio & diſcrimen doctrinarum Philoſophiæ & Euangelij multum lucis utriq; generi adfert, & oſtendit doctrinam Eccleſiæ antecellere. Poſtremo artes Philoſophiæ & linguarum ſtudia, non leue adminiculum ſunt in explicatione doctrinæ à Deo traditæ.*

Amemus igitur artium Philoſophicarum ſtudia, nec ab ijs reuocemur imperitorum clamoribus, qui cum ipſi ſint indocti, literas ex Eccleſia pulſas, &

& alios omnes ſibi ſimiles eſſe uellent, ut in communi ſui ſimilium frequentia latere, & inſcitiæ ſuæ repræhenſionem effugere poßent. Agamus etiam æterno Deo, patri Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditori generis humani & Eccleſiæ ſuæ, toto pectore gratias, quod noſtra ætate una cum fontibus Iſrael, hoc eſt cum luce doctrinæ religionis reſtauratæ, ſimul hos dulciſſimos fonticulos rerum bonarum, id eſt, linguas & artes liberales à cœno barbarico repurgari uoluerit, & oremus ut & doctrinæ cœleſtis, & Philoſophiæ purioris riuulos inter nos conſeruet, & ad poſteritatem propaget. Hæc uota ualde nunc ſunt neceſſaria, in tantis furoribus Diaboli & organorum eius, quorum omnis conatus eo tendit, ut & fontes Iſrael ſuis uenenis inficiant, & dulciſſima Philoſophiæ ſtudia, tanquam fontes limpidos barbarico cœno obturent & obſtruant.

Fiunt autem uota ardentiora cum in publicis congreßibus homines pij & docti conueniunt, ubi & commonefactiones de præcipuis partibus doctrinarum proponuntur, & ſpectacula rituum ac ceremoniarum à ueteribus graui conſilio in ſcholis uſurpata exhibentur, quibus & teſtimonia ac præmia eruditionis ac uirtutis ijs, qui digni ſunt, conferuntur: & alij ad amorem ac ueneration em doctrinæ quaſi quibuſdam calcaribus excitantur.

Petimus igitur, ut omnes Doctores, Magiſtri &

& auditores noſtri die Martis proxima, quæ erit dies 9. huius Menſis Martij ad renunciationem gradus Magiſterij conueniant, cum teſtimonia doctrinæ tribuemus his honeſtis et doctis uiris duob. et quadraginta, quorũ hic adſcripta ſunt nomina. Inter quos cum multi præclarè eruditi ſint, quorum induſtriam ſperamus Reipublicæ profuturam eſſe, magis nos decet & honori ipſorum fauere & uota coniungere, ut filius Dei λόγος æterni patris & ipſos & nos omnes ſalutariter regat ac gubernet, & hanc Eccleſiam & Academiam ac neceſſariarum doctrinarum ſtudia tueatur ac conſeruet.

P P. Die 7. Martij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

COmpletur hoc anno prima Olympias Illuſtriſſimæ munificentiæ Principis Illuſtriſſimi Ducis Saxoniæ Electoris &c. Domini noſtri clementiſſimi, qua exacta beneficia decreta ac deſtinata educandis Eccleſiæ Doctoribus & Reipublicæ gubernatoribus, de ſententia Illuſtriſſimi Principis Electoris transferentur in alios. Quibus ergò aditum ipſius celſitudo ad ea beneficia clementiſſime concedat, nuper propoſita tabella ſignificauimus publice.

publicè. Sed cum plæriq; ex illis abſint, hortamur eos, qui adſunt, ut ſe indicent Magnifico D. *Rectori, & de eadem re per lteras moneant abſentes amicos, aut ciues ſuos, miſsis ad eos ipſorum ſumtu peculiaribus tabellarijs. Cumq; ex inſtitutione ingenia & profectus ſingulorum explorari oporteat priuſquam delectus fiat, ſcitote Academiam examini deſtinaſſe diem* IIII. *Calend. Aprilis, qui eſt dies* Lunæ *proximus poſt* Dominicam LÆTARE. *Ad eum diem & uos qui adeſtis præſto eritis, & ſignificabitis abſentibus, ut ſe ſiſtant, niſi excidere ſpe beneficij uolunt. Conſcripſimus autem nomina eorum, qui una in ciuitate aut uicinis in locis habitant, ut minore ſumtu unius tabellarij opera abſentes conuocari poſsint. Vt frui autem Illuſtriſſima hac munificentia, & inchoatum ſtudiorum curſum perſequi fœliciter et conficere poſsitis, orate Deum ardentibus uotis, ut cuſtodiat & tueatur incolumen Illuſtriſsimum Principem noſtrum, & concedat nobis pacem ac tranquillitatem depulſis bellorum, ſeditionum, perſecutionum famis, peſtilentiæ, periculis, quæ undiq; nos circumſident.*

RECTOR ET SENATVS ACADEMIÆ VVITEBERgenſis omnibus lecturis has literas, domeſticis & exteris, ubiq; locorum, et ijs maxime, qui nobiſcum ſocietate unius Fidei, in uera Eccleſia coniuncti ſunt, S. D.

CIRCVM-

CIRcumferuntur *mendaces, maledicæ, & in* Academiam *noſtram contumelioſæ chartæ* Cunradi Schluſſelburgij Schaumburgenſis, *qui nuper cum gregali ſuo de tetris, ac ſceleratè confictis in* Academiam *mendacijs, de falſis & calumnioſis obtrectationibus, ac depravationibus doctrinæ publicæ, de molitionibus cruentis, quæ nisi reprimerentur matura & iuſta ſeueritate, tandem commotiones ſeditioſas, et triſtes inter ſcholaſticos cædes paritura eſſe honeſti adoleſcentes è cœtu noſtro, et ciues oppidani querebantur, de corruptiſſimis moribus, quibus contaminatus ipſe id egit, ut innocentes alios, & impollutos iiſdem uicijs inficeret, deniq; de periurio conuictus, tulit ſententiam, his ſceleribus dignam, ut reſectus in perpetuum à corpore noſtro, tanquam κάδαρμα, & gangrænoſum membrum, cum ſcelerum commiſſorum publicatione excluderetur ex* Academia. Hic *ut* Academiæ *labem aliquam aſpergeret, & gentem in nos Saxonicam concitaret, ſpargit narrationem, in qua, diſſimulatis ſceleribus, de quib. graviter accuſatus, literisq; et teſtimonijs multiplicibus conuictus fuit, ea, quæ ab* Academia *paterno animo, ſpe emendationis, an reuocari poſſet ad mentem ſaniorem, priuſquam infamis pronunciaretur, cùm quidem apud nonnullos ſeriò ſe id expetere oſtendiſſet: quæ ergo ab* Academia *cum eo ſuſcepta & acta ſunt, ſui*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000258

ſui excuſandi cauſa, ita commemorat, ut præcipuis earum actionum momentis aut malitioſè præteritis, aut ſceleratè deprauatis, aut fraudulenter mutilatis, affingat nonnullis è numero noſtro impudentiſſimè uerba & uoces contumelioſas in res & perſonas, quæ exauditæ nunquam, ſeu quæ in nullius animum uenerunt, ſibi uero ſumat, ac tribuat, de quibus non ſemel, ſed tertio quartoúe interrogatus, & reſpondere iuſſus, nec hiſcere nec mutire potuit. Quod hoc conſilio & hac ſpe aſtutè facit, ut, cùm ſibi ob ſcelera & infamiam ſempiternam pereundum eſſe uideat, experiatur, an commiſtis nobiſcum, quocunq; prætextu, Eccleſijs, & Scholis gentis Saxonicæ, ſeſe quoquo modo expediat ac ſeruet uel cum iactura Reipublicæ & Eccleſiæ, aut, ſi hoc non perficiat, ut ſaltem Academia labe aliqua deformata ſe uindicet & ulciſcatur. Omnibus ergo, in quorumcunq; manus chartæ mendacis iſtius & periuri, ſuisq; ſceleribus infamis hominis peruenerint, ſignificamus, narrationem hanc eius mendacijs, calumnijs, rectè dictorum aut deprauationibus, aut mutilationibus refertam eſſe, & rogamus, ut hoc organum diaboli, per quem ſpiritus mendax & homicida hoc quærit & molitur ut augeat miſerrimas & triſtiſſimas diſtractiones noſtrarum Eccleſiarum, & noua odia ac diſſidia accendat, execrentur & perſequantur. Extant apud nos in Prothocolis ſingulorum uoces & ſenten-

ſententiæ, quæ à Notario exceptæ ſunt. Cùm iam de ijs, quæ commemorauimus, ſceleribus eſſet conuictus, & ipſe cum ſocio impudenter auderet patrocinari tetro ac prodigioſo, & manifeſtè abſurdo atq; impio errori Eutychetis, quem ſacra Oecumenica Synodus Chalcedonenſis euidentiſſimè refutatum autoritate Cyrilli, qui in eo conſeſſu præcipuus fuit, condemnauit, quem leges Imperatorum, tanquam abominabilem, execrantur, ac diris deuouent, cum totum fundamentum incarnationis ſalutiferæ Filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo unico nititur fides, & ſalus noſtra, euertat ac deleat: Huic ergò peſtilenti errori cùm auderet patrocinari, Academia, cupiens conſulere conſcientiæ illius, cùm aliqui ſanabilem eſſe putarent, (Alioquin enim id non factura, ſed ut iam conuictum, mox infamem etiam pronunciatura & eiectura fuiſſet) cepit cum de errore Eutychetis commonefacere, ac docere, cùm ex noſtrorum præceptorum libris, quibus, inter alia dogmata, & hanc de uera incarnatione Filij ſententiam perpetuam Catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ, ex ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis extructam ac demonſtratam, nobis tradiderunt, tùm ex ueterum teſtimonijs, ex Synodi Chalcedonenſis decreto, ex Cyrilli & aliorum doctrina, qui Eutychetis controuerſiam explicarunt, & ueram ſcripturæq; Canonicæ conſentaneam ſententiam

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000259

tiam illustrarunt. Hoc ex animo patentō profectum singulorum in eo consessu studium, iste Sycophanta in eam interpretatur ac detorquet sententiam, ut audeat impudentissimè crimen & hæresin prophanationis Cœnæ dominicæ Academiæ intentare, de quare, sua conscientia teste, scit contrarium ei obiectum esse: scit euidenter ei ostensum esse, Eutichetis errorem hoc etiam nomine detestandum esse, & explodendum, quod fundamentum sententiæ Lutheri de Cœna Domini prorsus euertat, cùm Christum uero corpore exuat, quod Lutherus in Cœna Domini distribui affirmat. Et de hac controuersia claris & expressis uerbis aliquoties remissus est ad nostri Pastoris librum, ad quem se prouocasse impudenter mentitur. Hæc commonefactionis summa fuit, quam alij alijs sententijs piorum ac probatorum scriptorum confirmarunt. Gentis Saxonicæ & Ecclesiarum eius gentis honorificentissima in eo consessu mentio facta, & is consensus cum nostræ Scholæ doctrinæ crebro repetitus est, ad quem in suis scriptis toties præceptor noster D. Philippus prouocat. Nec inclementiorem mentionem si quis fecisset, silentio fuissent dissimulaturi, qui ex ea gente corporis nostri membra causam nobiscum communem egerunt, nec cur id fieret, causæ erant unquam. Quo consilio id finxerit, nemini obscurum esse potest. Sed non hoc

hoc primum est crimen falsi, quod committitur in Academiam nostram, nec prima calumnia, quæ luceramus. Sustinemus iam multos annos iniusta & acerba odia multorum inimicorum nostrorum, qui nullo nostro merito, pro ijs laboribus, quos impendimus propagationi rectorum & salutarium studiorum, quibus possunt nos figmentis mendaciorum conantur traducere, & opprimere. Nullum tantum scelus penè cogitari potest, quod Flaciana rabies tribuere sanctissimæ agmini Scholæ nostræ non fuerit ausa, in quo cœtu non dubium est innumeros esse & fuisse, qui sunt uera & uiua organa diuinitatis, & sancta Dei domicilia, in quorum pectoribus habitat Deus, quorum mentes accendit luce sua Filius Dei, & adflat ac regit corda Spiritus Sanctus. Deniq; qui rectè discunt doctrinam Euangelij, & huius doctrinæ custodes, ac nobis præceptoribus testes sunt, & erunt, non tantum ad posteritatem, sed in extremo iudicio ante tribunal Filij Dei, cùm de intentatis falsis criminibus, iudice Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, Sycophantæ hostes nostri respondere nobis cogentur. Neq; Academiæ tantum & uniuersis talia acciderunt, & iam penè quotidie accidunt, sed & Collegijs totis & singulis. Prodijt nuper libellus, Pauli Scalichij nomine, in quo Doctoribus Iuris tribuitur responsum de lite, quam ille de suis natalibus

in Boruſsia habuiſſe fertur cum uiro nobili, nullũ unquam inter ipſos cogitatum, niſi tum uel auditum. Edita ſunt Chronica D. Peuceri, & M. Menij nomine, in quibus improbè & iniuſtè lacerantur fama & exiſtimatio ſummorum ordinum. De his nulli eorum quidquam conſtitit, priuſquam de periculis, in quibus uerſarentur ob eam editionem, ab amicis admonerentur. Scimus literas ſcriptas eſſe, & Rectorem Academiæ, quibus detracta ex publicis ſcriptis ſigilla affixa fuerunt, & priuatorum nomine, ad Principes, Reſpublicas & priuatos, non unas atq; alteras, ſed frequentes quarum autores ſeſe ſubduxerunt, fraude patefacta. Hæc improbitas, malitia & licentia quò tandem eſt euaſura, niſi ſeueritate ſummorum Magiſtratuum cohercita ac repreſſa fuerit? Quid non audebit improbus quiſque, ſi aſtipulatores mendaciorum, & calumniarum ſe inuenire, aut ex his etiam applauſu ſtudioq; aſſentientium creſcere didicerit. & expertetur? Quis uero in Scholis publicis tandem onus docendi, & regendi diſciplinam, alioquin in hac licentia corruptiſſimi ſeculi noſtri penè intolerabile, aut ſuſcipere uolet, aut ſufferre poterit cum tanto diſcrimine famæ & exiſtimationis ſuæ, ſi propter calumnias, mendacia, ſeditiones, periuria electus ex aliqua Schola, poſſit contra eam ſcurrilibus artificijs concitare totas gentes? Videant illi, ne, qui hanc uiperam excipiunt, tuentur ac fouent, idem ab ea perpetiantur non multò poſt, quod modo nos ferre cogimur, aut deterius aliquid: & diſcant ſuo malo exempla impunitatis in delictis contra Rempublicam, ſi foueantur, quantum noceant. Iuſtum omnino hæc nobis dolorem afferunt.

Te ergò Schluſſelburgi, cùm antea, tuo merito, te mendacem, ſeditioſum, Sycophantam, periurum, ijs literis, quas legiſti, & teſtimonijs, quæ audiuiſti, conuicerimus ac declarauerimus, nunc, quia priora ſcelera nouorum mendaciorum & calumniarum criminibus cumulaſti, Anathema etiam pronunciamus, ac tanquam diaboli uiuum organum totis pectoribus execramur. Has ueras ac iuſtas diras noſtras, immota lege, & ordine iuſticiæ diuinæ in tuo capite adhæſuras eſſe non dubites. Pios autem & ueritatis, concordiæ ac pacis amantes ubiq; locorum rogamus & obteſtamur, ne huius Schluſſelburgij, aut aliorum ſimilium calumnioſis ac mendacibus traductionibus fidem habeant, ſed potius tanquam certiſſimas ac perniciоſiſſimas peſtes, uirus alentes, quod effuſum ueritati cœleſti, & Eccleſiæ nociturum eſt, unà nobiſcum abominentur, & arceant abigantq; à Scholis, Eccleſijs & Rebuſpub. ne armati autoritate, aut inuitati occaſionibus, ſpargere uirus conceptum poſſint cum certo periculo, uel etiam interitu Eccleſiarum. Veriſſimum eſt enim De-

mosthenicum illud, πονηρὰ φύσις ἐξουσίας ἐπιλαβομένη δημοσίας ἀπεργάζεται συμφοράς. *Rogamus etiam eosdem, ne ullis aut libris, aut literis editis, sparsisue nomine alicuius ex nostro ordine, & numero assentiantur, nisi prius re apud nos explorata, an sic se habeat, nec ne. Deinde, ut ignoscant iusto dolori nostro, qui has querelas nobis exprimit. Cùm autem insidias, molitiones, fraudulentos & manifestos conatus Diaboli, & malorum hominum aduersus Academiam nostram, cum rabiem in inimicis nostris crescere uideamus indies, nec ulla uigilantia nostra prospicere, aut intelligere, nulla sagacitas odorari, nulla sapientia anoliri ea à nobis anteuertendo possit: Deum oramus ardentissimis precibus, ut ipse nos per & propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum regat, ducat, doceat, ac protegat, & tueatur, ac uindicet innocentiam nostram, & det testimonium ueritati, quam sonamus, ac profitemur, quam retenturi sumus, Deo adiuuante, usq; ad halitum extremum pectorum nostrorum. Profitemur etiam & affirmamus coram Deo, & tota Ecclesia cœlesti, ac terrena, nos eam doctrinam, quam accepimus à Præceptoribus nostris, consonam canoni Prophetico, & Apostolico, & comprehensam in ijs libris, ad quos omnia nostra semper referimus, conseruaturos, & auditoribus nostris bona fide tradituros, ac commendaturos esse*

esse. Nec dubitamus Deum posteritati, si qua futura est, ante diem nouissimum, quantæcunq; inciderint confusiones opinionum, & dogmatum, testimonio suo ueritatem doctrinæ nostræ declaraturum esse, sicut testimonium præbuit Synodis, Nicenæ, Ephesinæ, Chalcedonensi, etsi potentia, factionibus, sæuitia aduersæ partis orthodoxi oppressi, tyrannidem & crudelitatem pertulerunt, non mimorem Ethnica: Tandem tamen iusto Dei iudicio uicit ueritas, cum Ecclesiam conseruari, & incorruptam doctrinam Euangelij oporteat, usq; ad optatissimum, & desideratissimum pijs omnibus reditum Filij Dei, iudicaturi uiuos & mortuos, quem precamur supplicibus gemitibus, ut nos citò ex his furoribus, atq; ærumnis mundi ereptos ad se transferat, ut sicut promissio sonat, decurtet & abrumpat tempus, ne seducantur electi.

P. P. IIII. Idus Martij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVale sit, intercedente interdicto magistratus, & ex arresto, ut loquimur, hinc discedere, & cuiusmodi pœnam ea res mereatur, sua sponte unusquisq; intelligit, & de exemplis etiam quæ in facinorosos tales statuuntur æstimare licet. Sed cũ facinus hoc sit graue et pœna etiam graui ut par est

puniatur: Quod nisi ita fiat, iurisdictionem & disciplinam nostram uniuersam corruere necesse sit: Ideo cautius in re uersantes, ad imbecillitatem etiam iudicij & incogitantiam ætatis iuuenilis respiciendum nobis existimamus.

Et hac consideratione hos tres infrascriptos Scholasticos nostros nempe, qui superioribus diebus contra quam mandaueramus, hinc discesserunt, singulos, & uniuersos citamus peremptorie, ut ad XXVIII. diem Maij proximum, coram Rectore Academiæ nostræ se sistant, qui eis tẽpus indicabit, quo coram consilio publico nostro causam dicere, deq; ijs quorum nomine postulabuntur, respondere debeant.

Hoc si fecerint, existimari poterit sanabiles eos esse, & resipiscentiæ locus concedi, Sin minus, tum & publicè docebitur qui sint & quid admiserint, & in absentes etiam ita animaduertetur, ne deinceps cuiquam libere possit similem contumaciam aduersus legitimum Magistratum usurpare.

Et hi igitur imprimis, quorum res agitur, & cæteri nostri caueant, ne pœnam tristissimam sibi accersant, publicæ enim commonefactionis causa hæc proponuntur, ut probemus omnibus curam de salute & existimatione scholasticorum in gubernatione nostra paternam esse, atq; ad auertendam turpitudinem extremam infamemq; nihil à nobis intermitti, neq; ad animaduersiones grauissimas, nisi summa necessitate adactos, accedere. P. P. Pridie Calend: Aprilis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVOD tempus nuper significatione publica nostra constituimus petitoribus Stipendiorum ad doctrinæ studia ijs quorum nomina ex illustrissima aula ad nos missa sunt, quo sisterent se examinationi Collegij professorum Academiæ nostræ, id tempus obire non potuimus cum Virum clariss. D. CASPARVM PEVCERVM Illustriss: Princeps & Dominus noster hinc ad se euocaret, et plerique ex petitoribus illis hoc octiduo primum aduenerint.

Quod igitur hactenus commode fieri non potuit, id in diem crastinum differre atq; reijcere necesse habuimus, & in præsentia publice significamus, & omnes petitores illos quorum res agitur, & qui hac de caussa apud nos conuenerunt, scire uolumus, Cras hora XII. examinationem illam, ante octiduum indictam, nos incepturos esse, in noui Collegij conclaui publico domus eius, quam clariss. Poëta D. Iohannes Maior incolit. Itaq; mandamus uniuersis illis & singulis stipendiorum illorum petitoribus, ut indicato tempore in area collegij seu domus scholasticæ nouæ conueniant, ibiq; paratis

animis ſuis & ſcriptis ab ipſis compoſitis, quæ exhibeant, dum ad examinationem inſtitutam accerſantur, placide expectent. Cumq; Illuſtriſſimus Princeps Elector de ingenio, indole & ſtudijs ſingulorum doceri debeat, operam dabunt, ne quis illuſtriſſima beneficentia quam petit indignus uideri poſsit. Præterea quid fieri debeat, ſuo quiſq; loco priuatim monebitur. P. P. Prid: Non: April:

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NAte Patris ſummi, qui cum Patre temporis exſors,
Numine, natura, uirtute, cacumine, conſors,
Naturam hanc rerum, nullo de ſemine rerum
Diſsimili uultu certa ratione creaſti,
Alme opifex, idemq; opifer, cum ſanguine fuſo
Cœlo iterum aſſereres Stygio de iure receptos,
Vitam, iuſticiamq; ferens in priſtina nobis,
Quorum nixa fides in te exit, & incipit à te:
De cuius reditu, palma, regnoq;, quod ingens
Ambiat, & nullo comitetur gloria fine,
Turba Deum ſpirans Vates, hæc fata canebant,
Forte dies orbi aduenier, quo uiuida radix
Stirpis Ieſſeæ manifeſto in germine ſtabit,
Inſtar uexilli, quo confluet agmine magno
Inquirens pia turba uirûm: quam deinde ſequetur
Gloria,

Gloria, cum paulùm requie detenta latebit.
Tu ſancta illa uenis Ieſſæa ex ſtirpe propago,
Et uerus cum Patre Deo Deus, accipis ultrò
Veri hominis ueram Ieſſæa ex uirgine maſſam.
Ex quo te abijceres uerò, & quo tempore terris
Te gereres humilem, & paulùm diuina poteſtas
Subtraheret foris auxilium, & tamen intus adeſſet
Æternum ad nexum ſuſceptæ ex uirgine maſſæ:
Tunc tunc inſtar eras uirgulti, humore carentis,
Quod ſitiens tellus ſterili produxit in aruo.
Pulcra quidem, ac opibus diuinis plantula turgens:
Sed preſſa ærumnis, ſed iniquo exercita caſu
Sancta anima, ingentiq; iræ concuſſa procella,
Iræ, quam Pater omnipotens in crimina noſtra
Hauſerat, atq; in te penſantem crimina noſtra
Verterat, irarumq; omnes effuderat undas
Sancta anima, et ſpecies mortalis marcida facta eſt,
Non penitus ſubmerſa tamen pulcerrima radix,
Quam ſociam, et connexam unà, ſtirps dia labantẽ
Sublinuit: Cùm fortè ſtupens, ſenſuq; doloris
Ægra tui, Tellus daret obuia ſigna, paterq;
Lucis deficiens luctu Sol nocte diurna
Inficeret mundum, & rerum Natura ſoluto
Fœdere in antiquam uellet migrare figuram.
Sua media eluctans ex morte, caputq; ſub auras
Erigis, in dulces reuocatus luminis oras
Tertia dum exoriens roſeis Aurora quadrigis
Fulgeret, & lux alma tua de luce rediret.

Sub

Sub pedibus lethumq́; , & noſtræ crimina culpæ
Sternis ouans, dirumq́; manu uictrice Draconem
Contundis, Veniamq́; , & cœli limina pandis,
Viq́; potens dia rerum moderaris habenis
Magna trophea ferens, Vt tandem ex mole laborum
Ereptos belli ſocios, tua membra per orbem,
Iam tum orbe exacto, regnum in cœleſte reponis,
Quod diſpar ſpecie eſt, nec uultu adparet eodem,
Quo regum pompæ ciuilis in ordine uitæ,
Et ducti curru Capitolia ad alta triumphi.
Omne decus mundi, Mors claudit, & ultima
Victores victis, humiles ſublimibus æquat: (meta
Omnis honos, omnis cum uita gloria ceſſat:
Mors abolet, quicquid ſublime, et quicquid honorũ
Sed tibi mors decori eſt, et erat victoria victo. (eſt:
Vt, poſtquàm Gideon uellet committere pugnam,
Emicat alliſis primùm lux condita teſtis:
Sic tua maieſtas in morte exerta refulſit,
Gloria pòſt mortem, et nomen pòſt fata ſecutũ eſt,
A cruce lux, pòſt probra, decus, ſeruilia, regnum.
Nunc circum ferimus luteis bona cœlica uaſis:
Morte obita & fracta lutea teſtudine carnis
Emicat inſertæ primum præſtantia lucis.
O miranda quies, qua ſic opera ardua rerum,
Cœli opere, & terræ, & cunctis maiora creatis,
Abſoluis, Quæ nulla uirûm uigilantia, nullus
Heroũ labor, aut feruens in prælia uirtus. (beret,
Factus homo eſt, ut mente ſua Templi inſtar ha-
Auguſti

Auguſti templi, quo feſtæ lucis honores
Continuis eſſent ſacris, & Numen in illo
Exercret lumen, ſacraq́; quieſceret æde,
Implens conſortiq́; bono, & communia præbens
Quæ ſua ſunt, uiuensq́; in imagine gaudeat, iſta:
Lætitiam ſed enim caſu turbauit acerbo
Rex Erebi infenſus, rupiq́; repentè quietem,
Pollutumq́; Dei templum, ſeſſumq́; perenne
Securus ſuperûm, ſacrorum illuſor, & exlex
Labe infeſtauit, turbatoq́; ordine recti
Confuſum inuexit quiddam, primusq́; noſtrorum
Author, mentem hominum pietate abduxit ab omnì
Horribilem ad riſum ſuperûm. luſumq́; ſacrorum.
Sed tu Nate Dei demiſſus es æthere nobis,
Qui requiem Feſti temeratam, ruptaq́; ſacra,
Sanguine ſancires iterum, atq́; in priſtina ferres.
Ergò luce ſacra, quã Magnam in Lege uocabant,
Maſſa tua in tumulo ſopita in morte quieuit,
Et caro diducta eſt anima, nexuq́; ſoluta
Morte obita, cum neutra tamen diuerſa receſſit
Diſſociata λόγῳ, qui tunc ne in morte reliquit
Conditor hanc maſſam, terra quam condidit olim,
Tresq́; adeò luces, lucis non reddidit auris,
Dum tandem exactum eſt opus omne, atq́; ordo ſa-
Integer ad metam extremo iam fine ſtetiſſet. (luris
Tunc buſto effracto lumen uitale reſumis,
Ingrederiſq́; nouas lethi iam victor habenas,
Et feſtum indicis ſolenne, diemq́; quietis

Rete

Perpetuum, quicunq; fide se ad signa recepit
Christe tua, & quærit te portum, auramq; salutis.
Tu geminæ consors stirpis, rerumq; potitus
Victor ouans, tu nos lacrymarum in ualle morantes,
Turpatos tristi illuuie, & squalore, situq;
Horrentes, informe genus, taboq; fluentes,
In numerum, pompamq; tui nos adsere festi,
Quod nunc ingressum primum, atq; exordia fecit,
Flamine te moderante chorum, gressusq; regente:
Sed tunc continuos exactum curret in annos,
Cùm flos ille hominum numero selectus ab omni
Agni molle latus claudet, quocunq; sacratis
Incessum pedibus feret, & uestigia flectet.
Tu massæ informi rutilum super inisce tegmen
Iusticiæ, & sordes, inhonestaq; uulnera labis
Consere festiuo uelamine, & oblime sacro
Sanguine plagarum uestigia mentibus ægris,
Vt puris animis, & ueri, & amantibus æqui
Festa colant, agitentq; in libis dulcibus æuum,
Absit amaricies, sint liba expertia fellis,
Sitq; Fides Verbo, Fidei sit consona uita,
Hæc uera est pietas, pietatem extendere factis.
Morte tua scopuli finduntur, & optima Tellus
Omniferos laniata sinus tua funera mœret:
Solus morte tua cantat plaudentibus alis
Noctis auis gallus: Solus quoq; miles amarùm
Ridet, ubi misso ludit tua pallia sorte,
Quando sub infami trabe tristi saucia casu

Stabat

Stabat acerbà gemens in nati funere mater.
O infelices nimiùm, ingratiq; saluus,
Qui patiente Dei Nato, scurrilia tractant,
Nec flentis miseret matris, gentisúe piorum.
Et cur nos pigeat consortes sub cruce saltem
Stare tua cum matre, piumq; haurire dolorem,
In cruce cùm nostra pro labe pependeris ipse?
Iam ter mille iubar confecit mensibus orbes,
Lustraq; bis septem, atq; alios septẽ insuper annos,
Ex quo gens Solymæ festis operata diebus
Dulcibus in libis, solidiq; in carnibus agni
Prima sacrum coluit ritum per iugera Nili,
Iamq; accincta fugæ, & uinclis abitura Tyranni.
Tot serie annorum cœtus te Christe colentum
Texisti excidij immunes: Æuoq; sequenti
Defensos dabis, atq; extrema per omnia duces:
Quanq̃ hominum crudele nefas, et acerba Draconis
Circumstant odia: hunc tu, oro, defende furorem,
Fallant uota malos sua, et aurę hæc irrita spargant
Vtq; tuos olim conuiuas inter eundum
Vescentes agno solenni, & sanguine sacro
Ostia lustrantes, texisti numine præsens,
Intereaq; uiam tendens per regna Melonis
Prima patrum uindex strauisti pignora letho:
Sic nunc dexter ades, nosq; adsere uindice dextra,
Quando fide uerate uero uescimur agno.
Immunem à pœnis fatalibas, inter & arma,
Inter & excidia, & regum, populiq; furores,

Effice,

Effice, & instantes da belli euadere casus
Cœtum aliquem, dictamq; tuo de nomine gentem.
Cætera quæ Flamen de more cadauera ad aras
Imposuit flamis, reiecta tulêre repulsam:
Solus tu letho extinctus, grata hostia Patri,
Extinxti labes hominum, flamasq; furentes
Numinis, in labes hominum: Tu criminis expers
Agnus, et informis maculæ, fers crimina, et auferis,
Vescentesq; piè sacris te in ritibus agno
Iusticiæ donis, & uitæ fructibus exples.
In te dia, potens, uiuax natura, caducam,
Exutamq; anima, rursus de morte reduxit,
Vt referas uitæ, & simili des luce potiri
Christe tuæ insertis fidei per uincula massæ.
Ergò mala corpus fœtum lue, morte prematur,
Tuq; Patris Verbum uiuas in pectore nostro,
Et labe exclusa, solus modereris habenas,
Tunc etiam nobis requies tua cedet honori.
Ex fragili terra nostrũ est genus: hucq; referri
In fragilem terrã pòst lapsum, et crimen, oportet.
Postquàm etiã reprobos gelido complexa sepulcro
Terra semel, uinctos tenet, æternumq; tenebit (est
Vrgens mole super, nec eos Acheronte remittens
Eniti ad supera arua sinet, sedesq; beatas.
Sed tu uiuifico contingens corpore terram,
Esse pijs umbris tenuem, & sine pondere terram
Efficis, & probibes urgeri mole molesta.
Propter & afflatum primi serpentis in horto,
Serpen-

Serpentes ueros spinæ generare medullam
Pythagoras etiam nouit: nec Musa Maronis
Anchisæ in tumulo productum supprimit anguem:
Sicut apum examen liquefacti ex uiscere tauri
Prouenit, Aut ab equis Crabro aspera pestis equo-
Aut alia ex alijs insecta animantibus orta (rum,
Hei quanta illuuies serpentum, insecta paludis
Infernæ, ad manes, atq; irrequieta malorum
Busta sedet, fibras depascens uindice morsu,
Atq; immortali miseros in morte fatigat.
Sed tu Nate Dei, latebras, & busta tuorum,
Aligeris pueris, quibus est custodia nostri,
Præcingis, Qui reliquias, habitacula quondam
Ætheri flatus, rursusq; habitacula quondam,
Sacras exuuias, sacra ossa animæq; latebras,
Dispositi obseruant, obscœnaq; castra malorum
Spirituum, sanctis procul inde cubilibus arcent,
Ceu tua seruabant rutili monumenta ministri,
Et somnum aspirant, & in urna perpetuum Ver,
Speq; nouæ uitæ, solantur damna prioris.
Quando erit illa dies, quo læto Christe regressu
Conspectum reddes te iterum, manesq; sepulcris
Voce tua excibis, similiq; ornabis honore,
Quo te magna cohors post hausta pericula mortis
Claro incedentem lucis conspexit amictu,
Lætum congressu, & socijs nota ora ferentem,
Argumentum ingens quod consuetudinis esset,
Congressusq; pijs, cœlesti in luce futuri.

Pulcrius haud equidem tempus, nec amœnius or-
Illuxisse reor, quàm Ver erat illius anni, (bi
Cùm Deus effracto surgens ad sydera busto
Tecum sancta uirûm reserebas agmina luci,
Atq; in concilium Vates uenêre, tuumq;
Condensi clausere latus, matresq; , uiriq;
Sæpe tuo dulces hausere ex ore loquelas
De generis nostri exortu, miseraq; ruina,
Deq; tuis meritis, dum nos in pristina reddis,
Deq; secuturo uitæ immortalis honore,
Cuius ibi antè oculos tunc uiuũ exemplar habebãt.
Ergò agite, ad cœtus horum, & commerita im-
Mente ferãt sese nostra agmina, et aure capaci (gu
Accipiant, quicquid loquitur sapientia Verbi.
Nunc densis rerum in tenebris, uariisq; periclis
Degimus hoc æuum, deuotaq; pectora tantùm
Nequicquam externis inhiantia ritibus hærent,
Ceu matrum pia turba tuum mulcere cadauer
Gestit odoriferis guttis, Syrioq; ueneno.
Sæpè ferens gressus huc, illuc, lumina mœsta
Sæpè etiam huc, illuc flectens, te quærit, & orba
Absentem quæritur, mœstisq; ita uocibus illud
Triste sonat, Dominũ abreptum, uacuũq; sepulcrũ,
Ambiguum, qua nam tandem in regione locârint.
Sed tu Nate Dei diuina pectora luce
Irradia super, & naturæ absterge tenebras
Horrificas, per te caligo uicta recedat,
Inq; anima lucem cœlesti ex fomite, & imi

Pectoris

Pectoris accendas ueros lux unica cultus,
Et te his in tenebris uitæ quærentibus offer,
Et blandis oculis, cœli quibus astra serenas,
Respice nos, dictisq; animas affare dolentes,
Vt lacrymas sistant, & ponant corde timorem,
Te medijs præsente malis, & damna leuante.
Tu nos in medio luctantes turbine lethi
Vitalis succi radix, mortisq; medela,
In uitam reuoces, & lumina morte resignes,
Per te, per qui te Genitor sine tempore & æuo
Temporis, atq; æui exsortem, sed lumine & æuo
Consortem genuit, similem, et uiuum instar habentẽ,
Æternum Verbum, uerum de lumine lumen.

In festo Paschatis Proposuit.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Decessit hac nocte opt. & opt. artium studiosiss. iuuenis Ioannes Psaltzgraff Anspachensis, unus ex ijs qui Illustriss. et beneficentiss. Principis ac DN. DN. Georgij Friderici Marchionis Brandeburgensis &c. benignitate & sumptibus in hac Academia in studijs pietatis et literarũ educantur numero plures triginta, qua illustriss. beneficentia hic Iohannes ita usus est per annos iam ferme tres, quos nobiscũ uixit, ut expectatio de ipso bona esset

intelligentium omnium, & Ecclesiæ Christi utiliter inseruiturus speraretur, atq; professionem ornaret moribus probis & pietatis & literarum bonarum discipulum decentissimis, qua de caussa & benignè decreta ei accessio fuit qua stipendium eius augeretur, Sed antequam hæc in ipso bona permaturescerent, & in pleno cursu studiorum suorum concidit, occulto iudicio Dei ex hac uita euocatus, Etsi autem mors per se peccati pœna est, & longa uita donum Dei eximium, eiusmodi tamen tempora & mores sunt, eaq; pericula impendent bonis rebus et hominibus omnibus, ut beneficiũ fieri incipiat, uitæ cursum præmatura et salutari euocatione præcidi, ad quæ accedit in pijs odium uitæ à causis non tantum externis, quas aliorum peccata commouent, sed suæ etiam in unoquoq; peruersitatis sensus, cum qua luctatur & militat exercens piam militiam, & cupiditas πολιτεύματος cœlestis, ut cupiant sicut Apostolus migrare, & esse cum Christo, quæ & in hoc Iohanne fuisse docent nos ij qui in morbo ei & morienti affuere. Longa autem tabe consumtus est, & à brumæ ferme tempore huc usq; decubuit, & patientissimè tulit omnia, neq; magis uitæ prorogationem quam exitum ex hac salutarem precibus suis à Deo petijsse dicitur, quem & omnino ut audimus impetrauit. Efferetur autem hodie Hora IIII. ex ædibus Sturionis, cuius funus ut Scholastici prosequantur, pietatis

tis & officium ab ipsis postulat, & nos ut facere uelint uniuersos hortamur.

PP. XVII. Calend. Maij.

OMNIBVS LECTORIS. S. D. PAVLVS CRELLIVS, S. Theologiæ Doctor & Professor.

DVlcissima uox filij Dei est de ministerio piorum doctorum omnium, in Ioanne cap: 15. expressa, IN HOC GLORIFICATVR PATER MEVS COELESTIS, VT FRVCTVM COPIOSVM FERATIS, ET SITIS MEI DISCIPVLI. Præcipit his uerbis ac sancit Christus, non eos tantum labores, quos in colligenda æterna eius Ecclesia hi sustinent, Qui uocati ad ministerium Euangelij & Sacramentorum, Oeconomi à Paulo nominantur mirabilium mysteriorum Dei, Quo titulo ac munere maius hominibus tribui in hac uita uix potest: Sed nostra quoq; studia in tradenda & discenda ea doctrina, in qua se patefecit Deus, simul filius Dei complectitur, mandat & approbat, Eaq; cultum esse ostendit quo præcipuè Deus honore adficitur, quem adiuuet ipse et regat suo Spiritu, Quod alibi testatur inquiens, Mitti à se apostolos, & omnes uocem ipsius incorruptam sonantes, sicut à patre

ipse missus sit. Cœtus ergo ac Scholæ nostræ, in quibus res sacras profitemur docendo, aut consequi discendo conamur, cum & pars sint, & seminarium Ecclesiæ, & ministerij Euangelici, & muneris illius in terra summi, quo Ecclesia æterna DEO colligitur, Et ad nos quoque cum promissio Christi pertineat haud dubie, Vbicunq; duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum, uenerari amare & urgere hæc studia contentione ac diligentia summa eos maxime decebat, Quibus unus hic uitæ finis propositus est, ut collectionem Ecclesiæ suis aliquando laboribus ac conatibus adiuuent, ac gloriæ Dei seruiant.

Atq; utinam & magnitudinem muneris huius, & uel unius uocis huius dulcedinem intelligerent ac perspicerent miseræ & obtusæ mentes, nostræ, qua glorificari patrem æternum filius Dei affirmat, cum fructum copiosum ferunt, & discipuli ipsius sunt, hi, quos in messem Ecclesiæ, aut in hanc ipsam studiorum sacrorum segetem lætissimam filius Dei uocat & extrudit: Sed quia neutrum intelligimus, quid fiat de his studijs passim, quæq; conditio horum sit, in conspectu est.

Ecclesiam autem cum nihilominus colligere sibi filius Dei decreuerit, etiam in confusionibus tristissimis postremæ senectæ mundi, quas & prædixit. Nos qui ad studia in Ecclesia uocati sumus, hac

hac ipsa nos uocatione, & hac ipsa immensa bonitate filij Dei, quod aliqua Ecclesijs & studijs pijs halcyonia & hospitia tranquilla præbet, commonefieri nos statuamus, ut grati beneficio ac bono tanto utamur, & in numero eorum esse studeamus, qui aliqua Deo in genere humano grata faciunt, & gloriæ ipsius seruiunt: Confusiones quoq; & certamina tristia de dogmatibus, cum crescant proh dolor indies, quibus contumelia Deus horribiliter afficiatur, Crescat & in nobis recta & grata Deo discendi studium & cupiditas, & inquisitis doctrinarum fontibus, præmunire & obfirmare animos ac mentes nostras aduersus blasphemas illas confusiones studeamus.

Eam uerò ad rem, spero, Deo benedicente, non futurum irritum aut inanem prorsus, qualemcunq; laborẽ atq; operam nostrã, q̃ in collatione doctrinæ pontificiæ & nostræ instituimus non ita dudum, et ad eum usq; locũ deduximus, in quo fiduciam suam omnem collocant pontificij, quibus nos quæ opposuerimus, meminerunt qui nos hactenus audiuerunt. Ad illius ergo operas nostras profectione necessaria interruptas, redibimus Deo iuuante ad proximum diem IOVIS loco & hora consueta. Hortor autem Theologiæ Sacræ studiosos, ut optimam & necessariam doctrinam hanc non negligant. Quibus ut fidem meam probem, operam, Deo iuuante, fideliter dabo.

STVDIOSIS IVRIS CIVILIS S.

Et ſpes et ratio ſtudiorum in Cæſare tantum.
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camœnas
Reſpexit:

INquit Iuuenalis, Quod ſane in huius noſtræ Scholæ alumnos, amplificatores, & Mecœnates quadrabit. Dum enim alibi Pontificiorum agmen pias Scholas conuellit & lacerat, alibi malitioſorum et ambitioſorum hominum ac curioſorum ingeniorum mirabiles technæ & fraudes Scholaſticam quietem turbant, uidemus ut hic laborent ij ut pia pax & quies Muſis relinquatur & de rebus utilibus magnis & neceſſarijs undiq; huc confluens iuuentus, ſeminarium Eccleſiæ & Reipub. ſanctè erudiatur. Quam rem ſi placeret copioſe explicare, dicendum eſſet de eximia illa munificentia Illuſtriſſ. & uerè Auguſtiſſ. Principis noſtri & Electoris Ducis Saxoniæ in iuuanda, ornanda et amplificanda hac Schola, De præceptorũ ſedulitate, diligentia, et prudentia in ordinandis, diſtribuendis et cumulandis omnis generis prælectionib. et ſimilia. Sed id nunc huius loci non eſt. Aſpiciamus ſaltem hic ſtudiũ legum et Iuriſprudentiæ. Equidem quibus ex foutibus leges Reipub. noſtræ ortæ ſint prodeſt ſæpe cogitare, & decet nos aſſuefieri ad illam pietatem & modeſtiam, ut de legibus & legum ſtudijs reuerenter atq; honorificè ſentiamus. Sed de talibus uidebimus quædam in inceptione prælectionis: Veriſſ. ſanè dixit Cic. Non à prætoris edicto, neq; à duodecim tabulis: ſed penitus ex intima Philoſophia hauriendam eſſe iuris diſciplinam. Item conſtituendi Iuris ab illa ſumma lege capiendum exordium, quæ ſeculis compluribus antè nata eſt, quàm ſcripta lex ulla aut quàm omnino ciuitas conſtituta. Et alibi rurſum pulcrè & grauiter. Eſt quidem, inquit, uera lex, recta ratio naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ uocet ad officium iubendo, uetando à fraude deterreat. Cui legi nec propagari fas eſt, neq; derogari ex hac aliquid licet, neq; tota abrogari poteſt. In ſumma Lex eſt uera & æterna iuſticiæ regula. Et nota eſt pulcherrima illa definitio Legis Moralis apud D. Philippum Melanthonem communem Præceptorem noſtrum laudatiſſ. et feliciſſ. memoriæ. Ex hoc igitur fonte, ſi placet digito ſaltem indicare et ueluti per tranſennam oſtendere, leges gentium ac populorum profectæ ſunt ac proficiſci debent, quibus legibus ſalus publica præcipuè quæritur, ut ſcribit Cicero, & excitati ſunt ſemper diuinitus, qui tales leges, ex eo fonte deductas pro uarietate illa circumſtantiarum commodas & appoſitas ſuæ Reipub. darent. Teſtantur uero facilè omnes à nullis hoc melius præſtitutum

esse atq; à Romanis: Vnde ille etiam cecinit Imperium sine fine dedi. Scimus enim placere Deo iusticiam & æquitatem, & tueri eum conseruare & fouere imperia æquitatem colentia. Atq; memini me apud autorem non malum legere: Romanum imperium tam diu posse stare incolume quàm diu incorruptæ eorum leges uigebunt. Porro cùm hoc ipsum ius Romanum à minimis, ijsq; pulcherrimis tamen initijs dum constare non posset, nisi quotidiè in melius produceretur, eousq; excreuit, ut iam mole laboraret sua. Hic igitur desiderabantur opera, industria & autoritas Iustiniani, uerè magni Principis, qui, ut notum est, uniuersam Iurisprudentiam Romanam quinquaginta præcipuè non ita magnis libris Pandectarum & duodecim constitutionum imperialium complexus est, quos libros & in foro ac tribunalibus ad dirimendas controuersias ualere, & in Scholis discentibus explicari iußit, ut sic semper posßit habere Respub. iusticiæ satellites & iudiciorum athletas, ut idem Iustinianeos uocat. Iam uero uidit etiam sapiens Princeps ut aliarum omnium rerum, sic & huius studij esse quandam uelut pueritiam, adolescentiam, & uirilem ætatem, Nec posse quem cum fructu in his studijs uersari, nisi ueluti manu ducatur et Methodo compendiosa progrediatur: Necesse est, inquit, Institutiones in omnibus studijs primum sibi uindicare locum. Itaq; totius illius legitimæ doctrinæ conscripsit

scripsit breue compendium, inexhaustæ quidem scientiæ & prudentiæ, quod uocat prima uestigia scientiæ, legum cunabula, totius legitimæ scientiæ prima Elementa & Institutiones iuris, easq; in initijs discendi & intra annum suis & legum discipulis proponi ac eius reconditam scientiam aperiri uoluit, quo sic maturè & sine longa difficultate eò perducantur ij, ut possit illis Respub. in partibus eius ipsis credendis, committi, ut ipse scribit.

Itaq; habuerunt semper eæ ciuitates in quibus hæ Scholæ fuerunt, quæ Academiæ & uniuersitates appellantur, quas legum Nutrices appellat Iustin: ueluti Berytus, Constantinopolis, Roma. &c. aliquot legum & iuris Professores, quorum alij aliud discentibus proponerent, alij Pandectas, alij Codicem, alij Institutiones explicarent, quo collatis ita operis & ueluti alter alteri manum porrigens studiosos magis iuuarent. Iam uerò constat uerissimũ esse (neq; n. uidendum quid quisq; dixerit, sed qualiter & quàm uerè) quod scribit Ioachimus Hopperus uir magni nunc nominis in aula Regis Hispaniæ, ita esse has Instit: compositas & conscriptas ut non minus ijs qui longius iam progressi sint, quàm primum incipientibus utilis et necessarius sit hic liber: Et quod rursus alius quidã in Isagogico suo Dialogo Iuris scribit: Non posse facilè unum aliquem interpretem ad omnia ingenia & studia tàm diuersa, quæ ad hunc surcolum libel-

libellum, patribus familiâs, futuris theologis, Iurisconsultis utilem, confluunt, una prælectione se accõmodare. Hoc uerò in confesso est apud omnes, sensus ipse communis, & omnium peritorum assensus confirmat qua difficultate et perplexitate nunc nostra Iurisprudentia laborat, non posse quem commodè progredi & proficere, nisi primum hos ueluti fontes & hæc fundamenta totius legitimæ scientiæ recte & fideliter didicerit, ut sit quasi corpus suæ doctrinæ, & ut uocant, Catechesin integram in promtu & in conspectu habeat. Ecce igitur quod supra de uniuerso studio & de omnibus doctrinis huius nostræ Scholæ dicebam, bene ordinatas esse omnis generis prælectiones, in Iurisprudentiæ etiam Schola palàm fit. Constat nihil prope esse Ecclesiæ pariter & Reipub. utilius quàm pium studium legum. Adeoq; cum sana Ecclesia triplicem consueuerit distinguere usum legis, unũ ex ijs huic etiam studio Iurisconsultorum solet assignare, Et notum est dictum, Lex est pædagogus ad Christum 2. Habẽt igitur in hac facultate Iuris Ampliß. Professores publici singuli suas partes, eas obeunt diligenter, nisi quatenus publicis causis, habentibus sane iustiß. & necessariam excusationem, auocantur, ut ita toti uideantur esse in hoc ut huius studij discipuli fideliter & sanctè instituantur. Nunc uerò ad cumulum hoc etiam addunt, alium præterea Interpretem Institutionum, qui iuxta Iustiniani consi-

consilium primùm leui ac simplici uia singula tradat & sic ad alios publicos Professores & grauiores lectiones instructiores adducat & mittat auditores, adiungunt, ut is ad minimum intrà annum, si fieri potest, Institutiones has absoluat. Mihi autem consilio, autoritate & iussu Magnifici Domini Rectoris, Spectatiß. D. Decani, adeoq; Ampliß. ordinis Facultatis Iuridicæ hæ partes demandatæ sunt. Atq; ideo (quod felix & faustum sit huic Scholæ & mihi) Crastino die, in loco publico collegij Iurisconsultorum Institutiones has iuris ciuilis incipiam proponere. Sumam h oram octauam, permissu eiusdem D. Decani dum ipse in publica causa abest. Dominica Vocem Iucund. 68.

Caspar Aldeneich Coloniensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

PRæcipua quædam et nobiliſsima pars sunt Ecclesiæ Christi scholæ piæ, quæ & seminarium et præsidium præstant ueritati tam diuinæ quã humanæ, & uitam moresq; instruunt disciplinæ honestate, atq; hoc nomine de religione & Republica, societateq; generis humani uniuersa præclariſsimè merentur. Itaq; Imperatores Magistratus scholastici dignitatem

dignitatem esse uoluerunt quandam aspectabilem atq; ordinem nostrum multis & honoribus ornarunt & priuilegijs atq; immunitatibus auxerunt, Et boni atq; intelligentes Principes quasi incolumitatem huius ad terrarũ suarum ornamentum & salutẽ utuntur. Sed per se est pulcerrima et honestissima prouincia pietatis & doctrinæ studiorum gubernationem administrare & discentium commodis & disciplinæ consulere, Quam tamen curationem temporum nostrorum miseria & hominum improbitas & morum extrema dissolutio, admodum grauem difficilemq; reddunt, & qui in utroq; genere uersati sunt, ij experiuntur etiam maiores aliquantò difficultates & labores obijci magistratum gerenti scholasticum, quam ulla ciuilis administratio in Respublica habere soleat, cum & rationi magis consentaneum sit, & res ita ferre deberet, nostri ordinis quam uulgi imperiti gubernationem, non tantum minus operosam sed facilem etiam et expeditam esse. Etsi autem omnibus temporibus difficultatem habuit ætatis iuuenilis gubernatio, & Cicero alicubi magnum opus esse scribit, regere adolescentes: his tamen temporibus nimis multa sunt quæ hanc difficultatem augeant, & ueritati quam omnibus à partibus insidiæ struantur, et quanta pericula tam huic quam Reipublicæ uniuersæ impendeant, ante oculos est.

Cum igitur ad diem Crastinum in æde Vniuersitatis

uersitatis scholasticæ nostræ quæ ad arcem est, & deponere me magistratum hunc meum, & more solenni creari oporteat alium qui mihi succedens per semestre hoc æstiuum præsit rei scholasticæ: Mandamus singulis & uniuersis qui Iurisdictioni scholasticæ nostræ subiecti sunt, ut mox hora VII. manè in æde illa nostra conueniant, resq; communes nostras precibus suis Deo commendent.

P. P. Pridie Calend: Maij

SCRIPTA PVBLICE PROPOSITA SEMESTRI EO, QVOD FVIT A Calendis Maij, Anni Christi M. D. LXIX. usq; ad XV. Calend. Nouembris, RECTORE eximio Philosophiæ et Medicinæ Doctore & Professore D. Casparo Peucero Viro Clariß. &c.

STVDIOSIS MEDICINÆ.

MVLTA sunt in rerum Vniuersitate, quæ nos de autore & conditore sapiente, causa boni in natura, admonent, uices temporum, certi & ordinati motus sydera rum, fœcunditas soli animantium propagatio.

Quæ

Quæ omnia cum brutis magna ex parte communia habemus, quæ & ſydera naturali inſtinctu aliqua agnoſcunt, & uices temporum obſeruant, & naſcentibus rebus, quæ admirandam Dei bonitatem demonſtrant, unà nobiſcum fruuntur. Longe autem illuſtrius teſtimonium de Deo homines ratione præditi circumferunt, quod diuinæ particulæ auræ participes, per quam conſequentia cernunt, principia & cauſas rerum uident: earumq; progreſſus et quaſi anteceßiones nõ ignorant, certis firmißimisq; fundamentis & limitibus artes uitæ neceſſarias circumſcribunt & conſtituunt. Cuius rei illuſtria exempla habemus in ueterum Philoſophorum & Medicorum libris, Idq; in naturali parte Philoſophiæ, ſummus artifex & Princeps Philoſophorum Ariſtoteles præcipuè expreßit, quando in primo Phyſicarum auſcultationum libro inquit, Πέφυκε δὲ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδός, καὶ σαφεστέρων ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα.

Nam ordine reſolutiuo, ad inueniendas artes opportuno & neceſſario, à compoſitis ad ſimplicia, ab effectibus ad cauſas progreditur, quibus inuentis contrario ordine compoſitiuo nimirum, ad tradendas diſciplinas maxime accommodato, à ſimplicibus & principijs exorſus, uniuerſam de naturali parte Philoſophiæ doctrinam abſoluit. Quem imitatus Galenus Medicam artem, quæ ex Phyſica doctrina

doctrina dimanauit & exſtructa eſt ea methodo & ordine conſcripſit, ut diuinitus ad huius doctrinæ propagationem exitatus uideatur. Quare quibuscunq; animus eſt, non fictam ſed ſolidam doctrinam conſequi, horum ut inſiſtat ueſtigijs neceſſe eſt. Abſoluto igitur priore libro, in quo optimo ordine omnium morborum differentias explicauit, ſtatim ſubiungit doctrinam de cauſis morborum, quam explicare non potuit, priuſquam quot eſſent morborum genera & differentiæ docuiſſet. Ego quoq; ut meo muneri & loco ſatisfaciam poſt interpretationem primi libri abſolutam, alterum, qui inſcribitur περὶ τῶν ἐν τοῖς νοσήμασιν αἰτίων explicare decreui, hortorq; ſtudioſos artis medicæ, ut aßiduam in cognoſcendis ſcriptis Galeni operam præſtare & cras hora Nona in auditorio Medicorum conuenire uelint. 4. Non. Maij.

D. Paulus Heſſus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

DEceßit in inuocatione fidei & religioſa filij Dei Virgo honeſta et pudica ELISABETHA DYRINGA, quæ familia cognomentum habet aurifabrorum, & cum proprijs ornamentis, tum propinquorum, & eorum, qui cum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000275

hac affinitatem contraxerunt dignitate, inter præcipuas est huius oppidi. Hæc uerò Elisabetha & ualetudine fuit ea, ut neq; uitam longam sperare potuerit, neq; produci hanc sibi à Deo, sed exitum potius ex hac sanctum & salutarem peteret, de quo in hoc ipso morbo, quo mortua est, cum per multos iam dies decubuerit, constantissimo animo sæpè professa fuit. Idq; impetrauit à Deo precibus suis, cuius unius hoc beneficium est, & non humanarum uirium, omnino enim uitam piam exitu etiam pio clausit, migrauitq; sanctè, qui est scopus curriculi in terris nostri unicus. Vana est pulcritudo, & fallax gratia, sicut scriptum est, sed mulier timens Dominum, ea laudabitur, quod præstitit hæc defuncta uiua, & moriens. Quo non potest ullum esse elogium pulcrius aut glorioſus ad Deum & homines, Quod & ornamentum complectitur sempiternum, nam huius & alterius uitæ præmia habet pietas & fulgebit hoc genus luce illustratum diuina. Sepelietur autem hodie hora XII. Et mandamus igitur scholasticis, & hortamur ceteros nostros uniuersos, ut ad deducendum funus hoc ante notas ædes demortuæ, indicato tempore frequentes conueniant, hocq; officium & mortuæ pietati & propinquitati superstiti præstent, ex qua multi de Repub. aliqui etiam peculiariter de Academia nostra præclarè merentur, Et delegit hanc domum coniugio suo præstantissimus Vir & Iurisconsultus D. D. IOHANNES SHNEIDEVVEIN, quæ una mentio ad hanc deductionem obtinendam apud omnes bonos, & gratos satis efficax fuerit, & esse debebit, ut his addi aliquid non sit opus.

P. P. Die XII. Maij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

FRuctus Spiritus esse scribit Paulus, charitatem, gaudiũ, pacem, lenitatẽ, benignitatem, bonitatẽ, fidem, mansuetudinem, temperantiam. Inter carnis uero opera recenset, adulterium, scortationem, uitam impuram, libidines, inimicitias, iras, rixas, odia, inuidiam, cædes, ebrietatem, crapulam, & his similia alia.

Sicut autem qui DEI *sunt, ducuntur spiritu eius, & secundum formulam Apostoli* πνευματι περιπατοῦσι, *ita qui quod caro concupiscit, & opera huius, prosequuntur & committunt,* βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν, *erunt hæredes regni Dei, ut scribit idem Apostolus sed habent iratum Deum, & sunt in potestate Diaboli, quo nihil dici aut cogitari potest grauius, et fit plerunq; ut peccata peccatis puniantur, et homines*

impuri & ebrioſi in cædes ruant, aut interficiantur, atq; ita hæc duo mala ipſa ſe mutuo puniant & conficiant. Sanciauit autem ſuperioribus diebus uehemẽti et mortifero uulnere OLAVM LAVRENTI Suecum N. N. quia tamen Dei beneficio præter ſpem & opinionem Chirurgorum conualeſcere iam ex hoc incipit, Ideo & munere magiſtratus noſtri (cum ſint Scholaſtici uterq;) ita poſtulante & petente hoc uulnerato, N. N. in præſentia citamus, & ut loquuntur peremptoriè, ut pro iuriſiurandi religione, qua rei ſcholaſticæ eſt obligatus ad diem XVIII. Menſis Iunij coram nobis cauſam dicat & cognitioni conſilij noſtri publici ſe ſiſtat, Niſi fecerit, in abſentem etiam ſtatuetur, quod de periuro & uiolento ſtatui debet. P. P. IIII. die Maij.

STVDIOSIS GRÆCÆ LINGVÆ. S. D.

FINIS doctrinæ huius, in qua uerſamur nos qui Græcam linguam profitemur, præcipuus & principalis hic eſt, ut doceatur & exemplis illuſtretur doctrina Legis diuinæ, præſertim ſecundæ tabulæ, & legis naturæ, quæ eadem eſt. Nam primæ Tabulæ doctrina ad Chriſtum referenda eſt, & ſatis explicatur Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis.

Sæpe autem monere ſoleo auditores noſtros, ut hunc finem diligenter obſeruent, & ceu ducẽ, ac ueluti filum Ariadnes in ſtudijs ſuis, conſilijs, & uniuerſa uita ſequantur, Nam ſic oſtenditur diſcrimen inter doctrinam de Deo & ſacratiſſimo Euangelio de Chriſto, atq; inter omnes reliquas doctrinas, quæcunq; uel de natura rerum, uel hominum moribus, uel Oeconomica, uel politica adminiſtratione inde uſq; ab initio mundi traditæ ſunt, Hoc enim douum rependit Deus Iapheto & poſteritati ipſius pro pietate erga parentem, Extant autem huius doctrinæ illuſtria ſcripta in Græca lingua, cum alia multa, tum uero præcipue poemata Homeri, Sophoclis & Euripidis, quorum enarrationem Reuerendus D. Præceptor noſter Philippus Melanthon paulo ante mortem mihi quaſi teſtamento reliquit ac commẽdauit, eius mandato præſertim tam pio & iuſto me omnino obſequi decuit, Ergo in his autoribus explicandis adhuc quidem uerſor, & æternum Deum oro, ut in hac ſtatione mea Eccleſiæ Chriſti, Scholæ, atq; Reipub. utiliter inſeruire poſsim, per Chriſtum filium Dei Redemtorem noſtrum, Amen.

Poſtquam autem nunc quatuor Tragœdias Sophoclis, Deo clementer iuuante, abſoluimus, ſequitur ordine ſuo fabula quinta, quæ inſcribitur Oedipus in Colono, Ad eius interpretationem, Deo auxiliante, accedere decreuimus ad diem Martis

proximum hora octaua, continet hæc & Illustre exemplum et explicationem doctrinæ, quæ in quarto præcepto Decalogi traditur, de reuerentia & obedientia erga parentes, atq; omnes quos Deus nobis parentum loco esse uoluit, inter quos Magistri ac præceptores haud quaquam postremum locum obtinent, iuxta dulcissimum hoc Satyrici dictum:

Dij maiorum umbris tenuẽ & sine pondere terram
Spirantesq; crocos, & in urna perpetuum uer,
Qui præceptorem sancti uoluere parentis
Esse loco, &c.

Ad hunc inquam locum communem ceu scopum hæc tota fabula dirigitur, Estq; in ea quasi Cycnea cantio, & senilis eloquentia tanti & tam præstantis uiri, paulò enim ante mortem scripta traditur ab Autore, nempe secundo & octogesimo anno ætatis ipsius, solet uero sermo senum simplicior καὶ τῇ φύσει ἀναλογώτερον fieri.

Quodq; nos imprimis ad hanc Tragœdiã amandam inuitare debet, est elogium illud illustre Ciceronis in Catone maiore, quo satis ostenditur, quanti eam fecerit Orator summus, et uir summo ingenio atq; doctrina præditus, neq; eius laudes hac breui pagella commemorari possunt, cætera auxiliante Deo, enarratio ipsa suppeditabit, spero me Deo clementer iuuante, diligentia, fide & assiduitate satisfactu-

tisfacturum esse auditoribus, quos oro, ut pro me Deum etiãm deprecentur, ut in hac infirma & decrepita senectute uires mihi sufficiat, ad has Scholasticas operas, Ecclesiæ Christi & Reipub. summe necessarias faciendas, ut meus docentis, & uester discentium labor sit fructuosus ac salutaris in Christo Iesu Redemtore nostro, Amen.

Idib: Maij Anno 1569.

Vitus VVinsemius Senior. D.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS, S. D.

VSV & consuetudine multorum annorum receptum est, in hac Academia et plerisq; aliis, ut adolescentibus discendi artem oratoriam cupidis, initiò proponantur communissima Rhetorices præcepta, quæ breuiter complexus est duobus libris Philippus Melanthon, uir immortali gratitudine celebrandus: quod non eo fit consilio ut auditores à lectione optimorum autorum doctissimi eius seculi, in quo florut excellentissima, & perfectionem assequens oratoria ratio Isocratea, & Aristotelica, ad cuius imitationem Princeps latini sermonis Cicero, se totum composuisse fatetur, sed ut adolescentibus gustus exhibeatur eius artis, quam alij plenius tractarunt, & primis

quaſi rudimentis declaratis inuitentur imo iuuentur ſtudioſi ad legendos Ariſtotelis, Ciceronis & Quintiliani doctiſſimos libros, quibus eloquentiæ fontes continentur. Artis Rhetoricæ integram, & omnibus numeris abſolutam declarationem, ſi qui cognoſcere expetunt, ut omnes ſolidæ eruditionis ſtudioſos expetere decet, eos hortor ut initijs doctrinæ huius cognitis, ſe conferant ad Ciceronis de Oratore libros, quorum explicationem commodiori tempore Deo benedicente laboribus noſtris inſtituam, inprimis autem fontes totius artis qui deſiderant, aliquid operæ & ſtudij impertiant lectioni librorum Ariſtotelis, quibus Philoſophorum acutiſſimus, totam de ratione dicendi artem complexus eſt. Quicquid enim præcipi de hac arte poteſt, eruditè tribus libris Princeps humanæ ſapientiæ declarauit, in quorum primo, dicendi genera tria, explicatis ſingulorum propoſitionibus, conſtituit, horum demonſtrat fines & quomodo, quæ ad hos referuntur, muniri ac confirmari debeant, idq; non tantum argumentis ex arte deſumptis, ſed & rebus artificij expertibus, et quæ oratoris induſtria non parantur. In ſecundo uero libro accuratè animi commotiones indicauit, & erudita commemoratione hominum recenſuit mores, qui uariatis animi motibus, habitibus, ætatibus, ac uitæ conditionibus plurimum immutantur. Huic doctrinæ ſubiungit communes locos, unde erui argumenta, cum

uera tum adumbrata poſſint, quæ diuerſis actionum cauſis ſubſeruiunt. Tertium librum duabus partibus diſterminat, quarum priori complexus eſt ea, quæ ad ornatum orationis pertinent, poſteriori autem de orationum partibus diſputauit. Cum autem ad tyronum primam inſtitutionem minus ſint accõmodata hæc ſcripta, conſtitui de conſilio corũ, qui Academiæ gubernationi præſunt, redire ad explicationem uulgarium præceptorum Rhetorices, quæ à Philippo ſanctæ memoriæ in uſum ſtudioſæ uentutis conſcripta ſunt, & his breui commentatione addere, quibus iudicium adoleſcentiæ in hac arte rectè informari poterit, ut his abſolutis commodius auditores ad ueterum ſcripta, maiori cum utilitate traducere poſſimus. Inchoabo lectionem horum librorum, Deo uolente, cras hora conſueta.

P. P. XVII. Calend. Iunij.

Albertus Lemeiger Hamburgenſis.

ABRAHAM VVERNERVS MEDICINÆ DOctor & Profeſſor, Lectoris, S.

REuertente eo anni tempore, quo terra uerno tempore reuireſcens, nouo germine induitur,

tur, intermissis anatomicis, quæ hyemi magis conueniunt, reuertar ad amœnissimos Dioscoridis hortos, & à picturis plantarum, quas ille tradit simul ad αὐτοψίαν uiuarum imaginum ac præsentem rerum ipsarum contemplationem auditores deducam. Nam et per sese est μεταβολὴ γλυκεῖα, & ut in rebus alijs, sic in studijs temporis opportunitas commendat argumentum & curam discendi acuit, et si operæ condiantur atq; alleuentur liberali uoluptate dulcescunt. Enarrabo igitur hac æstate partem posteriorem secundi libri Dioscoridis, quæ discrimina habet ac descriptiones fructum, leguminum, olerum & uniuersim plantarum, quibus culinæ instruuntur ad usus necessarios, ac mensæ ornantur, & magna pars apparatus quotidiani constat. E frugibus panes pinsuntur, & excoquuntur diuersa potus genera, uini αὐτοῦ καὶ λόμβα in nostris terris, quæ duo præcipua pars sunt uictus quotidiani. Ex ijsdem, & leguminibus edulia, opsonia, pulmenta & sorbitiones conficiuntur: oleribus, ut herbis culinarijs atq; earundem seminibus & radicibus cum per se uescimur tum in acetarijs & pro condimentis utimur. In horum ergo delectu cum gulæ ac palato tantopere studeamus ac blandiamur: quantò rectius ualetudini consulemus, si naturis earum & uiribus exploratis, didicerimus, quæ cuiuis, quo ordine, et usu, quo ue tempore expediant. Consistit enim in harum dextro & accommodato usu præcipua pars eius Me-

dicinæ,

dicinæ, quam διαιτητικὴν uocant, quæ τῆς ὑγιεινῆς dextrum, τῆς θεραπευτικῆς sinistrum brachium iure censetur, cum absq; ea, nec præsentem tueri quis ualetudinem, nec amissam recuperare queat. Quare eam negligere ignauia est indigna homine, contemnere uero & barbarica feritas est & ingratitudo erga Deum, à quo & ad hominum utilitatem hæc tanta rerum fruendarum uarietas condita est, & præcipitur ut recte sobriè, moderate & cum gratiarum actione intentes rebus creatis, honore adficiamus corpora nostra. Est uero & ipsa per se harum rerum consideratio plena uoluptatis, nec potest non mirificè capere ac delectare liberales animos.

Cum autem Dioscoridis descriptiones sæpe mutile sint & imperfectæ interdum, ut in rebus uulgò notis prorsus omittantur, supplebo quæ deerunt ex Galeno et Plinio, et nostraria quæ hodie inusu sunt, nõ minore quam apud ueteres uarietate cũ antiquis conferam. Magnã enim uim esse cultus & artificij mangonici in topiarijs herbis, uariatæ mirabili diuersitate earundem rerum species & nouo quasi cultu exornatæ docent, quæ solertia hominũ inuenta & in usum adductæ, ad fastidia ciborum fallenda leuandaq; in ægris et irritandam gulam, ueteres latuerunt.

Etsi fatemur his quoq; suas illecebras & sua condimenta in usu fuisse, quæ temporum uicissi-

uicißitudine mutata aut abolita interierunt. Auſpicabor autem hunc Dioſcoridis librum poſtridie Cantate, qui ſextus decimus eſt Calendarum Iuniarum. Anno 1568.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NEmini quicquã debeatis, *præter dilectionem, præcipit Apoſtolus, atq; eſt dilectionis Chriſtianæ debitum perpetuum, quod ſemper debetur omnibus, inprimis autem conſortibus fidei,* Neq; perſoluendo, neq; præſtando hoc, *liberatur aliquis, ſed infinitam obligationem complectitur, ut ſemper hoc præſtari & perſolui oporteat, et nunquam liberari obligatione debitor poßit,* Inprimis *autem in benignitate ergà egentes et calmitoſos dilectio hæc conſpicitur, qua ſicut nunquam deſunt qui indigent, ita ſemper hanc petere à uobis neceſſe habemus, & hoc perpetuum debitum à uobis exigere.* Nota *eſt autem alumnis noſtris, & qui nunc primum ad nos commigrant, ijs in promptu eſt, uel ante oculos potius, unde diſcant, quæ pauperibus ſcholaſticis, & deſtitutis in quocunq; morbo ope & ſubleuatione atq; cura neceſſaria, his igitur quæ commoda procurauerimus, & procurare deinceps ſtudeamus, publicè conſtat,* Ea *uero neq; plenißime*

me, neq; quam plurimis præſtari, neq; omnino conſeruari poterunt, ſi non à ſe etiam ad hanc rem unuſquiſq; contribuat aliquid, Quod *tamen etiam ſi ſuppeteret tantum, quantum ad tantam congregationem opus eſt, fieri ab omnibus debebat, quod hæc dilectionis, quæ in largiendo pauperibus eminet, obligatio perpetua ſit, ut diximus, & ſemper ſint inter nos quam plurimi pauperes, & conſuli non tantũ in præſens ſed poſteris etiam, et quæ piè fundata ſunt, non tantũ conſeruari ſed augeri oporteat,* Vt *quod Deo placeat quodq; fieri à nobis uult ac poſtulat, id omni tempore & quam luculentißime præſtetur & quam plurimis benefieri poßit.*

Vt *autem adhuc ſunt noſtra, non tantum non abundamus, ſed hoc fit, quod uulgo dici ſolet, ut egens unus benefaciat egenti alteri, & aliquid potius, quam nihil in hoc genere à nobis ut fiat.* Itaq; *rurſus* Eleemoſynas τὴ ἀγαπὰς *ueſtras, indigentib. noſtris petimus atq; imploramus et circummittemus his diebus, qui ſolennẽ illam contributionem pietatis & benignitatis ueſtræ à uobis colligant.* Qui *diuites ſunt etiam exempla habent, quibus incitentur,* Illuſtrißimum *quidem,* Illuſtrißimi *Principis noſtri, qui* Quinquaginta *aureos penſionis annuæ ualetudinario noſtro donat, ſed & priuatorum hominum eximia, ampliſſimum Iuriſconſultorum collegium ad domum nouam ante portam coëmtam*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000281

coemtam contribuit aureos uiginti. Ex Gambriuijs autem unus ex ſcholaſticis aliquando noſtris uirtute & dignitate præſtans Vir, centum aureos.

Tenuiores autẽ ipſi ſibi tribuunt id quod contribuunt, quorum etiam pauca lepta non aſpernatur Dominus, ſicut uiduæ Euangelicæ, & multi pauca cum contribuunt: tamen ſic etiam aliquid colligitur. Sed rem totam uniuscuiuſq; pietati permittimus, & commendamus.

P. P. Die XVIII. Maij.

IN PRIVATAM DE ANIMA PRÆLectionem.

OMnium quæ in hominum doctorum diſputationibus uerſantur (doctrinam de Deo ſemper excipio) nihil eſt profecto præſtabilius, quam naturæ noſtræ conſideratio.

Etſi enim magnopere probo ſtudia eorum, qui philoſophantur de legibus motuum cœleſtium: aut herbarum, metallorum, & animantium naturas explorant: aut terram certis & firmis ſpacijs includunt: tamen omni aſſeueratione confirmare poſſum, eã Philoſophiæ partem maximè eſſe probandã, quæ de corporis humani fabricatione & de animæ natura grauiter & eruditè diſſerit.

Quid enim poteſt homini aliarum artium noticia, ſi ſe ipſum, hoc eſt, corpus & animam ſuam

aut omnino, aut magna ex parte ignoret? Quorſum attinet foris ſapere, & cœli plagas ac aliarum creaturarum naturas ſcrutari, nec uidere quid ſit in anima, aut in corpore, quod noctes & dies circumferimus? Tribuamus igitur & huic doctrinæ, quæ hominem deſcribit, aliquid ſtudij: Præſertim cum homo longè omnibus naturis corpore noſtris antecellat, nec quidquam homine dignus ſit, quam ſui ipſius cognitio & contemplatio. Quod enim homo præſtantiſſima creatura ſit ipſa deliberatio Dei in hominis creatione ſatis demonſtrat. Sic enim Moiſes æternam patrem filium & ſpiritum Sanctum loquentes introducit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et cum beſtiæ & plantæ ſolo Dei iuſſu ex terra & reliquis elementis extitiſſent, homo à Deo ipſo effictus atq; formatus eſt, miranda arte atq; ſapientia, eiq; ſpiraculum uitæ halitu diuino inſpiratum eſt.

Etſi autem tota rerum fabricatio teſtimonium eſt de Deo, ut uerißmè Paulus dixit, inuiſibilia Dei æternam ipſius potentiam & ſapientiam ex uiſibilibus mundi operibus cognoſci.

Tamen nullum euidentius ſignum diuinitatis eſt quam natura humana, in qua miranda corporis fabricatio, & ſingularum partium ſubſtantia figura, poſitus, temperamentum, functio,

ſunctio utilitas, deniq; mens ipſa, & noticiæ diſcernentes honeſta & turpia, omnium maxime teſtantur, eſſe Deum *mentem æternam, conditricem, & conſeruatricem omnium rerum, curantem genus humanum, approbantem honeſta, & puientem ſcelera. Sunt & hæc ingentia ſigna atq; argumenta præſtantiæ ac dignitatis naturæ humanæ:* Quod *homo finis eſt omnium rerum creatarum, ſicut uerißime dixerunt Stoici:* Omnia naſci hominum cauſa, Hominem vero propter DEVM: *Quid? quod diuinitus homini conceſſum eſt,* Dominum *in omnia animantia?*

Cum enim in tota natura hic ordo inſtitutus ſit, & conſtantißime ſeruetur, ut inferiora præſtantioribus pareant & obediant, eorumq; ductum & auſpicia ſequantur: Neceſſe *eſt fateri,* Tanto hominem anteire cæteras res creatas, quanto Dux militc, & Dominus ſeruo maior est.

Omnium autem ſignorum, quæ dignitatem hominis oſtendunt, maximum & euidentißimum eſt: Quod *non ſolũ imago eſt* Dei, *ſed etiã illud opus, in quo* Deus *uoluit uerè delectari,* Ideo *enim poſt hominem conditũ egit* Deus Sabbathum, *ut ſignificaret, hominẽ eſſe ultimum opus, ad quod præcipue directa ſuerit opificis deliberatio, & in quo, tanquam in templo, & domicilio ſuo, habitaturus ſit.*

Hæc argumenta, quæ ingentem hominis dignitatem & excellentiam ſignificant, ideo nunc breuiter repeto, ut intelligi poßit, quã præclarum ſit in dulciſsima Philoſophiæ parte, de hominis fabricatione, & animæ natura aliquid operæ & ſtudij ponere.

Si enim digna eſt bonis mentibus cognitio gemmarum, metallorum, plantarum, animantium & motuum cœleſtium, poſſumus ne dubitare, quin multo magis ſit expetenda cognitio naturæ humanæ quæ eſt inter omnes creaturas præſtantißima & pulcerrima?

Etſi autem in publicis prælectionibus Vir Clariß. & Doctiß. Profeſſor *doctrinæ* Phyſices, *hanc ipſam* Philoſophiæ *partem magna cum laude & fructu ſtudioſorum proponit:* Tamen *ut ad lectiones publicas plures inuitentur præparentur ac conſtituí in uſum eorum, qui meæ fidei ſunt commendati, breuem & perſpicuam enarrationem dulciſsimi libri de* Anima *deinceps priuatam proponere.*

Si qui igitur meis priuatis auditoribus ſe adiungere uolent, hi ſciant meam operam ipſis promptam ac paratam fore.

Ordiar autem ad diem Mercurij *proximam hora* Nona, *quæ erit menſis Maij* 19. *dies.*

Chriſtophorus Pezelius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

TAm multa iam sunt edicta proposita ab antecessoribus nostris, ne uallum ascendant scholastici, & in hoc ne obuersentur, ut uerba non reperiamus, quibus hæc causa nouum ad modum agatur, Quia tamen defertur ad nos ne sic quidem hanc uel contumaciam malorum, uel leuitatem incogitantium quorundam reprimi, necesse habemus denuo de hoc edicere. Scitis in officijs inquilinorum esse ne sint curiosi in aliena Repub. & laudatur in tota uita, esse sui negocij bene gerentem, quod qui præstant nimirum alienis non inhiant, Nostrum igitur ordinem qui magister officiorum alijs esse debet, & cuius præcipua opera in his docendis & discendis ponitur, & ponenda est, hac in parte notari posse turpe est, studiorum etiam pietatis & doctrinæ occupationes in nostris, & interuertere & auertere hanc curiositatem debebant, quæ ijs quibus cordi sunt tantum afferunt negocij sui, ut alienorum facilè obliuiscantur. Quod si uero deambulationum et spatiationum locus quæritur, ita multi sunt alij et cõmodiores & amœniores, ut æquo animo unusquisq; à uallo abstinere possit, Et facile intelligitur ab unoquoq; qui cogitare tantum uoluerit, quantum non modo deformitatis, sed periculi etiam & mali complexura res esset, si hic locus ad expatiationes omnibus permitteretur. Hæc ijs qui sunt ingenijs

genijs liberalioribus præditi dicimus, apud quos & efficacitatis aliquid habitura dubitare non possumus, facile enim aliquis bonos sibi persuadendo conciliat λέγων ἐυ, Secundum sententiam uersus ueteris, Qui uero hac humanissima commonefactione nostra non mouentur, eos primum hoc monemus, si aliquando ab alijs cum minus humana aut liberali compellatione, quam qua nos nunc utimur, è uallo discedere iubeantur, ne id ægrè ferant. Deinde ijsdem hoc prædictum uolumus, ubi res ad nos delata fuerit, ita ut debebimus in tales nos animaduersuros esse, siquidem aliter hæc uel contumacia, uel leuitas in aliquibus compesci non poterit.

IN ENARRATIONEM TRAGŒDIÆ SOPHOCLIS, cui Titulus est Oedipus Tyrannus.

CRas, Deo clementer iuuante, hora octaua, aspicabimur enarrationem Tragœdiæ Sophoclis, cui titulus est Oedipus Tyrannus, Ea apud homines doctos et ingeniosos præ alijs laudem habet, propter indignos atq; horribiles casus, in quos uir alioqui bonus, ingenio præstanti præditus, uirtutisq; et honestatis amans, non uolũtate sua, sed quasi fatali ui, et per ignorationẽ impellitur, Talia exẽpla præcipuè in hominibus timorẽ Dei excitare solent, cũ uidemus uiros magnos et præstãtes prius ad summa

rerum faſtigia euectos, deinde ſubito & terribili caſu præcipites ruere & funditus euerti, ut manifeſtè appareat, eam ultionem & uindictam diuinam eſſe, Non enim temerè neq; caſu iſta accidunt, & uidimus ſimilia exempla noſtris quoq; temporibus, quæ nobis debent eſſe documenta timoris Dei & modeſtiæ. Nam hæc conſiderare ſalutare eſt, ut Deum timere, nos ipſos contrahere, & rebus humanis neutiquam fidere diſcamus. Qui has artes tenent hi non facile iſtis terribilibus & Tragicis caſibus opprimuntur. Et quamuis in genere uniuerſa Tragœdia hanc præcipuè doctrinam tractat, pinguntur tamen in quibuſdam fabulis illuſtriores imagines. Quod uerò ad lumina orationis attinet, & multiplicem doctrinam & ſententiarum grauitatem atq; acumen non alium et hæc Tragœdia q̃ Sophoclem autorem profitetur, cuius oratione uix quidquam eſt in uniuerſa Græca lingua & doctrina illuſtrius, grauius, & uenuſtius. Offert hæc diſcentibus locupletiſſimum theſaurum ſententiarũ, apophthegmatum, & dogmatum in omni genere uitæ ſalutarium, unde diſcentes plurimas ceu præcioſas gemmas colligere, ſuoq; in theſauro recondere poſſunt. Talia dicta deinde opportunè, & in loco promta reuera ſunt, quod ſapientiſſimus Rex dixit, aurea poma in argentea paropſide.

Præterea decreuimus etiam ad diem Veneris proximum Deo auxiliante, auſpicari prælectionem Iliados

Iliados Homeri eæ, de qua quid multa dicere attinet, cũ nihil à nobis tàm magnificè dici queat, quin innumerabiles huius Poetæ uirtutes id longè ſuperent. Homerus enim fons eſt omnis liberalis doctrinæ, & non tantum exactiß. exemplum, ſed et norma atq; Canon totius rationis dicendi, atq; omnis eloquentiæ, quantacunq; in homine eſſe poteſt, parens. Nam cum uniuerſam philoſophiam antiquitus in tres partes diſtribuerint homines docti et ingenioſi, in omnibus his explicandis Homerus ſummum decus & primariam laudem obtinuit. Phyſica enim ab eo multis in locis fœliciſſimè tractantur, neq; quiſquam non tantum præcipuas res & negocia humana, ſed & ipſam naturam hominis eiuſq; adeò intima penetralia ita detexit, aperuit, illuſtrauit, & ob oculos poſuit, ſicut Homerus, Iam in dicendi artibus nemo unquam tàm impudens Zoilus exortus eſt, qui palmam Homero præripere potuerit. Doctrinæ uerò de moribus, quam ἠθικὴν uocant, nullus ulla ætate præſtantior Magiſter extitit Homero, uicit hic omnes in hoc genere doctrinæ omnium profeßionum et ſectarum philoſophos, id quod etiam Horatius teſtatur:

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicit.

Proinde, optimi auditores, ſi hoc tempore ueris, in hortos amœniſſimos deduci & expaciari

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000285

lubet, si uobis corollas ex flosculis Homericis & Sophoclis nectere cupitis, quibus non tam capita, quam partem uestri præstantiorem, nempe mentem ornetis, Huc adeste, hi nostri horti uobis suppedi-tabunt immensam copiam, uarietatem atq; ubertatem florum diuinum odorem spirantium. Nam hic omnino studiorum nostrorum ratio est, hic salutaris modus discendi, ut uelut apiculæ diuinum succum doctrinæ ex optimis scriptoribus colligamus, sicut Lucretius inquit:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima uita.

Æternus & clementissimus Deus consilia, studia, & omnes actiones uitæ nostræ spiritu suo sancto regat, & dirigat ad gloriam æterni nominis sui, & ad gloriam nominis Domini nostri Iesu Christi, per Christum Amen.

P. P X. Calend. Iunij.

Vitus Ortelius VVinshemius
Senior Medicinæ D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ETsi omnibus ætatibus uagantur horribiles pœnæ per genus humanum, quæ de ira Dei aduersus

sus peccata omnium hominum concionantur: tamen tantus est multorum stupor & improbitas, ut nullis exemplis ad timorem Dei, & seriam pœnitentiam flecti possint.

Recte quidem illud à sapientibus quoq; Ethnicis dictum est: ὁ θεός ἐστι θεός, ἀλλὰ ξυμφορὰ. *Sed pleræq; calamitates & miseriæ humanæ, etsi accidere possunt singulis: minus tamen percellunt securas mentes quam mortis quotidianæ conspectus, quæ uniuersorum atq; singulorum ceruicibus quasi saxum Tantalo semper impendet, omnibusq; sic parata & definita est, ut nec euitare eam cuiquam, nec præscire horam eius liceat. Sola igitur mors & carcer impiorũ est, frenans ipsorum cupiditates iniustas atq; petulantiam, &* παιδευτήριον *est piorum, qui de causis mortis edocti diuinitus uerè timent Deum, & seria conuersione animorum, petunt se recipi in gratiam propter mediatorem, protegi etiam atq; seruari, cũ in huius uitæ mortalis assiduis periculis, tum in morte quoq; ipsa, quæ cum transitus sit pijs ad beatam illam cœlestemq; uitam perpetuam, non tam fugienda est, quam expetenda. Hac se consolatione & spe toti morbi tempore sustentauit atq; erexit Vir doctus et honestus, Valentinus Vuendlerus Penicensis, qui heri sub occasum solis placidè in inuocatione filij Dei, mediatoris nostri Iesu Christi expirauit, postq̃ diuturno uentris fluxu & febre lenta consumptus esset.*

Cumq; autem grauißimæ cauſſæ ſint propter quas in Eccleſia potißimum retineri, & cum frequentia quadam celebrari funerum ceremonias deceat, non ut ſint inania ſeu pompoſa ſpectacula, ſed ut de cauſis mortis & ingentium miſeriarum humanarũ de reſurrectione mortuorum, de uenturo iudicio, & uita æterna nos commonefaciant: Hortamur ſcholaſticos, *ut hodie Hora III. ad piam funeris deductionem ante ædes* Reuerendi Viri D. *Magiſtri Sebaſtiani Froſchelij Archidiaconi huius* Eccleſiæ *conueniant, ibiq; & de communib. periculis, quæ toti Europæ atq; adeo Eccleſiæ & ſtudijs potißimum impendent, deinde uerò et de ſuis ſinguli cogitent, et mitigationem pœnarũ à Deo uera pietate animorum petant & expectent.*

P. P. Pridie Vrbani Anno 1568.

IN SECVNDVM LIBRVM ETHICES D. PHILIPPI Melanthonis.

EXtat apud Platonem in Dialogo, qui inſcribitur Protagoras, *uenuſtißima narratio, quæ oſtendit, quàm neceſſaria ſit iuſticia, de qua deinceps,* Deo *iuuante in ſecundo libro* Ethices, *quem hodie ordiemur, diſſerendum nobis erit.*

Cum enim homines ad ciuilem coniunctionem, congregationemq; nati, propter iniurias, quibus ſeſe

ſeſe mutuò afficiebant, rurſus diſſiparentur, Iuppiter metuens generi noſtro, ne penitus extingueretur, miſit in terras Mercurium, qui adduceret VERECVNDIAM & IVSTICIAM, *quibus ſimul & ornarentur & continerentur ciuitates in amicitiæ coniunctione.*

Petijt autem Mercurius doceri ſe, quo nam pacto conferre deberet illas hominibus: Vtrumne inquit ita diuidere me oportebit, ut artificia diuiſa ſunt? Sic autem diuiſa illa ſunt, ut unus qui Medicinam profitetur multis alijs imperitis uſui eſſe ſoleat. Similiter & aliarum artium opifices. Ergo iuſticiam & uerecundiam, ita ne hominibus tradi uis? an proponi uniuerſis? Vniuerſis inquit Iupiter, proponi & copiam fieri harum uolo. Non enim ſtare ciuitates poſſent, ſi his pauci potirentur, ut fit de alijs artibus. Quin etiam hanc à me illis legem feres, ut quicunq; à Iuſticia & Verecundia alienus repertus fuerit, is tanquam peſtis ciuitatis ſuæ interficiatur.

Hanc narrationem Platonis prodeſt ſtudioſis notam eſſe, quia eruditè docet, uniuerſæ ſocietatis humanæ non ſolum ornamenta præcipua ſed etiam uincula neceſſaria eſſe Pudorem & iuſticiam, quarum uirtutum arctißima eſt & indiſſolubilis copulatio. Deinde non uni aut alteri, ſed omnibus & ſingulis has uirtutes neceſſarias eſſe oſtendit, ac pœ-

nas non ſolum Magiſtratuum, ſed etiam Dei uindicis minatur uiolantibus decus pudoris & ordinem iuſticiæ.

Etſi autem propter improbitatem & ſcelera hominum poetæ eleganter finxerunt iuſticiam terris expulſam eſſe, ſicut Aratus inquit, Aſtræam crescentibus uitijs euolaſſe in cœlum, ubi nunc cœli ſortita locum eſt, quo proximus illi Tardus in occaſum ſequitur ſua plauſtra Boëtes: Tamen ſciamus adhuc concionari iuſticiam in genere humano, cum libris diuinis, tum in Philoſophorum & Iuriſconſultorum doctrina. Cumq; hæc ipſa uox iuſticiæ uerè diuina ſit, nequaquam uel deleri uel opprimi unquam poteſt.

Et hanc etſi multi ſarenter contemnunt, tamen ſemper audiet Eccleſia, cuius cum præcipua pars ſint Scholæ honeſtæ, in quibus doctrina de Deo & alijs rebus bonis ſonare perpetuo debet, nihil magis Scholaſticos decet, quàm placidè audire, iuſticiam concionantem, & ſingulari ſtudio diſcere ea quæ uox diuina & uera Philoſophia de honeſtis officijs & iuſtis actionibus ſeriò proponit. Noſtri uerò præceptoris Philippi ſanctæ memoriæ, libellus eo gratior ſtudioſis eſſe debet, quod non tantum florem pulcerrimum decerpit ex diſputationibus Philoſophorum de iuſticia, quas prudenter et ſobriè ad doctrinam Eccleſiæ accommodat: ſed etiam de alijs multis materijs, quæ iuſtum præbent doctrinæ amplißi-

amplißimæ Iurisconſultorum, ſuauiter & erudite diſſerit.

Nam de diſcrimine Iuris naturalis & poſitiui, de ſummo Iure & ἐπιεικείᾳ, de delictorum gradibus de politica & Eccleſiaſtica poteſtate, de præcipuis ſpeciebus contractuum, & de alijs utiliſſimis quæſtionibus, quarum in uita communi uſus quotidianus eſt, dulciſſimè in hoc libro, poſt definitiones & diuiſiones iuſticiæ philoſophatur.

Quare ſtudioſos hortor, ut ſecundi libri Ethicorum lectionem ament & magnifaciant: In cuius enarratione ſtudebimus iuſta, uera, & diſcentibus utilia proponere. P. P. Menſe Maio. 1568.

Chriſtophorus Pezelius.
Plauenſis Profeſſor
Publicus.

NEceſſariæ ſunt imprimis præceptiones aſſiduæ de uita & moribus in ſcholis publicis, neq; ſine his ullæ eſſe poſſunt Philoſophiæ exercitationes, Itaq; in publica doctrina hoc ab antiquo conſtitutum eſt, ut ſit aliquis cuius opera quaſi ars quædã uitæ, quam ἠθικὴν nominamus, traditur. Ad hanc rem, ſicut aliæ Academiæ, ita noſtra etiã Ariſtotelis libris utitur ijs, quos de moribus ſcripſit ad Nicomachum filiũ, et ſi aliqui Nicomachum ipſum autorem horum

horum faciunt, in quibus libris multa aliter, et plæraq; fusius explicantur, quã in ijs qui magna ethica inscribuntur. Atq; in hac parte Aristotelem magistrum sequi rectissimum fuerit, qui ut in Physicis sic in ethicis etiam superare priorum commentationes conatus est, et in his quædam correxit, quædam explicando locupletauit. Socraticas quidem disputationes non obscurè ostendit emendatione indigere, Platonica autem, etsi maiore quasi dignitate prædita sunt, Aristotelica tamen & argutiora & explicatiora sunt, minusq; euagantur, & quod in disciplina scholastica maximè præstandum est, uiam atq; rationem artis seruant. Mea uero opera cùm hactenus occupetur in Physicis docendis, in præsentia ei hæc altera adiungitur, ut indicatos libros ethicorum Nicomachiorum publicè prælegam, cũ Socrates ut moralibus uacare posset, Physica studia penitus omiserit. Sed refragari has operas mandantum uoluntati non debui. Itaq; deinceps, ut fieri hactenus consueuit, singularum hebdomadum die tertia, id est, Mercurij diebus, horam pomeridianam tertiam huic explicationi dabo.

Ad diem tamen Mercurij proximum hanc horam nostram anticipando transferemus in matutinam nonam, quòd pomeridianis horis loca doctrinæ huius alijs operis occupari oporteat, & tum præfabimur quædam de hoc genere studiorum & ad

ad moralem philosophiam pertinentibus rebus, itaq; breuiores sumus in præsentia.

Esromus Rudingerus Pabebergensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

PHilosorgi omnes experiuntur, quàm sit uerũ utrumq;, & quod apud Euripidem dicitur, οὐδὲν οὕτω λαμπρόν, οὐδ' ἥδιον καλόν, ὥς τοῖς ἅπασι καὶ τοῖς πόλει δεδηγμένοις, παῖδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος, & quod exempla docent, quantus sit dolor è conuerso omni sobole orbari, mascula præsertim, Ac secundum Menandrum, ἔχειν ἔρημον διαδοχόν τινα οἰκίαν. Verumq; quarto iam experitur ingenti cum dolore Vir doctissimus Magister VLRICVS MEISNER, qui hodie Quarta hora sobolem quartam, filiolum ante octiduum natum, & hac nocte pituita suffocatum, cum pleniore esset ac succulentiore corpore, sepeliet, hac in parte multis alijs infelicior, quod nullius ex natis sibi liberis, complexu & osculis ultra puerperij tempus frui potuerit. Eius luctu & mœsticia afficiamur ac leniamus ei dolorem consolando & alijs officijs. Certior autem & efficacior consolatio nulla extat, quam

quàm quæ proponitur dulciſſima uoce filij Dei, qui blandiſſimè inuitat ad ſe paruulos, cùm inquit, Sinite paruulos ad me uenire, talium enim eſt regnum cœlorum. Non dubitet ergò filiolum iam in hærere oſculis & amplexui filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti in cœtu beatorum. Nos & alijs rebus & officio deductionis, cum funus efferetur, ſocietatem noſtri luctus declaremus, & oremus Deum ut in his tantis inſidijs, & tanta ſæuicia Diaboli & impiorum nos uerè orphanos, & omni deſtitutos præſidio humano clementer aſpiciat ac tueatur. P. P. Die Aſcenſionis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVÆ ſingulis annis commoneſactiones & edicta proponi ſolent de periculis in quæ ſe conijciunt ij, qui in præterfluente Albi lauant, & ne hoc faciant ſcholaſtici: ea nos in cura & ſolicitudine paterna de noſtris, hoc etiam noſtro magiſtratu, & in caloribus horum dierum, qui ad lotiones tales adoleſcentes alliciunt, repetere oportet. Quod ſi conſumaretur numerus eorum, qui ab initijs fundatæ Academiæ ad hæc uſq; tempora in Albi dum lauant miſerabiliter ſuffocati ſunt, ipſa multitudo, et recenſio talis ſola, efficaciſſima eſſe poſſet ad reprimendã hanc lauandi cupiditatem, nobis quidem

dem, quæ nos intra paucos annos triſtiſſima in hoc genere ſpectacula uiderimus, memoria repetentibus, cogitatio ipſa de his horrorem affert & perturbationem ingentem. Sed præter præſentiſſimum mortis periculum (neq; enim huius noſtri fluminis alueus & aquæ pleriſq; cæteris ſimiles ſunt) etiam iam ſæpe ualetudini eſſe lotiones tales contrarias, edocti ſunt noſtri, & natationum exercitia non eſſe Muſica, & ordinis noſtri ſed Martia et bellica atq; nautica, quæ omnia ſunt à ſcholaſticorum uita atq; profeßione, ut Euripidis uerbo utamur, παρά μοσον. Quantum autem argumentando & edicendo ad barbaros & contumaces animos hac in parte proficiatur, res docet, & comperimus his diebus, quibus æſtus ingraueſcere cepit, magno numero excurriſſe ad lotiones in Albi ſcholaſticos, et quoſdam ex his ætate etiam puerili. Itaq; in tanta contumacia noſtrorum, & periculi magnitudine, oratione etiam et animaduerſione triſtiſſima et uehementiſſima uti neceſſe habemus. Etſi hæc etiam de iampridem promulgatis publiceq; propoſitis decretis Academiæ repetimus. Omnino igitur ſcholaſticos à lotionibus et natationibus in Albi abſtinere uolumus, et prorſus ut abſtineant, exemplo maiorũ, et de ſententia conſilij publici mandamus atq; edicimus. Quod ſi qui iam contra hoc et magiſtratus ſui & paterni magiſtratus edictum lauare ibi deinceps audebunt, ij ſciant ſe in Dei æterni et hominũ iuſtam iram & pœnas incurrere.

Itaq;

Itaq; contumacibus illis & contemtoribus magistratus & edicti huius nostri iram Dei denunciamus, quã hoc ipso facinore suo irritant, & si hæc eos abripiat, & permittat ut in aquis suffocentur, id quod propicium Deum ut benignè auertat, supplicitèr oramus, si quid tamen ipsis accidat, eo loco tales habebimus, quo in Repub. habentur, qui ipsi sibi manus inferunt, et ad uiuos eos accusabimus mortuos, neq; ullo funeris honore afficiemus. Quicunq; etiam conuicti quoquo tempore fuerint, quod contra edicta Academiæ in Albi lauerint, eos ad nullos honores scholasticos admittemus neq; ullis unquam rebus aut testimonijs nostris ornabimus, cum & disciplinam publicam contemtu legum & edictorum nostrorum labefactent uel conuellant potius atq; euertant, & exemplo suo omnibus noceant, quibusdam etiam mortem & interitum afferant.

Hoc scire omnes uolumus, ut caueat sibi unusquisq;, & nos in omnem euentum ad Deum & homines simus excusati, qui quid amplius facere aut præstare possimus ad tantum periculum à nostris auertendum non habemus.

P. P. IIII. Non. Iunij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

AD

AD diem crastinum Hora XII. parentare constituit communi præceptori Domino PHILIPPO MELANTHONI, Clariss. Vir & Poeta, D. IOHANNES MAIOR Ioachimus, qui ut iampridem Deo & religioni ueræ dedicauit atq; consecrauit facultatem in hoc genere suam, quam habet eximiam, & ueterum præstantia minimè inferiorem, ita hanc etiam commemorabilis pietatis operam præstant Musæ ipsius, ut ad Deum & homines celebrent merita erga Ecclesiam Christi, Rempub. & bonas artes & inprimis erga hanc scholam, summi uiri D. PHILIPPI MELANTHONIS cui rei quotannis sibi sumere consueuit hactenus diem eam qua uir ille ex hac uita euocatus, in alteram hinc ad Deum, & quietem fidei migrauit, aut ex proximè eam diem sequentibus aliquam. Cumq; obtrectare huic pietati auderent intempestiui quidam sapientes, ipse tamen constantissimè in officio perseuerauit, & facti sui rationes etiam edere ad illud nugatorium & improbum genus non dubitauit, & quidem eiusmodi, ut pudere & pœnitere illos notatores reprehensionum suarum posßit & debeat.

Hoc autem anno, quo celebratio hæc atq; parentatio producta est, & dilata diutius, eò maiore quasi cum fœnore diuinæ musicæ illius representabitur, ut confidimus. Et quia nemo uiuo Melanthoni, & nunc post mortem, sanctissimæ animæ

ipſius, & quæ poſt ſe in terris reliquit, ſcriptorum ipſius ſalutaribus monumentis atq; fideliſſimis laboribus malicioſius, & acerbius atq; impudentius hactenus obtrectauit, atq; nunc etiam obtrectat quam Flacius Illyricus, & quam hic ſibi ad turbandum in Eccleſia Chriſti & Repub. factionem conciliauit, neq; quietem ei, qui ſanctiſſimè uixit, & mortuus eſt, concedit. His igitur de cauſis ab hac etiam parte propugnationẽ in præſentia inſtituit Poeta noſter pro Melanthonis nomine, cuius celebratio commemoratio eſt maximorum donorum, quæ propicius Deus ad ſalutem hominũ & Reipub. per orbem penè terrarum, huius uiri pietate, ſapientia, doctrina, & uirtute adminiſtra, Largitus eſt. De quibus ut opt: Paetæ opt: & numeroſiſſimos uerſus audiant, ſcholaſticos & cæteros noſtros uniuerſos hoc ſcripto ſignificationis publicæ noſtræ inuitare, atq; conuocare debuimus.

P. P. Die Pentecoſtes Chriſtianæ.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

PENTEcoſten numeramus, ac celebramus hanc Milleſimam, Quingenteſimam, triceſimam quartam, ab effuſo in Apoſtolos cœlitus Spiritu

ſancto, cuius miſsio fuit prima ab Aſcenſione in cœlos Domini noſtri IESV CHRISTI uiſibilis teſtificatio, cum æterno regno & Sacerdotio Chriſti exaltati ad dexteram patris, tum de admiranda collectione, gubernatione, ac conſeruatione Eccleſiæ exerpendæ in hac uita ex diſperſo paſſim genere humano, ac condendæ non ui aut armis, ſed uoce Euangelij & Spiritu ſancto.

Inter eam & primam ueteris teſtamenti Pentecoſten, qua repetita eſt & promulgata lex DEI in monte SINAI, interceſſerunt anni mille, quingenti & quadraginta duo. Paucis annis itaq; periodus Pentecoſtes noui teſtamenti deficit à ueteri. Cumq; ut initia congruant, ſic terminos etiam non longo interuallo diſcrepaturos eſſe conſentaneum ſit, ſperamus non procul abeſſe finem rerum, & appetere tempus glorioſæ liberationis noſtræ. Ad eam interea nos præparemus & inſtruamus ceu uiatico certo atque expedito uera Dei agnitione, ex aſsidua tractatione ac meditatione doctrinæ patefactæ, & ſpe atq; expectatione certa uitæ melioris, fiducia mediatoris IESV CHRISTI. Vult autem agnoſci Deus et inuocari ſicut ſe patefecit per filium, quod cum non ſemel, nec uno modo, nec uno in loco factum ſit, etſi idem ubiq; DEVS oſtenditur, tot, ac tam admirandas patefactiones humanæ imbecillitatis cauſſa editas eſſe, & ad

has mentes hominum diuina uoce deduci atq; alligari sciamus, ne uagentur & aberrent speculationibus alienis, & DEVM alibi extra uerbum patefactum quærant.

Has cogitationes adferamus ad doctrinam de patefactionibus diuinis, sitq; ardentior inuocatio & gratiarũ actio, his præsertim diebus, quibus proponitur in Ecclesia memoria & doctrina de patefactionibus in promulgatione Legis, & missione Spiritus sancti. Ingens omnino beneficium est, quod DEVS ipse inter sexcenta millia uirorum legem sua uoce renouauit, & typis cœlestibus expressam, illustribus quidem, sed planè terribilibus iræ seuerissimæ aduersus peccatum, & immutabilis iusticiæ suæ testimonijs sanciuit, ut ex ea ceu norma æternæ sapientiæ, atq; immotæ iusticiæ, quæ in ipso est, palàm fieret, & indubitato constaret generi humano, qualis sit DEVS, & quos cultus exigat ac probet, & ad hunc finem, quod conditum sit genus humanum, ut fiat conforme legi. Estq; tradita lex manu mediatoris, οὐχ ὑπὸ μώσεως, ἀλλὰ ὑπὸ μέσου τοῦ λόγου, διὰ μώσεως ὃς τοῦ θεράποντος αὐτοῦ. De Filio enim id intellexit uetustas, qui alloquitur populum, & constitutus est mediator, ut legem impleat, quod fecit & facit propria obedientia, deriuando in se pœnam, restituendo in nobis iusticiam & uitam æternam, & sanciendo, sicut dicit: Non ueni soluere

uere legem etc. Amplissimam et plane inexhaustam sapientiam hæc promulgatio complectitur. Quare pia & sobria meditatione inuestigantes muniamus animos aduersos Antinomorum deliramenta, Cyclopum furoribus similia, quorum alij legem Dei contemnunt ac nihilo magis ratam esse putant, quã Laconicas leges de ferreo nummo, et ne raderet Lacedæmonia μύσακα, alij nolunt doceri legem moralem in Ecclesia, & fingunt omnes suos impetus esse motus Spiritus sancti, nec uolunt gubernari lege DEI. Absit procul à nobis illa prophanitas, & discamus quid sit lex DEI, & quis sit eius usus. Deinde & doctrinam adiungamus de filio mediatore, & de Spiritu sancto, quam hoc festo Pentecostes Ecclesia recolit. Colligamus testimonia, et de essentia, & de officijs Spiritus sancti, quæ & in inuocatione, cum petimus auxilium Spiritus, intueamur, & quoties opus est opponamus furoribus πνευματομάχων, qui Spiritum sanctum negant esse natura DEVM, nec uolunt patri & filio coæternum esse, aut de essentia esse Patris & Filij: Sed contendunt nomen Spiritus sancti in scriptis sacris significare aut patrem ipsum agitantem, ut SABELLIANI, aut agitationem creatam in animis.

Etsi doctrina, quæ affirmat tres esse personas diuinas ὁμοουσίους, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, cum sit procul supra & extra conspectum

omnium creaturarum posita, ualde offendit & conturbat prophana ingenia: tamen necesse est nos de DEO sentire, sicuti se patefecit, iuxta mandatum æternum & immotum, de filio: Hunc audite. Huic mandato obtemperemus, et ut PAVLVS inquit, redigamus mentes in captiuitatem et obsequiũ DEO, ac testimonia perspicua amplectamur, nec sinamus ea sophisticis cauillationibus eludi. Ita autem patefactus est Spiritus sanctus, quod sit tertia persona diuinitatis procedens à Patre et Filio. Sitq; substantialis amor et lætitia coæterna inter Patrem & Filium, quæ persona mittitur in corda credentium ut, quod nomen indicat, τὸ ἅγιον πνεῦμα, sit sanctificator, sit uelut flamma accendens motus tales, amorem & lætitiam in DEO, qualis ipse est & esse declaratur in Iohanne, & mittitur ut adsit ministerio Euangelij, & per hoc sit efficax, sicut 2. Corinth. 3. Euangelium nominatur ministerium Spiritus. Ad hanc descriptionem conferamus testimonia patefactionum, quæ ostendunt Spiritum sanctum esse ὑφιστάμενον distinctũ à Patre & Filio, sed utriq; ὁμοούσιον καὶ σύναϊδιον, sicut sensit tota antiquitas orthodoxa. Maxime illustris facta est patefactio totius diuinitatis in baptismo Christi, ubi clarè discernuntur tres personæ. Huic addatur et baptismi forma et exhibitio, facta in Pentecoste, in qua euidenter Spiritus sanctus discernitur à Patre & Filio, quia Filius antea dixit: Rogabo Patrem

Patrem & alium paracletum dabit uobis. Hæc igitur persona, quæ in Pentecoste conspicitur & insidet Apostolis, est persona distincta à Patre & Filio. Cumq; remittat peccata, sicut forma uerborum baptismi testatur, & Christus ipse, inquiens: Accipite Spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittentur eis, Et sanctificet ac uiuificet. Verus ergo Deus est & omnipotens. Forma baptismi quam Filius Dei ipse instituit, iubens baptisare homines in nomen, id est, agnitionem & inuocationẽ DEI, Patris, Filij & Spiritus sancti, recipit tertio loco Spiritum tanquam à Patre & Filio discernendum. Ergo non est aut Pater ipse, aut Filius agitans aut agitatio creata. Cumq; doceat pariter inuocare Spiritum sanctum cum Patre & Filio, pariter tribuit ei omnipotentiam. Et cum alium paracletum nominat quem se missurum promittit à Patre, Spiritum ueritatis, qui à Patre procedit, perspicue discernit Spiritum sanctum à se & à Patre. Quod sit autem de essentia Patris & Filij, ostendunt & hæc testimonia, & quod uocatur πνεῦμα θεοῦ καὶ πνεῦμα κυρίου καὶ πνεῦμα χριστοῦ καὶ πνεῦμα ἀληθείας, ὅπερ ἀπὸ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται. Sunt enim hæ appellationes propriæ personæ Spiritus sancti, demonstrantes simul mentionẽ Patris et Filij, unde essentiã diuinam habeat, nimirum à Patre & Filio, οὐ κτίσως, ut creaturæ, οὐδὲ γεννητῶς, ut Filius, ἀλλ' ἐκπορευτῶς. τὸ γὰρ ἐκπορευτὸν οὐσίας

οὐσίας ὄνομα, ἀλλὰ ἀφορισικόν ἐστι τῆς ὑποστάσεως τὸ πνεύματος, ἢ τρόπος ὑπάρξεως διασημαίνει. Ideirco has discerni oportet ab appellationibus officij, ut cum nominatur paracletus, & ab effectibus in sanctis seu à donis creatis, quæ confert & distribuit credentibus, à quibus nominatur πνεῦμα ἁγιοσύνης, δυνάμεως, ἁγιασμοῦ, σωφρονισμοῦ, ζωῆς, πραότητος, πίστεως προφητείας, σοφίας. Vocatur & κύριος sicut Pater et Filius, à Paulo Apostolo 2. Corinth. 3. Ἡνίκα δ' ἂν ἐπιστρέψῃ πρὸς κύριον, περιαιρεῖται τὸ κάλυμμα, ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστί. Vbi Apostolus & effectorem discernit à hac in nobis creata. Transformamur tanquam à Domini Spiritu. Et 2. Thessal. 3. antiquitas τὸ ἀφορίζε nomine intellexit Spiritum sanctum, cum Pater et Filius distincte nominentur, ὁ δὲ κύριος κατευθύναι ὑμῶν τὰς καρδίας εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ καὶ εἰς ὑπομονὴν χριστοῦ. Et 1. Ioh. 5. perspicue discernũtur personæ tres, Τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ ὁ λόγος καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον. Addamus his & testimonia ueteris testamenti. Etsi enim noui testamenti ea uerò sunt illustriora : tamen pij & recte sentiens antiquitas dictum Geneseos : Spiritus Domini ferebatur supra aquas, & in Psalmi dicto, Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritus oris eius omnis uirtus eorũ. In hoc ergo mentionem Spiritus

ritus accommodauit ad Spiritum sanctum. Et quod fuerit Spiritus sanctus antequam carnem induit Filius DEI, perspicuè testatur Petrus, cum inquit de Prophetis: Spiritus Christi in eis prædicens CHRISTVM passurum esse. Eodem igitur Spiritu sancto Patres & Apostoli, & pij deinceps, hoc est, Omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt, ut docent illustria testimonia Prophetarum Esaiæ, Zachariæ, Ioelis & aliorum, quæ conuincunt doctrinam de Spiritu sancto in antiquissimis patrum et Prophetarum Ecclesia notam fuisse. Confiteamur ergo, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον διδαχθέντες ἐκ τοῦ θεοῦ εἶναι ἀκριβῶς, & hanc sententiam firmiter teneamus, nec excuti nobis ullis perstigijs πνευματομάχων ueterum aut recentium finamus, Ac meminerimus Basilij dictum, quod ad patefactionem intuitũ mentes dirigit, δεῖ ὑμᾶς βαπτίζεσθαι καθὼς παρελάβομεν, πιστεύειν δέ, ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δέ, ὡς πεπιστεύκαμεν, πρὸς τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι· ἁγιασθέντας δὲ τῇ κατὰ φύσιν ἁγιότητι τὸ πνεῦμα, ὡς ὀνομάζει βλασφημοῦντων. Sciamus & quibus detur. Non datur hostiliter DEO repugnantibus, nec secure fastidientibus aut Epicureo contemptu aspernantibus uerbum DEI & ministerium, nec furenter ruentibus in scelera, aut contumaciter perseuerantibus in delictis contra conscien-

tiam, Sed τοῖς πιστεύουσι καὶ αἰτοῦσι τὴν πίστιν χάριν. Idcirco credentibus, petentibus & obedientibus, sicut de fide accipiente Spiritum sanctum dicitur ad Galat. Ἵνα τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πνεύματος λάβωμεν διὰ τῆς πίστεως.

Quare assidue orate filium DEI, ut nos Spiritu ueritatis regat, sustentet & custodiat, ne mentis in errores & scelera, & ne nostra culpa immunitatis Spiritum sanctum sicut orat Dauid Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Vos ipsos exhibete, sicut præcipit Paulus παριστάνετε, id est, accommodate membra uestra armis iustitiæ Dei, exercitijs quotidianis fidei, inuocationis, sobrietatis, castitatis temperantiæ, modestiæ & aliorum piorum officiorum. Vult enim DEVS uoluntatem comitem esse Spiritus sancti trahentis seu ducentis, Vult in corde reprimi incendia prauа, uult sensus, linguam, manus frenari, & uitari occasiones lapsuum, Et qui estis templa & domicilia DEI, μὴ λυπεῖτε, μὴ σβέννυτε ἐν ὑμῖν τὸ ἅγιον πνεῦμα, lapsibus contra conscientiam.

Cum autem Spiritus sanctus habitet & efficax sit in cordibus nostris per ministerium uerbi et Sacramentorum, decet nos de toto ministerio reuerenter sentire, & id tanquam medium, quo se Deus nobis communicat, magnifacere.

Quare ut exempli causa dictis aliquam significationem reuerentiæ erga ministerium gratiæ [illegible]

mandamus, ut Cras usitato more, offeratis singuli munus ad aram. P. P. die Pentecostes.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HERI sub noctem paulo post octauum placidißime uitam in terra clausit NICOLAVS RISEBERGIVS Academiæ minister, febricula extinctus, quæ in senili & effœto corpore exiguas uirium exhaustarum reliquias paucorum dierum incendio consumsit. Annum is compleuit octauum & sexagesimum, et Academiæ seruiuit fideliter ac diligenter annos triginta sex, quibus ita uixit in hac urbe, ut se etiam uirum & ciuem bonum esse, & societatis communis amantem ac Reipub. studiosum omni honestorum officiorum genere ostenderit.

Quapropter Academia uicißim cum postremis annis hebescentibus oculis, et quasi caligantibus & auditu deficiente, facere operas muneris commissi nequiuit amplius, et propter merita priora rude donato quietem concessit, & ab officio uocationis ut domi sibi uiueret et reliquum uitæ fouendo, curandoq; corpori tribueret. Sed cum Deum rectè agnosceret, & ardenti pectore coleret, et intelligeret ex mutationibus uarijs quas uiderat, & de quibus piorum ac prudentum senum sermones ac querelas audiuerat, quem in locum res communes Ecclesiasticæ ac politicæ deuenerint quanta immi-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000296

imminent & circumstrepant pericula, tempus omne piæ inuocationi tribuit, Sic & sollicitus de posteritate, deplorauit calamitates publicas & effusis gemitu assiduo precibus ad Deum pro Ecclesia, scholæ etiam salutem Deo commendauit, & petiuit se ex hac uita eripi, in qua usu destitutus prodesse posset nemini, onerissetq; plurimis. In ore itaq; semper habuit illud Pauli dictũ ad Philip: Cupio dissolui & esse cum Christo. Eius dicti ueram interpretationem repetiuit ex postremis sermonibus Reuerendi præceptoris D. Philippi Melanthonis, qui uerbo dissolui minimè uim & significationem græci uerbi exprimi, sed alienum dicto sensum assui paucis ante mortem diebus apud amicos disputabat. Græca uerba sic habent: τὸ ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι. *Verbum* ἀναλῦσαι *Græcæ linguæ consuetudine non dissolui, sed discedere ex diuersorio & migrare significat. Et sumptum est à peregrinantibus curru aut equis, oppositum uerbum* καταλῦσαι *immigrare significat, unde* κατάλυμμα *est diuersorium, significanti ergo uerbo usus est Paulus, cupio* ἀναλῦσαι, *id est, migrare ex hac uita, in qua sui tanquam hospes & exul ærumnis exagitatus infinitis, in aliud melius & uerius ac stabilius hospitium, nimirum in patriam cœlestem ubi filius Dei redemtor meus & Saluator fractum & confectum huius uitæ miseriis reficiet luce, iusticia, uita, &*

Leticia

leticia æterna. Ex hac se interpretatione mirificam percipere consolationem ac leticiam, & crescere sibi assiduè desiderium Domini nostri Iesu Christi in uita beata prædicauit. Funus ei fiet hodiè hora quarta, quo ut scholastici ante eius ædes conueniant, & qua decet frequentia ad sepulturam exuuias mortui deducant, & ei, qui Academiæ fidelem operam tot annos nauauit, hoc ultimum officium rependant, hortamur.

P. P. *Die Pentecostis.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

EST in uicinia oppidum subiectum imperio illustriss. Principis Ducis Saxoniæ, Electoris, Domini nostri clementissimi, cuius nomen est SCHONEVVALDE, *ab amœnitate uicinorum saltuum. In eo templum, quod antiqua Electorum Saxoniæ constitutione cum ipse iure sacrorum Academiæ nostræ attributum, uetustate planè ruinosum, ciues instaurare cupiunt, atq; ad eam ædificationem Eleemosynam hostiatim colligunt, cum & templi & oppidi reditus tenuiores sint quam ut tanto ædificio reparando aut extruendo sufficiant.*

Cùm ergò inter opera ad ministerij Euangelici

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000297

lici conseruationem pertinentia, non minimum sit impendere aliquid sumptuũ refectioni templorum, quæ congressuum publicorum, concionum, precum & Liturgiæ causa sarta tectaq; seruari oportet, hortamur scholasticos, ut singuli pro facultatibus aliquid conferant. Olim cum augustißima templa et amplißima monasteria ingentibus sumptibus extruerentur, nemo difficilem sese ad largiendum præbebat, nec se quisq; exhauriri ijs largitionibus querebatur, nec egebat quisquam. Nunc uix egre sacellum unum sartum tectum conseruari potest, & si sit Vernutius in eam rem insumendus, egestatem metuimus. Hanc & ingratitudinem & diffidentiam punit Deus cum alijs pœnis, ut amißione doctrinæ cœlestis, tum exactionibus & stolida ac fatali amentia, profundente necessaria in luxum uestium, epularum, crapularum, ædificationum non necessariarum, & talis amentia comitatur plerunq; auariciam eorum, qui in conferendo necessaria Ecclesiæ & ministerio restrictiores sunt.

P. P. Die 13. Iunij.

IN ORATIONEM LYCVRGI CONTRA Leocratem.

Ivssus sum à scholæ nostræ gubernatoribus deinceps proponere adolescentibus nobilißimam orationem Græcam Lycurgi, quam contra Leocratem

tem proditorem ac desertorem patriæ Athenis habuit. Hanc operam cum recusare aut detrectare mihi non liceat propter autoritatem et merita optimorum præceptorum, qui hoc mihi onus imposuerunt, eò tamen in me recepi libentius, quod uere uideo per magnas utilitates ad studia discentium iuuanda, inde redire posse. Primum enim ad studia Græcæ linguæ excitanda multipliciter prodesse poterit, cuius cognitione profecto opus est, & ad intelligendam ac explicandam cœlestem doctrinam, & ad percipiendas alias artes, uitæ necessarias.

Deinde & præceptorum Rhetoricæ usum ipsa oratio adolescentibus monstrabit, & rectè dicendi uiam ac rationem ostendet. Nam res optimæ nulde concinno ordine distributæ, ac uerecundo genere orationis proprio ac plane mellco uestitæ sunt.

Nulla uox peregrina, nullæ monstrosæ figuræ, nulla confragosa compositio hic legitur. Et quæ fuerit illa simplex & simplex forma orationis, quam propriè uocarunt Atticam, in hoc exemplo maxime conspici potest. Postremo & rerum scientiam alet atq; augebit hæc oratio, Quia uaria exempla uirtutum & uitiorum, & dulcißimæ historiæ ueteres & elegantißimi ueterum Poetarum uersus sapienter passim inserti sunt. Quare omnes eruditi semper huius orationis lectionem amas-

amarunt & magnifecerunt. Audio & Reuerendæ memoriæ præceptorem noſtrum Philippum Melanthonem aliquoties publice hanc Lycurgi orationem, & propter rerum bonitatem & ſermonis elegantiam enarrare ſolitum eſſe.

Hortor igitur ſtudioſos, qui ſerio res bonas & neceſſarias diſcere cupiunt, qui ſtudijs Græcæ linguæ delectantur, ut aliquid operæ ac temporis, in huius orationis explicatione audiendæ, ponant, & quia oratio ipſa digniſſima eſt cognitione, & quia ſapientes omnes eam amarunt & magnifecerunt.

Ordiar autem ad diem Mercurij proximam hora quarta pomeridiana, et ſtudioſis hortator ſum ut interea ſibi orationis exemplaria, comparẽt Bene & feliciter ualete, & huius ſcholæ ſalutem et tranquillitatem Deo ardentibus uotis commendate.

P. P. Die feſto qui in Eccleſia tribuitur meditationi doctrinæ de ſacroſancta Trinitate.

Chriſtophorus Pezelius Philoſophici Collegij Decanus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ITA condidit Deus corda in hominibus, ut ſit admirabilis ac pene incredibilis amor in parentibus erga

erga ſobolem tanquam partem propriæ naturæ. Neq; amor iſte uel opinio inanis eſt in mente uel propenſio tantum uoluntatis accenſa conſuetudine ut amor erga alienos. Sed naturale incendium eſt quod Deus in intimo ſinu cordium flagrare uoluit, non ſolum ut ſit neruus ſeu uinculum humanæ ſocietatis & fons & ſcaturigo multarum uirtutum: Sed etiam ut ſit dulcis & ardens commonefactio de amore æterni patris erga filium & erga nos, quos propter filium paterna στοργῇ complectitur. Vere et ardenter amat Deus filium ſicut de cœlo clamat: Hic eſt filius meus dilectus in quo læticia eſt in quo mihi ſancta uoluptas. Eſt & ingens Dei charitas erga nos quos diligit in dilecto, & quidem paterna charitas eſt, ac tanto etiam paterna affectione maior, quanto Deus ipſe rebus omnibus præſtat. Nullus enim pater tam acri dolore afficitur, cum uidet chariſſimæ filiæ ſummam calamitatem quam acris dolor eſt Dei, noſtri mala intuentis, ideo dulciſſime in Pſalmo dictum eſt: Sicut pater miſeretur filiorum ſuorum, ita Dominus miſeretur timentium ſe. Et apud Eſaiam ſuauiſſime Deus ipſe inquit: Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſeretur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Hanc ſummam & dulcem conſolationem qua nulla maior cogitari poteſt, eripere nobis conantur Stoici, qui prorſus ex natura hominis tollunt affectus & ne-

gant σοφγλῶ φυσιλῶ esse πρὸς τὰ τέκνα. Quia quidem non solum pugnant cũ lege diuina, sed etiam cum ipso ordine diuinitus instituto in homine. Sentitur enim in cordibus parentum acerrimus stimulus doloris cum soboles amittitur, ac quo unius cuiusq; natura melior est eo sunt σόφγοι ardentiores. Et ut admoneamur de amore & cura Dei erga nos quæ tum se potißimum exerit, cum in periculis & calamitatibus uersamur, non uult Deus nos esse ferreos in calamitate uel obitu nostrorum: sed uult nos affici orbitate & desiderio nostrorum & in luctu probat pietatem.

Quamobrem in iusto mœrore est Vir doctiß. M. Albertus Lemeiger Professor publicus in hac Academia collega noster, quòd luget mortem charißimæ filiolæ Catharinæ, quæ nata ante menses tres, heri morbo uicta obijt. Nec dubium est patrem φιλόσοφγον eò maiorem ex hac præmatura morte dolorem percipere, quod hæc unica ipsi filia fuit, & quod antea quoq; filiolam unam & filios duos amisit. Quare priorem luctum denuo renouat hic nouus luctus non sine sensu singularis acerbitatis. Auget etiam ei haud dubiè mœrorem, coniugis honestißimæ ualetudo ualde afflicta, quæ cum nuper ex morbo difficili & periculoso recreata sit, hoc nouo uulnere magis affligetur. Sed sciant tamen parentes utrunq; præcipi à Deo, & ut lugeamus, & ut modus sit mœstitiæ. Itaq; sustentent se hac consolatione, quod sciunt uitam & mortem hominum esse opera prouidentiæ diuinæ.

Et quanquam de infantum morte uera est querela Poetæ: Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet: tamen non casu sed Deo sic uolente nascì & interire homines cogitent, & in animum sibi reuocent, promißionem filij Dei Domini nostri Iesu Christi, qui de infantibus fide & inuocatione parentum ad ipsum allatis & per Baptismum sibi insertis dulciß imè inquit: Sinite paruulos uenire ad me & nolite eos prohibere, quia talium est regnum cœlorum. Item: Non est uoluntas patris ut pereat unus de parruulis istis

Cùm autem eruditio, pietas, ac fides doctiß. Viri M. Alberti uobis nota sit, & diligentia ac industria ipsius utilis ac salutaris sit huic scholæ, ad illustrationem & propagationem artium, decet nos esse socios ægritudinis ipsius & doloris iustißimi, & ei dolorem quibus possumus officijs lenire studere.

Ideo cùm hodie hora tertia funus filiolæ charißimæ facturus sit, hortamur collegas & scholasticos nostros, ut ad funeris ceremonias conueniant ante Collegium Principis Augusti, et suam ac Præceptorum uitam & incolumitatem Deo pijs uotis commendent.

P. P. Die Apostolorum Petri & Pauli.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA VVitebergensi, M. Christophorus Pezelius Plauensis. Lectori S. D. P.

ANNVA lux, cui fama ingens hinc parta, quòd illa
Inter se coîêre nurus, & dicta dedêre,
Helisabe paritura Deo te maxime Vatum,
Et Virgo paritura Deum te maxime Christe,
Instar habet sancti cœtus, ludiq; diserti,
Vt Mariæ pulcrum nomen, sonat omine pulcro
Doctricem populi, quæ sit præfecta Scholarum
Vna representans gentem quàm magna piorum est,
Cuius personam gerit, & quam munere præstat
Ipsa suo, numeroq; refert, & sorte pusilla.
Nam qualis Mariæ species abiecta iacebat
Ante pedes, mœsta in tenebris, luctuq; uoluta:
Talis erat passim pro uili, forma piorum,
Non numero præstans, nec honoribus aucta, nec alis
Obuia præsidijs, auroue decora, uel ostro, (tis
Sed depressa solo, & conflictans rebus acerbis,
Non habita in claro decore, ima in fronte locata,
Si cœtum spectes rectæ pietatis egenum
Qui res tractabat Solymæ, & caput extulit altè
Fortunis melior numeroq; insignis, & armis.

Prô

Prô scelus, Ille etiam patrum temerarius ordo
Vittato in cœtu, Procerumq; examina tonsa
Vsurpant titulum gentis quæ dedita Christo est,
Se cœtum clamant, caput, artificemq; sacrorum,
Vt Caiphas facit, & uitta circundatus Annas
Præopsiti sacris, & Saducæa uirûm gens,
Et sancti externam ad speciem, Quos extera saltem
Elatos animo dabat obseruantia Legis,
Intestinæ uerò, & ueræ integritatis egentes.
Haud ita Sacrifici se res habet ista, nec ista
Concio uestra patrum re uera est concio Christi:
Cũ schola uestra, domus uestræ, templa, agmina uestra,
Cõgressus uestri sine Christo ad falsa ferãtur
Numina, Spirituum magis execranda malorum
Concilia, & foricæ sint, errorumq; palestræ,
Lenonum stabula, & Veneris turpissima lustra,
Festa Lupercorum, Saliorum examina nuda,
Sacraq; Eleusinæ matris, uera orgia Bacchi,
Mancipia inferni, anfractus, supera ostia Ditis.
Huc huc conuenêre, fluuntq; huc agmina plenis
Densa uijs, legioq; uirûm structæq; phalanges
Huc numero ingenti, confertoq; agmine tendunt,
Et celerant glomerare manum, in cœtumq; subire,
Fit uia ui, quâ nulla uia est, aditum occupat ultrò
In caput, inq; humeros reuoluta sine ordine turba.
Interea rara gens quædam accincta corona,
Parua cohors, numero exigui, sine honore, sine ar-
Paucorum manus, inualidi, fractiq; periclis, (mis,

Insignes pietate tamen, sunt agmina Christi,
Vt nisi cura Dei uel semina pauca piorum
His uellet superare locis: Iam iam omnia latè
Vasta forent, penitusq; sacræ monumenta perirent
Stirpis: In exemplum Sodomæ, quam flamma uora-
Vlta pudicitiam, & peruersi crimen amoris. (bat,
Sed ceu parua manus, numeroq;, & uiribus im-
Turba ferebatur iurata in numina Christi, (par,
Abiades, consorsq; thori, custosq; puellæ
Creditus innuptæ, Simeonq;, effœtaq; ab annis
Anna Dei metuens, Et quos obscura recondit
Fama alios paucos, qui Vatum dicta piorum
De te nate Dei, meritisq;, & munere parto
Iustitiæ, & uita post secla exacta futura,
Fidis supposuere animis, nixiq; foucbant,
Et sæpè in celebri congressu, aut sub lare fido
Vulgabant dictis, & longa in secla ferebant:
Sic rari apparent numero, Quòd si quoq; rari
Apparent usquam, Tamen est abiectior alga
Illorum numerus quibus est fiducia recta
In Christo posita, & qui fixo lumine Verbi
Notitiam sumsere Dei, cui publica uota,
Et priuata canunt, & nixi munere Christi
Nunc adeunt precibus, cœliq; ita limina pulsant.
Atq; hunc tantillum, & nullo cum robore fultum,
Spe cassum quanquam mortali, & uiribus orbum,
Terrarum Domini atq; impar congressus in armis
Sacrorum procerum chorus, hisq; addicta caterua

Nata

Nata ad blandicias, & fictæ murmura linguæ,
Vrget atrox bello, & facibus sectatur, & ense,
Quales tunc aderant promissi seminis hostes,
Sacrorum præses Caiphas, cautusq; Pilatus,
Et ferus Herodes, & Sadducæa caterua
Contemtrix prosus Superûm, Phariseaq; turba,
Præterea gentes hac tempestate nefandæ,
Pestes humani generis, queîs terra nec unquam
Monstra tulit peiora, Syri, Parthiq; fugaces,
Discinctiq; Arabes, & decolor accola Nili,
Romani & rerum Domini, populusq; recisus
Sacra Dei abiurant, Semperq; immanior hoste
Omnis defector gentem infectatus amicam,
Orbe uagabantur Solymo, sæuamq; piorum
Stragem intentabant, matresq; ad fercta trahebant,
ALBANVS quo more furit, furumq; manipulus
Hesperia eductus Belgarum fulminat oris,
Et genere illustres animas, cum stirpe, domoq;
Obtruncat ferro, natasq; ante ora parentum
Incestans rapto potitur, dirisq; hymenæis
Heu castis laribus facit insanabile uulnus.
Et dux ipse salax, Germani nominis hostis,
Herodem referens furto, ac immanibus ausis,
Quæsitor tolli edicit sacra pura professos,
Et primos sceptris, & florem, & lumina gentis
Infando indicio, & nullo discrimine mactat.
Ductores quoq; Teutoniæ iam in iura referre
Romani Antiochi haud tacitis molitur in armis,

Et Latio auersos proceres, urente flagello
Afficere, & uirgis concidere terga minatur,
Da Pater hoc nostris aboleri dedecus armis.
Hæc uos probra Duces auditis mentibus æquis?
Nec tantùm auditis, sed & hoc spectare potestis
Muneris immemores uestri, sociûmq; salutis,
Vt nil Herculea à statua, effigieq; Bathylli,
Et nexo Ioue differri uis uestra putetur?
Ite animis contrà, uel Saulum præstet in armis,
Immanemúe Diocletem, spurcumq; Neronem.
Exilite, exilite, & rapite arma, inhibete furorem,
Claudite iter, capite, irruite, etpræuertite cuntem,
Quæ uestras fractura gulas huc uincula portat
Vertite in hunc: uestrum sapere est, cum pœna propinqua est,
Ecquæ fibra micat memor & uirtutis auitæ,
Et libertatis patriæ? Nunc coniugis esto
Quisq; suæ memor, & sobolis, gentisq; nepotum.
Quale iugum, qualis nox, quæ sacra impia nostris
Horribili super aspectu ceruicibus instant?
Aut Turcam potius Dominum experiamur, ut ipsi
Sit census, pictas saltem sit libera nobis.
O si Mauricium nobis nunc fata referrent,
Qualis erat cum te nostris tecta arma parantem
Carole, nec quicquam tale hoc ex hoste timentem,
Faucibus incluſum, subitis præuerteret armis
Ocyor & uentis, & præpete fulminis ala.
Haud ille haud tanto cessaret cardine rerum
Cum

Cum regna asserere, atq; urbes captare liceret,
Haud ita Religio canibus data præda Latinis
Sanguinis euomeret riuos impunè calentes.
Exoriare aliquis cæsorum ex ossibus ultor
Qui Latio infixum respergat sanguine telum,
Et Papam Herculeas propellat ad usq; columnas.
AT nuruum flos ille sacer, quas mollibus annis
Ante genas roseo decorabat flore iuuentus
Mensq; sagax rerum, atq; annis industria maior,
Haud magnos latuit proceres, multiq; petebant
Egregia capti forma sibi iungere nymphas,
Quas inter rerum excidia, & crudelia bella
Seruauit tamen, & præsenti numine texit
Cura Dei, iunctosq; illis, qui mente tenebant
Doctrinæ lucem, ueterumq; oracula Vatum,
Reliquiæ Vatum, quorum de carmine lecto
Lenibant curas, & mœstæ tædia uitæ.
Talis forma pij cœtus, talisq; disertis
Nunc quoq; forma Scolis hoc tempore perstat in orbe,
Nec cœtus nostri status est diuersus ab illis,
Qui tanto in rerum motu, furijsq; docentum
Sacra Dei tamen, & cœlestia facta propagat
Præstita mortali generi, quòd missus Olympo est
Filius, & Numen se declarauerit ipsum.
Nos uocem asserimus Vatum, monumentaq; Chri-
Et dictis horum erecti perferre laborem (sti,
Non ullum horremus, sed enim gemitu, lacrimisq;
Imus in aduersos, nexosq; ad terga maniplos

Lætitia ferimus, magnaq; in mole laborum
Speramus facilemq; Deum, finemq; supremum,
Quo tandem lacrymas passis tot acerba per orbem
Absterget Deus, & dulci pensabit amarum,
Tristia cum lætis, placida cum pace laborem.
Ergo etiam simili nostra agmina more reguntur,
Vt gens cara Deo quondam inter Martia bella
Orbe Palestino tuta, atq; impunè quieta
Congressus coluit, Superûmq; extendit honorem.
Cœtibus his ipsis educi ad sacra necesse est
Officia, edoctos fandi discrimina, & aures,
Ne pia gens possit Doctrinæ uoce carere,
Per quam sancta sibi terras legit agmina Christus.
Cumq; sacer cœtus socio sit nexus amore,
In quo doctrinæ labor est communis, & ardor
Ille precum, & uicibus dantur solatia uitæ,
Quales Abiades, Simeonq; nurusq; sacratæ
Sermonum fecere uices, communia uota,
Atq; alios alij docuerunt cœlica dicta,
Vana refutantes Pharisæi somnia ludi:
Haud secus ad similes coniuncti accingimur artes
Concilijs habitis, & nos per mutua ueris
Instruimus dictis, & abenea fulcra paramus,
Ex Libani cedris, & ligno perpete uitæ.
Nunc quia de studijs censuram ferre paramus,
Et dicta inter nos doctis de rebus habere:
Vos ad congressus inuito, meumq; laborem
In uestris pono gremijs, meq; ipse petenti
Offero

Offero, si qui fortè uelit laudum ampla referre
Præmiaq;, & nomen deducere ab arte magistra.

P P. *in die Visitationis Mariæ.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

CVm hæc uita nihil sit aliud, quàm peregrinatio, in qua exules ad tempus uagemur spe uitæ æternæ, ad quam pij tandem adducentur, uelut ad portum, & sedem beatissimam: Decet nos libenter adesse ad sepulturas, ut migrantibus ex hac uita congratulantes, ipsi etiam de numero dierum nostrorum, ut Psalmus loquitur, admoneamur, et de immortalitate animarum, & de resurrectione mortuorũ corporum, & de uita æterna crebram et frequentem cogitationem suscipiamus. Quare cùm hac nocte ex hac mortali uita decesserit optimus adolescens, IOHANNES MEVVESIVS Berlebergensis, cui hodie funus fiet post tertiam uespertinam, hortamur studiosos, ut ad funus deducendũ circa III. horam cõueniant ante ædes Ioachimi Miacelis mensarij, quæ sunt uicinæ Collegio. Audimus adolescentem ipsum bonæ fuisse indolis, & ingenio ad studia idoneo, in quibus etiam mediocres iam progressus fecerat.

Cumq; uersatus esset per annos ferè quinq;

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000304

in ſchola Magdeburgenſi, in noſtra etiam Academia annum unum uixit cũ ſingulari laude modeſtiæ & diligentiæ. Sed habuit natura corpus imbecille, et ad phthiſin pronum. Itaq; quod in hoc morbo fieri plærunq; ſolet, cum iam annum attigiſſet ſere primum & uicesimum, qui eſt climactericus tertius, tabe tandem conſumptus uitam cum morte commutauit. Quanquam autem Eccleſiæ cauſa cui aliquando in miniſterio docendi Euangelij ſeruire decreuerat, dolemus eum in flore ætatis extinctum eſſe: tamen in tantis miſerijs noſtrorum temporum, quæ propter peccatum quotidiè augentur meritò ijs gratulamur, qui ex arumnoſo huius uitæ curriculo in uera inuocatione & fide in eam uitam euocantur, quæ eſt ſola uita nominanda. Tale exemplum pie & ardentis inuocationis & ueræ fidei, cum hic etiam adoleſcens moriturus de ſe præbuerit, gratulemur ei quoq; erepto ex triſti ualle lachymarum, & ad ſimilem diſceſſum ex hac uita nos præparemus, illud Pſalmi in ore & animo aſſiduè circumferamus, Doce nos Domine numerum dierum noſtrorum, vt ambulemus corde ſapienti, *& noſtram ſalutem, & uitam* Deo *pijs uotis commendemus, ac ſtudia noſtra eò dirigamus, ut curſus uitæ, qui unicuiq; diuinitus conceditur, Deo ſit gratus, & Eccleſiæ ſalutaris.*

P. P. 6. Iulij. Anno 1568.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

MAxima ſ. neceſsitas nobis adfertur commonefactionis cuiuſdam, qua utamur ad eos, qui in hoc contubernio cibum capiunt, quam ſinguli ita ut par eſt, accipient & conſiderabunt, eiq; ut debent, obnixè parebunt. Intelligitis uniuerſi hanc benignitatem Illuſtriſſimi Principis et Domini noſtri, D. AVGVSTI, *Ducis Saxoniæ, Electoris &c. ut quatuor groſsis noſtratibus per hebdomadam uictum ſibi hoc loco ſcholaſticus comparare poſsit, hanc igitur benignitatem & Eleemoſynam ut commemorabilem, ita pauperibus ſolis deſtinatam eſſe, ut igitur & illuſtriſſimo & beneficentiſſimo ergà ordinem noſtrum & hanc ſcholam peculiariter, Principi noſtro, Inprimis autem Deo, qui eſt Pater orborum & pauperum, fidem noſtram præſtemus, omni cura & attentione uidendum, omniq; conatu agendum hoc nobis incumbit, ne quod propicius Deus per noſtrum Principem pauperibus curauit, id eis intercipiatur.*

Hoc autem certè fit, ſi qui carere hac Eleemoſyna poſſunt: tamen hac utuntur, & loca immenſis his occupantes, ita excludunt alios egentiores, & ſicut noſtri homines loquuntur, panen pauperibus ante os præcidunt: Hæc eſt non tantum inhu-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000305

inhumanitas & ἀσοφγία, sed barbaries & impietas etiam animaduertenda.

Etsi autem plerosq; qui in hoc contubernio cibum capientes, illustriss. Principis munificentia utuntur, ex eo genere esse existimamus, quibus si nihil desit, non tamen etiam abundent, quales Græcis πενήτων sunt, & sumus maxima ex parte omnes tales in ordine scholastico, multò tamen magis indigent hac Eleemosyna & subleuatione bonorum ij, qui πτώχοι sunt, et mendici prorsus, in quibus referimus, qui patrimonium nullum habent, aut tale, ut tamen in his censeri non desinant, & in foro harum terrarum in his censeantur.

Secundum hæc igitur qui quibus cedere debeant statui uoluimus, qui patrimonia habent ijs, qui nulla, qui stipendia, ijs, qui neq; stipendia, neq; alia ulla commoda habent, quibus indigentia ipsorum subleuetur, præsertim qui eiusmodi stipendia habent, de quo tolerabili minimeq; in honesta conditione in alijs mensis uiuere possunt, & πενήτων omnino ut cedant ijs, qui πτῶχοι sunt. Tam enim esse sordidos aliquos, qui in re lauta, & amplo patrimonio, hac mensa contubernij communis utantur, non existimamus, etsi hæ non sordes essent sed furtum potius sceleratum & impium. Æquè impium est aliquem hic comparcere uelle, quod alius in res malè impendat, Quod si tamen tempora non essent tam difficilia, minus urgeremus nostros,

Nunc

Nunc tantus est egentium numerus, qui bonis ingenijs præditi, magna cum spe ingressi sunt nostra studia, & locum sibi in his mensis concedi summopere, & propter Deum petunt, petereq; recte & plerisq; possunt, & nisi eis consulatur, hinc discedere, & omni fructu scholæ publicæ carere cogantur, ut summa nobis necessitas afferatur hanc commonefactionem publicè proponendi, cum uix positis nos XXI. mensarum conuictores alere, & præter tamen hos petant in his locum, ut ad nos referatur ultra quinquaginta, Et hortamur igitur & mandamus uobis, ut dignum et pietate atq; professione Christiana, & ordine scholastico nostro, dilectionem atq; humanitatem præstetis uobis inter uos mutuo, neq; unus alteri id præcidat, in quo ei concedere se posse scit, & debere intelligit, & nihil aut minus egentes egentissimorum rationem habeant, neq; in hac parte fraudem aut dolum usurpent. Hoc bonos & pios omnes sua sponte facturos nobis persuademus, atq; ut commodè facere possint, quatuordecim eis dierum spacium præfinimus, quibus alium sibi mensam quærant.

Qui uero humaniss. hanc commonefactionem nihil apud se proficere patientur, & ultra indicatum tempus, atq; ita deinceps etiã præcidere uel præripere potius egentibus hunc uictum, perrexerint, quo ipsi ut potiantur nulla necessitate adigun-

tur,

tur, eos ſcire uolumus, permiſſuros nos deinceps, & inquiſitionem, et ſi compertum fuerit quod ſint tales, etiam actionem contra ipſos pauperibus, qui locum in contubernio menſæ huius petant, & qui conuicti fuerint, quod hac Eleemoſyna non indigeant, ijs tum ut egentibus & egentioribus cedant, mandabimus, & cum turpitudine tum ſua facere cogentur, in quo iam cum laude pietatis & humanitatis obſequi poſſent. Etiam omnes, qui locum in hoc contubernio petunt & expectant, in hunc caſum, & has occaſiones, atq; in rem ita ſuam, attentos eſſe iubemus, ut quoquo tempore indicare docereq; nos poſſint, qui ipſis iure cedere debeant, de quo Rector deinceps legitime cognoſcat & decernat. Neq; enim diutius gemitus et quiritationes ferre audireq; miſerorum & egentium poſſumus, & intercipiendo commoda quæ his debentur, non commoda ſed diſpendia contrahuntur, quod talibus commodis non benedicit Dominus, ὁ γὰρ σύνοφαντῶν πένητα παροξύνει τὸν ποιήσαντα αὐτόν. P.P. XI. die Quintilis

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

AFFertur nobis neceßitas à publicis et priuatis cauſis citandi ſcholaſti cum quendam noſtrum

ſtrum, qui poſtquam ſuperioribus diebus turbulente quædam & cum ui publica in oppido facta eſſent, paulo poſt hinc diceßit. Hic eſt, N. N. Non autem diſceſſu tantum ſuo in ſuſpicionem culpæ incurrit, ſed ſunt etiam qui nomen eius ad nos deferunt & criminis certi eum inſimulant. Citamus igitur modo nominatum N. N. & mandamus ei ut ad diem Auguſti XIIII. coram nobis ſe ſiſtat, & ad ea, de quibus accuſabitur, reſpondeat, proq; ſe cauſam dicat, eaq; in re fidem magiſtratui ſuo debitam, ipſiusq; exiſtimationi neceſſariam præſtet. Niſi fecerit, ut in fidei violatorem & contumacem, & qui in eo cuius inſimulatur culpa non carcat, etiam abſentem, animaduertetur.

P. P. 28. Iulij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NISI certo ſciremus hanc ærumnoſam & tot ac tantis calamitatibus expoſitam uitam, quam profitentes doctrinam filij Dei, agimus tot annos inter circumfuſos hoſtes, uelut oues in medio luporum, Niſi hanc ergo certo ſciremus iter eſſe ad dulciſſimam cœleſtis Eccleſiæ conſuetudinem, in qua Deus ſeſe nobis palam oſtendet & ſuam lucem, ſapientiam, iuſticiam & læticiam in

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000307

tota æternitate communicabit, quis sustinere dolores & agonas tantos posset aut uellet? Sed intueamur illum portum ad quem accedimus, ac simul stantuamus, nos in hac naui, quæ asperrimis & seuissimis flatibus agitatur, nequaquam solos & sine auxilio esse. Semper assidet ad clauum, & gubernaculum regit Filius Dei, custos generis humani qui naturam humanam assumpsit, ne hæc nostra massa funditus interiret.

Hic protegit, armat, erigit, sustentat, adiuuat nos, ne hac tanta mole miseriarum oppressi, exungamur. Idem etiam concionatur nobis assiduè, & uoce sua sonanti in doctrina legis & Euangelij, & exemplis immanis seuiciæ grassantis, permissa diuino in Ecclesia, prodigijs in natura denunciantib. clades publicas, ut à securitate et uoluptatib. animos retrahat ad maturam pœnitentiam, ad seriam, et assiduam inuocationem, ad ardens studium uitæ melioris ac moderatioris. Qui sint conatus hostium Euangelij ocu-lis propemodum conspicamur: Prodigia sese uaria, & aliis in locis alia ostendunt, quæ nequaquam fore putemus ἄσημα. Nuper in uicinia terra longo latoq; tractu quassata tremuit, ab ea concussione, si ueteres uersus, de terræ motuum significationibus ueri sunt, ἐυτίκα ἀχὴν κλαυθμόιτε, σοναχαίτε πολίν καὶ λᾶον ἅπαντα ἔχουσι. Nocturna enim fuit Leonem sole peragrante. Vtrunq; ergo intueamur, & minas cœlestes ac poenas ipsas, quæ sunt concio legis & promissionem ded-

ducentem nos fiducia filij Dei Domini nostri Iesu Christi per ærumnosum iter & asperum ad illam æternam cœli arcem, æternæ quieti iustorum comparatam à filio Dei, & ne ipse ingrauescentibus persecutionum periculis nos deserat, neue spiritum sanctum Paracletum à nobis auferat precemur. Cumq; Ecclesiæ hoc tempore maxime sit opus bonis & salutaribus Doctoribus, oremus etiam ut cum λόγῳ æterni patris, ac uerè sit efficax uoce doctrinæ suæ, ut idonea ingenia excitet, doceat, & confirmet, quæ de ueritate restitutæ doctrinæ testentur posteritati. Talia ingenia, quæ speserat fuisse futura usui, & præsidio Ecclesiæ, cum è medio tolluntur, id etiam referamus inter testimonia iræ Dei aduersus ingratitudinem generis humani, & intersigna calamitatum, quæ contemptum uerbi sunt comitaturæ.

Tale prædicant fuisse ingenium Bernhardi Guttuuil. Nidernheimbachensis, qui heri hora tertia pomeridiana placidè inter preces pias animam exhalauit, consumtus incendio febris ardentis, cum mane communione Cœnæ Dominicæ ceu palmus uuæ uiti saluatori suo Iesu Christo insertus, hausisset ex eo non dubia initia uitæ & lætitiæ æternæ. Huic funus fiet circa medium primæ, id ut scholastici prosequantur ex ædibus Pistoris Martini Blum, & uotis ardentibus Ecclesiam, ac nos omnes filio Dei commendent, hortamur.

P. P. Die 11. Augusti.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000308

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, M. CHRISTOphorus Pezelius Plauensis: omnibus Lecturis S. P. D.

SI sæpè & integrè possent reposci dictata in scholis, & accuratè examinari adolescentes: multò magis florerent studia. Circumdaretur enim cura adolescentibus reddendi ea, quæ audiunt, & perspicuè explicandi ea. Hæc cura diligentiam pareret, et ipsa explicatio acueret ingenia. Magis enim intendunt se animi in ea, quæ quasi gignentes alijs exponunt, quàm quæ tantum auribus hauriunt. Monent etiam examina adolescentes, quid præcipuè obseruare & meminisse debeant. Colloquium uero alit facundiam, & affert quandam animo constantiam. Nã qui non sunt assuefacti ad respondendum, si quando interrogãtur, uelut attoniti obmutescunt, & quadam animi confusione impediuntur, ut ne quidem accipere & intelligere possint ea quæ proponuntur.

Indignum est autem, quod in hac barbarie temporum, & in tanta laxatione disciplinæ sternuntur hæc exercitia, et quod censuram docentium plurimi fugiunt. Hæc negligentia & studia languefacit & nocet moribus. Quamobrem laudandi sunt, qui censuram præceptorum subeunt, qui

qui quidem sciunt se multa in examinibus utiliter moneri. Nam ipsa repetitio artium, quæ in hac exploratione studiorum fieri solet, uariam præbet occasionẽ diligentius cogitandi de rebus, quas alioqui uelut in transcursu prætereuntes sæpè legimus & consideramus. Quod si nihil aliud inde consequantur, qui examina subeunt, tamen hoc ad eos commodi redire solet, ut discant de suis studijs moderatè sentire, & intelligant multò plura sibi discenda restare, quàm quæ didicerint.

Cum autem hactenus in priuato examine auditi sint aliquot honesti & docti iuuenes, qui præclarum specimen suæ eruditionis & diligentiæ dederunt: cupimus eos etiam publicè audiri. itaq; cum hodiè hora prima uocati sint ad publicum examen, reuerenter oramus Doctores, Magistros, ac præcipuè eos qui profitentur philosophiam, ut ad hanc publicam explorationem doctrinæ eorum, qui gradum Magisterij Philosophici petunt, non grauatim conueniant. Nam tales congressus doctorum Virorum prosunt ad excitanda & conseruanda bonarum artium studia. Et uiris sapientibus nihil dulcius esse potest collatione iudiciorum, de Deo, de operibus Dei, de artibus, quæ sunt riuuli diuinæ sapientiæ, & nerui societatis communis, & præsidia uitæ, deniq; ornamenta præcipua Ecclesiæ, & adminicula necessaria in

explicatione & propagatione doctrinæ diuinitus traditæ. Filium Dei λόγον & sapientiam æterni patris oramus, ut doctrinarum studia conseruet, & hanc scholam protegat, & nos gubernet & faciat uasa misericordiæ propter suam gloriam.

P. P. Die 19. Augusti.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI. M. CHRIstophorus Pezelius Plauensis Lectori S. P. D.

MVltæ sunt causæ magnæ & graues, propter quas uetustas constituit, ut in scholis publicis conferantur gradus ac tituli doctrinæ ijs, quorũ studia & mores à præceptoribus in examinibus probata & explorata sunt.

Nã ut uirtus est dare, quod reipsa debetur honori: Ita iustum est his uelut præmijs ornari studia ueræ pietatis, doctrinæ, & modestiæ. Deinde ut bonas artes alit: Ita cogitatione testimoniorum publicorum iuuentus excitatur ad ardentiorem cupiditatem rectius discendi, & ad præstandam maiorem diligentiam honestè regendi uitam & mores.

Sunt & in illis ipsis, qui graduum honores consecuti sunt, testimonia illa publica uelut calcaria, quæ industriam & solicitudinem in studijs maiores

res progressus faciendi acuunt, & animos ad humanitatem, & aliarum uirtutum officia magis flectunt.

Deniq; et Reipublicæ prosunt testimonia graduum, ne temere admittantur ad munus docendi publicum ulli, sine iudicijs eorum, quibus doctrinarum inspectio & gubernatio commissa est. Nulla enim maior pestis ac pernicies est Ecclesiæ & scholarum, quam cum αὐτοδιδάκτοι, qui uelut Gigantes subitò ex terra nati sunt, in functiones irrumpunt. De quibus grauissimè PLATO in Theæteto scripsit· οὐ γὰρ τῶν τοιῶν τῶν ἑτέρων ἑτέρων μαθητὴς, ἀλλ' αὐτόματοι ἀναφύονται ὁπόθεν ἂν τύχωσι ἕκαστοι αὐτῶν φυσιάσαντες, καὶ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον οὐθὲν ἡγεῖται εἰδέναι. παρὰ μὲν ἐμοῦ τούτων, οὐ πότε λαβοις λόγον, οὔτε ἐκόντων, οὔτε ἀκόντων.

Vt igitur non inani ambitione gradus initio facti sunt in scholis: Ita graui & honesto consilio etiam nostra Academia semper retinuit non solum in superioribus facultatibus, sed etiam in studijs philosophicis consuetudinem examinum & graduum, quam quidem Dei beneficio experta est hactenus plurimũ profuisse ad conseruandam doctrinam

artium Philosophicarum, quas tueri & retineri necesse est, & quia fontes sunt bonarum rerum in hac communi hominum consuetudine, & quia nos adiuuant in explicatione eius doctrinæ, quæ est Ecclesiæ propria, & ex arcano sinu æterni patris prolata est.

Auditi sunt autem, hoc etiam tempore inprivato & publico examine aliquot uiri & iuuenes honesti ac docti, quos Collegium nostrum dignos esse iudicauit, quibus honestissimus gradus ac titulus Magisterij Philosophici decernatur.

Quare quod faustum & fœlix sit, constituimus ad proximum diem Martis, cui in Calendarijs asscriptum est nomen Diui Bartholomæi Apostoli, publicam renunciationem honesti testimonij celebrare. Ad quam petimus, ut omnium ordinum Professores, & studiosi auditores nostri, frequentes conueniant, non solum ut suam beneuolentiam erga candidatos, imò erga ipsas literas humaniores declarent: sed etiam, ut in illo ipso confessu gratias agant Deo æterno patri Domini nostri Iesu Christi, quod lucem doctrinæ non sinit extingui, & ardentibus uotis petant, ut harum regionum Ecclesias & scholas, & earum domicilia gubernet & protegat, & salutaria doctrinæ studia perpetuo inter nos seruet. Nomina candidatorum, inter quos multi sunt præclarè docti, Nonnulli etiam aliquandiu uersati in honestis functionibus Ecclesiæ & scholarum, publici testimonij caussa infrà subscripta sunt. B. V. P.P. Die 22. Augusti.

LECTORI, S. D.

PRæcipua pars oratoriæ artis ea est, quam Rhetores de Elocutione tradunt, unde et Eloquentia nomen sortitur, & Græci ab eloquendo Rhetorem, latini eloquentem dici uoluerunt.

Hæc enim doctrina præstat ut ea, quæ mente conceperis promere, atq; auditoribus ritè ac perspicuè explicare possis, id nisi fiat, parum nobis proderit inueniendi ac disponendi ratio, quæ similis est gladio hærenti ac recondito intra uaginam. Ideoq; & Cicero in 2. de Oratore inuentionem ac dispositionem prudenti uiro tribuit, sed eloquentiam oratori. Quicunq; igitur oratoriæ facultati studium & operam nauant, omnibus ingenij uiribus in eo enitantur, ut elocutionis rationem cognoscant, ac latinè, plane, ornate, apte ac congruenter dicere discant. Qua de re cum deinceps agendum erit in 2. libro Rhetorices, hortor auditores nostros, ut non minori diligentia hanc doctrinam, quam capita superioris libri cognoscant. Inprimis plurimum explicatio figurarum, quæ in hoc libro traditur, proderit ad intelligenda non modo Oratorum & Poetarum scripta, sed ad interpretationem

quoq; ſcripturæ ſuæ, quæ ab ipſo Spiritu ſancto, mirifica elocutionis ac figurarum forma exornatur. Huius libri explicationem uolente Deo inſtituam cras hora ſeptima matutina loco conſueto. Ad proximũ uerò diem Mercurij, duodecima hora domi inſtituam repetitionem Dialectices, eorum cauſa, qui domeſticam meam operam expetunt.

P. P. Pridie Idus Septemb.

Albertus Lemciger Hamburgenſis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

NOta fuit multis, pietas, integritas, eruditio & conſtantia, optimi uiri IOHANNIS CRESLINGI, qui unus inter primos ſparſis ſeminibus purioris doctrinæ fundamenta iecit Eccleſiæ Goltpergenſi eo tempore, quo ſcholam TROCEDORFFIVS aperuit. Vtriq; neceßitudo interceßit ſumma cum altero unius doctrinæ profeßioni conciliata, & reſtitit uterq; Schuenckfeldicis delirijs, quæ tunc ſeſe commouerunt, et latè ſerpſerunt tanta uigilantia, ut à ſua Eccleſia cõtagia illa auerterint ac depulerint ne quenq; inficerent, quanq; magno ſtudio diſcerentur et propagarentur. Etſi autem ſuperatus potentia aduerſariorum, quorum præcipua fuit in aula autoritas cede-

cedere urbe & Eccleſiam relinquere ſuam coactus eſt, tantum illa tamen ex concionibus ſui magiſtri, & aßiduis doctrinæ exercitijs profecerat, ut in iiſdem ueſtigijs illo remoto etiam perſtiterit, nec ebduci ſe à ueritatis norma paſſa ſit. Goltperga ergò dimiſſus in metallicas Pannoniæ urbes quæ ad CARPATHVM ſunt, ſe contulit, ubi reliquum ætatis docendo regendoq; Eccleſiã SCHEMNICENSEM tranſegit. Huius filius TIMOTHEVS heri circiter ſextam matutinam deceſſit ex hac uita macie ex atrophia conſumptus.

Corpore natura hic fuit imbecillior & animo triſtior. Sed ſi uita ſuppeditaſſet, ingenio patri ceſſurus non fuiſſet. Probitas animi ad ueram pietatem compoſiti eluxit in moribus, eximia cupiditas diſcendi ex aßiduitate ſtudij. Totus enim addictus libris magna cura artes Eccleſiæ neceſſarias didicit, quibus argumentis ſpem de ſeſe egregiam præbuit. Cum autẽ talium ingeniorum magna ſit raritas, doleamus tam præclara præſidia hoc lacero cõſu ſoq; Eccleſiæ ſtatu poſteritati eripi, quæ detrimenta ex iactura bonorũ ingeniorum magis ſenſura eſt quam noſtra ætas. Funus huius Timothei poſt horam XII. efferetur ad ſepulturam ex ædibus Martini Clauſurarij in ea platea, cui nomen eſt ab ære Cyprio, ibi ut conueniant ſcolaſtici, & deductione funeris, poſtremum hoc munus mortuo præſtent, hortamur. P. P. Die 23. Auguſti.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000312

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. CHRIstophorus Pezelius Plauensis: & Collegæ eius Professores optimarum artium & disciplinarum in Academia VViteberg. Lectori S. D.

CVm aliquandiu in hac Academia intermissa sint examina, in quibus explorantur studia et mores eorum, qui petunt primum gradum scholasticum Baccalaurei: Vtrumq; hoc loco studiosis Philosophiæ & bonarum artium significandum duximus: & quæ sit horum examinum utilitas, & quo tempore operam officij nostri præstituri simus omnibus, qui à nostro Collegio hoc testimonium reuerenter expetunt.

Etsi autem hæc examina seu δοκιμασίαι tantas habent utilitates, ut eas nulla oratio satis illustrare posßit: Tamen præcipuas breuiter exponemus, ut studiosis semper in conspectu sint, & bona ingenia inuitent ad amandam studiorum communicationem.

Ac prima quidem utilitas est, Quod examina non sinunt auditores inerti atq; ignauo ocio languere, sed eos uelut è somno excitant, & curam, ac solicitudinẽ in eis acuunt. Etenim maiore intentione audiuntur et repetũtur res necessariæ et utiles, quarum

rum ratio reddenda est in cœtu hominum doctorum, & rectè de studijs & ingenijs iudicantium. Contra uero μαργίτῶ esse oportet, quem Dij neq; aratorem neq; fossorem fecerunt, ut Homeri uerbis utar, qui non mouetur respectu iudicij præceptorum, nec omni contentione se ad diligentiam discendi excitat.

Altera utilitas longè maior est, Quod examina, certa lege atq; ordine, studia discentium gubernant, ac cogunt tantum necessaria discere, quæ ad agnitionem Dei, ad contemplationem naturæ, & ad intellectum atq; officia uirtutum pertinent.

Hæc utilitas fit conspectior consideratis exemplis eorum, Qui cum ad ordinem discendi non sint assuefacti, cæco studio uagantur per uarios autores, rerumq; ignari umbris & imaginibus gaudent. Vt enim Tantalus fingitur apud inferos in medijs undis, siti contabescere: ita hi, qui uarietate lectionis delectantur, nec iusto ordine artium initia discunt, in magna copia eruditionis, quam sibi somniant, inopes sunt. Neq; enim de magnis rebus aut rectè iudicare, aut grauiter dicere possunt.

Adde huc tertiam utilitatem, Quod in talibus colloquijs seu examinibus formantur iudicia de multis rebus, & augetur dexteritas in respondendo, & in omni sermone Comitas. Fieri enim potest, ut docentes dextra tradant, & auditores interdum

terdum sinistra accipiant. Quare cum ab auditoribus dictata repetuntur, facilè animaduerti potest. utrum dextrè, an secus illa acceperint, & hac occasione multæ ueræ opiniones confirmari, & contrariæ animis eripi possunt.

Iam uerò quantum decus est, communicare cum alijs quæ didiceris? Hanc κοινωνίαν τῆς ζητήσεως mirificè adiuuant examina. Quod enim de Philosophia Seneca dixit: Præstare eam hominibus sensum communem, humanitatem & communicationem: Hoc eodem modo de his examinibus dici potest, quæ certè formant iudicium de præcipuis rebus in uita, et animos ad humanitatem flectunt, & dexteritatem dandi & accipiendi sermones augent.

Postremò non tantũ studijs, sed etiã moribus eximiam utilitatem afferunt. Sunt enim officinæ modestiæ, in quibus frenantur ingenia, ne arroganter de se sentiant, aut sibi nimium placeant, propter quendam eruditionis pertenuem & perexiguum: sed corrigant φιλαυτίαν & falsam scientiæ persuasionẽ exuant, qua nulla pestis in Ecclesia aut Repub. nocentior est. Has tantas utilitates examinum aspernari, barbaries est plusquam Cyclopica.

Itaq; etsi non ignoramus quam sint multorum imperitorum peruersa iudicia de primo gradu scholastico, cuius apud exteros permagnam rationem haberi

scimus: tamen ut scholæ utilitati consulatur, et adolescentibus non desint examinum exercitia: Decreuimus consentientibus omnium suffragijs, qui in hac Academia studiorum gubernationi præsunt, in scholam nostram reuocare utilissimum morem conferendi gradum Baccalaureatus, eumq; deinceps, Deo iuuante, retinere ac conseruare.

Quod uero ad tempus attinet, quo examina instituentur, significamus studiosis. Nos Deo adiutore intra octiduum exploraturos esse studia & mores candidatorum, qui in petendo hoc gradu, qui primus est philosophiæ, iudicia præceptorum, eorum absurdis uociferationibus reuerenter præterire uolent. Et hos quidem hortamur, ut diligenter repetant initia artium dicendi, hoc est, Grammaticæ Græcæ & Latinæ, Dialecticæ, et Rhetoricæ, et summam doctrinæ Christianæ, et scriptũ mediocriter compositum ad examina afferant. Et quoniam hi, qui fruuntur stipendijs illustriss. Principis Electoris Ducis Saxoniæ Domini nostri Clementissimi alioqui hoc tempore ante mercatũ Lipsicum ad examina sese sistere coguntur: Quos quidem uniuersos & singulos hunc gradum petere scitatus Academiæ hortatur: Significamus ipsis, usitata alioqui examina remissum iri ijs, qui censuram Præceptorum in gradu Bacalaurei petendo subire non uerebuntur.

Qui

Qui uerò his ſeſe adiungere uolent, nomina ſua hac ſeptimana edant apud Decanum, ut eò citius examina abſolui poſſint.

Hæc ſtudioſis candidè ac bono animo ſignificare uoluimus, Ac ſingulis noſtram operam & ſtudium pollicemur.

P. P. Die XII. Septembris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

GENS quædam barbara Drauſorum, niſi fallor, deploraſſe ſcribitur ortus ſuorum infantium quando in lucem edebantur. Rectè illi quidem, & ſi neſcientes. Cum enim extra Eccleſiam Chriſti, & ueritatis ſalutaris ignari uiuerent, meritò deplorarunt ſe ſuoſq; ad huius uitæ miſerias tantum natos eſſe & gignere, ſed multo miſerius, quod ad æternam mortem hos progenuere, quippe ad quos non pertimuit promiſsio: Ero Deus eorum. Hæc uero maior eſt miſeria, quam ut deplorari poſsit. Ita contra, nos in Eccleſia cauſſam habemus lætitiæ ueræ, cũ homo naſcitur, qui ad uitam æternã uocatur, & cuius Deus eſt Deus noſter, is qui eſt Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & propter hunc noſter etiam pater, & ſolus Deus uerus, præter quem nullus eſt Deus alius. Qui uero deplorarunt naſcentes

naſcentes ad miſerias, ijdem cum lætitia & hilaritate proſecuti ſunt ex hac uita decedentes, quod liberarentur malis huius ad quæ naſcendo ueniſſent, cum ignorarent unde & quo euocarentur, ex breuiſſimi ſcilicet temporis malis ad pœnas æternas, et uim ſimul afferrent naturæ, reprimentes doloris ſenſum nobis inſitum, quem mortis conſideratio affert omnibus, inprimis autem mors, quæ domeſticis & amicis noſtris accidit. Sed Chriſtiana pietas νεφ σόφγας exuit, & intelligit mortem pœnam eſſe peccati & doloris hic ſenſus in natura teſtimonium eſt iuſti iudicij Dei aduerſus peccatum. Etiam ſuos unusquiſq; pius & intelligens Pater ſuccedere ſibi inſtatione uitæ huius optat, ad quam naſcimur, ut Deum agnoſcamus & colamus, & religioni ueræ & Reipublicæ ſocietatiq; horũ operam nauemus, in qua parte qui per ætatẽ, et propter uitæ curſum interceptum, parum præſtant & præſtare poſſunt, eos exiſtimare aliquis poſsit minus etiam in altera uita quaſi honoratos fore, cum ampliſsima præmia, & ſplendor illuſtris gloriæ, coronæq; non marceſcentis, promittatur illuſtrib. in Eccleſia uatis. Hæc uero occulta ſunt, & horum tamen omnium conſideratio, non ſinit nos in funeribus noſtrorum cæ externorum lætari, neq; hoc Chriſtiana pietas permittit, quæ non tollit luctum funebrem, ſed moderationem huius præcipit, Ad quam præſtantiam hoc eſt omnium primum & efficaciſsimum,

quod nostros mortuos ad quietem fidei hinc decedere credimus, ex qua ad æternam consuetudinem cum Deo & omnibus sanctis excitabuntur die nouissimo, ubi paulo post rursus cum ijs coniungemur, quos mors hinc à nobis diuellit. Cæteras ex diuinis & humanis consolationibus non colligemus hoc loco, Vnam autem affert, miseram quidem sed consolationem tamen & ipsam, tristicia horum temporum quibus is est status rerum omnium, ut de Ecclesia & Republica, quam simus relicturi nostris liberis omnis spes bona præcidatur. Ruunt imperia in toto orbe terrarum, quorum nullum iam est pacatum, & hospitia Ecclesiæ ubi erunt paulo post? quid enim contra hanc structur fraude & dolo & ui manifesta, ante oculos est, & minis quidem. Inter hæc tanta mala quid potest melius aut optabilius accidere nostris paruulis, quam hos inter preces nostras & suas hinc euocari. Audiuimus in obsidione Turcica munitissimi loci eiusdam rebus desperatis Præfectum præsidij filios impuberes carnifici interficiendos tradidisse, ne in manus uenirent immanissimi hostis, & ne qui in Christum baptisati essent, ad Mahometistas transferati, in religione falsa educarentur, & pro eadem aliquando inter laniferos propugnare cogerentur, ad cuiusmodi mactationem postea aliæ matres facilius Liberos, cupidè omnes, & expetentes eam, obtulerint (rectè ne an secus non quæritur in præsentia)

utq; ita postea in certam mortem ruisse ducem & præsidiarios, pugnantes aduersus hostes usq; ad uitæ exitum, Hispanicus exercitus quid aduersus omnem ætatem & sexum crudelitatis & turpitudinis exerceat quotidianis nuncijs ad nos affertur, Quæ etsi & ipsa lacrimis maiora sunt, omnium tamen malorum terrimum est, quod de religionis etiam ueritate in periculum præsens uenimus, & maius quidem à dolo & conciliationum impiarum molitionibus, quam armis hostium.

Oremus igitur filium Dei ut nos in ueritate sua conseruet, & liberis nostris, & puericiæ succedenti nobis in statione tam periculosa uitæ, locum et hospitium concedat, ubi rectè educentur. Qui uero iam ex hac uita decedunt, ijs gratulemur hoc, quod superatis tantis periculis in portum uenerunt quietis sanctæ, ex quibus indicamus uobis in præsentia GREGORIVM filiolum nondum quinquemestrem, Domini CASPARI PEVCERI nostri uiri Cla. quem hodie hora duodecima sepeliet, quarto ex familia & sobole sua funere, cum superioribus annis tres filias extulerit, ut hic afferatur ei nouus dolor, qui nullum filium extulit hactenus. Huius uiri merita erga hanc schola & Rempublicam & studia iuuentutis, etsi ante oculos sunt plurima, publiceq; nota, aliquanto tamen plura & maiora sunt, quæ minus nunc conspiciuntur, & quasi in turba latent, ex quibus

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000316

plerāq; tum primum apparebunt, cum usus fructus horum rebus communibus subtrahetur. Oremus igitur hoc etiam filium Dei, ut & rei scholasticæ nostræ & ornatißimæ familiæ eum conseruet, & uitam ei clementer producat, ad educationem honestam suorum, & benemerendum quàm diutißimè de singulis & uniuersis, publicè & priuatim. Leniamus etiam officijs nostris quisq; suo loco ægritudinem lugenti, & ad deducendum funus infantuli indicato tempore studioſè officioſéq; conueniamus uniuersi. Cogitent scholastici magnam partem eorum bonorum quibus in hac schola plerisq; fruuntur, imprimis pauperes, se Domino Deucero debere acceptã referre. Atq; persuademus nobis unumquenq; tam ex scholasticis, quam cæteris nostris sua sponte præstiturum, quod deberi intelligit. ut indicatio de funere & sepulturæ tempore sufficiat, & mandato de reliquis nullo sit opus.

P. P. VII. Calend. Septembris.

ORATIO A MAGNIFICO RECTORE ACADEMIÆ, pronunciata ante legum scholasticarum recitationem publicè, Nonis Septembris.

CVM de legibus aliquid hoc tempore præfandum esset, & magno me dolore afficeret contuitus

tuitus præsentium Ecclesiæ calamitatum, ac metus futurarum, non alia de re, quam de his dicendum esse censui. Nam & illud uerum est, ὅπου ἀλγεῖ τις, ἐκεῖ τῶν χεῖρα ἔχει, & querelis si non egeritur prorsus, diminuitur tamen ac lenitur dolor, & cum magnitudo calamitatum demonstratur, fieri non potest, quin ut aliqui saltem modestiores fiant, ac moueantur, ut de sua suorumq; & de Ecclesiæ salute cogitantes, ardentius orent & uiuant religiosius. Sunt enim, sunt profecto, ut prodigia in natura suum quasi exonerante dolorem, quem ex sensu nostrarum miseriarum concipit, sic multo magis clades atq; calamitates generis humani, cum exempla iræ, iudicij ac iusticiæ diuinæ, tum conciones legis diuinæ, peracerbæ ijs, qui in pœnis hærent, miserabilem in modum oppressi, sed acerbiores longè futuræ spectatoribus securis & ociosis, nisi exemplo emendati seriò resipuerint, & uera ac non simulata pœnitentia ad Deum conuersi, atq; anxijs & anhelis suspirijs ingentia peccata sua & pœnas quas meruerunt tristißimas deprecati, fructus pœnitentia dignos ediderint.

Cohorrescit mens pia, & refugit in sese, audiens immanitatis exempla, quæ in Belgio exercentur promiscuè in cuiuscunq; generis ordinis et sexus homines, Non exilia profugos, Non præsentes silentia tuentur, Non leges, mores, pacta, conuenta, Non generis antiquitas aut familiarũ ampli

tudo. Non meritorum reſpectus, Non Euangelij abiuratio patrocinatur cuiquam, Sed graſſatur ſeuicia ſine diſcrimine in religiones, leges, iudicia, mores, inſtituta, libertatem, omnes ordines. Nullæ direptiones facultatum, laníenæ nullæ, nulla quantumuis atrocia & exquiſita ſupplicia, Nulla anxiquiſſimarũ et nobiliß. familiarum exeidia, Nullæ urbiũ deuaſtationes. Nulla ſtupra, adulteria, Sodomæ ſatis ſunt. Omnia uno impetu & furore proterit, polluit, conculcat, conficit obruit Hiſpanica Tyrannis, Ægyptia quauis aut Neroniana immanior. Nec quietura uidetur priuſquam & proſtrata, uerſa, extinctaq; uideat omnia, è quibus Chriſtiani ſpiritus aut ſanguinis aliquid emicat, & profligatum uce Euangelij Idolum abominationis Pontificiæ paßim reſtituatur ac regnet. Non enim ut initio, nititur hæc Tyrannis ſedicionum uelo, ſed aperte ſe Regum ac Pontificũ conſpiratione, iteratum hoſtem Eccleſiæ Chriſti, et Romanæ Idolomaniæ ſummum patronum ac propugnatorem profitetur, ſe præclarum uindicandæ religionis Romanæ quaſi uexillum ſuſtuliſſe cæteris gentibus gloriatur in ſummis occaſionibus diuulſæ domeſticis diſſidijs Germaniæ: denig; ut ſemel dicam, conatu extremo religioni patrioi internecionẽ, et agminibus hanc tuentib. non diſſipationẽ ſed deletionẽ ὐπωπολεθρίαν minitatur.

Hæc triſtißima ſpectacula intuentes, non quæramus cauſas, propter quas tam atrociter gens Belgi-

puniatur, ſed exempla ad nos pertinere cogitemus. Ordientes igitur à nobis ipſis, deploremus ſcelera noſtra, ac ſingulari ſtudio accerſitos furores, quibus Deo offenſo, calamitates attrahimus, & abijcientes nos ſupplices coram filio Dei, precemur hunc unicum Mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtũ, ut miſertus noſtri intercedat apud Patrem pro nobis, et pœnas illis mitiget, à nobis ſimiles auertat.

Scieis dictum filij Dei, cum apud eum Pilati crudelitas accuſata eſſet, qui aliquot Galilæos interfecerat, & coegerat cæteros in ſacrificijs haurire cognatorum ſanguinem, Etſi res atrox erat, Chriſtus tamen omiſſa mentione Pilati, auditoribus inculcat exemplum. Omnes ſimiliter peribitis, niſi pœnitentiam egeritis. Clades ergo & calamitates uicinorum de noſtris nos peccatis commonefaciant, ad pœnitentiam exuſcitent. Videtis quanti ſint furores hoſtium domeſticorum in Eccleſijs noſtris, Quam horribili & ſcelerata audacia nonnulli aut propugnent olim condemnatas ab Eccleſia orthodoxa blaſphemias, aut conflent deliria noua ueteribus deteriora. Quàm multi inſani ambitione aut odijs rabidi, ut cupiditates expleant ſuas, & retinant potentiã ac ſui theatri applauſum, prohibent ne ulla docentium concordia coaleſcat, quo artificio dam ſibi conſulunt, religionem omnem euertunt. Quam multum ſit ubiq; Epicureæ ſecuritatis? Quantum ſibi indulgeant plurimi in uoluptati-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000318

ptatibus inconcessis, & immoderatis? Quanta ὕβρις sit & petulantia? Quantus legum, disciplinæ, magistratuum contemptus ante oculos est. Hæc agnoscamus, hæc uero gemitu planctuq; intimorum pectorum defleamus.

Non fuit inde usq; ab initio emendatæ religionis Ecclesia in maioribus periculis, quam hodie est. Redacta enim ad paucos, & lacera ac dispersa uersatur ceu pusillus grex inter conferta & circumfusa agmina rabiosissimorum luporum, quos implacabilibus nostri odijs ardere, & extrema omnia tentaturos esse, nec nisi delctis nobis funditus, finem sæuiciæ facturos, docent exempla Gallicæ & Belgicæ sæuiciæ, perfidiæ & pertinaciæ.

Sustulit autem ex oculis Deus humana præsidia omnia ac spem etiam auxiliorum omnem præcidit, ut quasi exarmatos spebus rebus deseruisse, & lanienæ hostium obicciſſe nos uideatur. Ex ijs autem, ad quos cura Reipublicæ pertinet, quotus quisq; est, qui hoc quod conceptum Germania periculum parturit, consilio anteuertere, ad discutere conetur, aut qui se affici eo periculo ostendat.

Magnitudo uero oppositæ potentiæ, & inclementia fortunæ aduersantis consilijs ceptis ac conatibus honestis, frangit & languefacit animos cæterorum, qui pro defensione Ecclesiæ aliquid

sese ausuros esse hactenus declararunt. Nam & nuper dissipatæ horum copiæ uno hostium impetu ualde terruerunt plæros q;, & partam initio uictoriam corrupit præmaturus & miserabilis interitus unius ex ducibus ADOLPHI, comitis Nassaensis, in quo adolescente indolis generosissimæ animi excelsi, ac planè heroici, grauitatis et constantiæ maioris quàm pro ætate, ingenij deniq; ad summa omnium, contentione quadam properantis, illustria, & præcocia nimis documenta admirata est ac uenerata hæc Academia, quando eum non alumnum tantum habuit & auditorem, sed quod singulare decus esset atq; ornamentum scholæ, ac uirtutum omnium uiuum & conspicuum exemplar, Magistratum etiam scholasticum eum gerere uoluit, in quo & seipsum & omniũ de se opinionem cũ superasset docuissetq; qualis quantusq; futurus esset, ubi ætas maturuisset, gloriam consecutus esset centaurorum opinione quidem exiguam, quod inter scholasticos pulueres parta esset, talẽ tamen ut fundamenta prima iecerit ad alteram illam, quam prudentiæ ciuilis ac militaris industriæ deinceps laudibus cumulatam extremo actu uitæ pro Ecclesia, Republica, Iustitia, libertate impensæ ac profusæ absoluit.

Huius ueræ gloriæ ingens desiderium nisi ex nostris studijs ad Rempub. & iusta ac necessaria bella attulisset, tantis se periculis tam imprauido infractoq; animo nunquam obiecisset. Hunc ergò

extinctum deplorant, hunc requirunt bello ducem reliqui, interitu eius maiorẽ iacturam, quam exercitus dißipatione factam queritantes. Conditio ergò Ecclesiæ periclitantis ita se habet. Initia uero defensionis contra uim hostilem comparatæ, ita se dant, ut ab irato Deo flagellum Hispanicæ Tyrannidis sceleribus hominum immissum & suscepti ad hanc depellendam conatus irriti omnes futuri uideantur.

Etsi ergò ingens est robur, ingens potentia hostium Ecclesiæ, etsi immanitate sæuiciæ & crudelem assiduitate radicitus excindere tentant eos, qui doctrinam puriorem amplexi, testes huius & exules des ad posteritatem erant futuri, ne superstes, qui semina propagent, ut rudior & imperitior ætas destituta magistris ueritatis, paulatim Idolomaniæ Pontificiæ rursus assuescat, cumq; hac adolescat, non deficiamus tamen à filio Dei, nec de Ecclesia desperemus, nec abijciemus arma militiæ nostræ statione uelut in acie deserta, nec destituamus nos ipsos inuocationis præsidio. Amouet ex oculis Deus humana omnia, ut discamus non humanis consilijs aut uiribus seruari Ecclesiam, & profligari diabolos & organa eorum, sed diuinitus. Ideirco confugiamus ad hunc inuictum & omnipotentem ducem Dominum nostrum Iesum Christum, qui præ-

sidatur pro Ecclesia. Hunc imploremus supplices. Ab hoc animis & spebus pendeamus. Non deseret nos serio inuocatus.

Quod si constitutũ est Deo semel Ecclesiæ aperire examina, et inquisitione atq; animaduersione seuiore, id est, persecutionib. et supplicijs fidem cuiusq; explorare et in confessione constantiam, quam multi Thrasonicè hactenus iactitarunt, uix eminus aliqua periculorũ nubecula uisa, nec illa auerti possunt, at deprecemur tamen quantis possumus gemitibus beluinas illas honestarum uirginum et mulierum constuprationes & Scythicas deuastationes Ecclesiarum & politiarum, quales fiunt ubi impia & barbarica Tyrannis obscœnæ gentis dominatur, quæ suæ turpitudinis spectatores esse cogit parentes, maritos, cognatos. Ac certo confidamus, uel hac in parte Deum exauditurum esse gemitus nostros, nec de immensa misericordia Dei dubitemus. Antecuertet ille nos, si qui serij motus ad pœnitentiam & emendationem uitæ in nobis extiterint. Iurat enim dicens: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Vrgeamus ergò quæ sunt officij & uocationis nostræ, ac præliemur contra hostes oratione & studijs. Nihil enim nos possumus. Oratio contra Tyrannidem directa sit, hanc si profecta ex corde ad Deum conuerso, sine intermißione institerit apud DEVM, indubitato nobis persuadeamus poten-

potentiorem fore armis hostium. Studium ueritatis opponamus tenebris & caligini regni Pontificij et hæreticorum Sophisticæ at præstigijs. Sed accedat ad conatum discendi modestia uitæ sobriæ, temperantis & castæ, sine qua nulla potest fieri aut inuocatio Deo placens, aut intentio seria in res necessarias. De his rebus cum leges nostræ præcipiant ut attentè eas & reuerenter audiatis hortor.

POST RECITATAS LEGES.

AVdiuistis leges Academiæ, quæ cum hoc ipsum sonent ac præcipiant, quod sancit Lex diuina, confirmabunt in bonis ac liberalibus ingenijs ueras sententias & conatum rectè faciendi. Cæteris non cicuratis disciplina demonstrabunt, quid uox diuina, quid honestas, quid autoritas magistratus postulet? Hi sciant uiolatione petulanti harum legum fieri conscientiam ream coram Deo æternæ condemnationis & æternorum suppliciorum, & contumaciter delinquentes, si perseuerent in delictis, nec redeant ad maturam & ueram pœnitentiam emendatione uitæ in melius, in hac uita etiam abijci & deseri à Deo, & à sanctis Angelis, & cum deberent esse templa Dei, fieri eos cloacas Diabolorum. Etsi autem sanabilibus scimus sufficere uocem

uocem legum, ad nonnullos tamen qui & minas cœlestes, & gemitus parentum & docentium admonitiones, & legum edicta contemnunt, seueriore nos compellatione uti cogunt exempla flagitiorum quæ si dißimularemus non tantum non confirmatura essent in auditoribus licentiã peccandi et spe impunitatis corruptura alios, sed & nobis priuatim conscientias grauatura essent, qui hoc loco collocati sumus diuinitus, ut flagitia & scelera coherceamus.

Ordinem uestrum adolescentes in honestißima societate huius agminis scholastici post religionem animorum quæ Deo debetur, decent, præcipuè officia iusticiæ, temperantiæ et modestiæ.

Iusticiæ propria sunt reuerentia erga leges, erga parentes, doctores, Magistratus. Subijcere se legibus, iudicijs, disciplinæ, Non turbare sociorum aut ciuium operas, aut eorundem, & ægrotorum quietem, rixis, pugnis, barbaricis uociferationibus & tumultibus, non rapere aliena, non uim facere, aut insidias struere cuiquam. Tribuere tempora studijs, precibus, honestis colloquijs, & alijs officijs uocationi conuenientibus.

Temperantiæ sunt seruare modum in cibo & potu naturæ congruum, rectè distribuere laborum, exercitiorum, cibi, recreationum honestarum, & somni tempora, fugere Venerem studijs inimicam, & commixtiones omnes atq; pollutiones cor-

corporum diuinitus prohibitas. Vitare loca ſuſpecta, occaſiones congreſſuum, & illecebras alias, quæ irritant uagarum appetionum incendia.

Modeſtiæ ſunt in ſermone uitare obſcenitatem, quæ eſt ὑπέκκαυμα τῆς ἐπιθυμίας, ſeueritatẽ, arrogantiã Thraſonicam, conuicia, ſuggillationes obtrectationes alienæ famæ, et exiſtimationis, uirulentiam, atrocitatem et minas. In moribus geſtu & inceſſu uitare toruitatem, ferociam, laſciuiam. In ueſtitu luxum, deformitatem, affectationem peregrinitatis non conuenientem ordini noſtro. In his rebus diſcedere à legibus & iudicijs Parentum, præceptorum, & honeſtorum hominum & per ſe res turpis eſt, & initium eſt contumaciæ perniciosæ ac furorum in maioribus rebus.

Sed hac in parte officij ueſtri delinqui à nonnullis grauiter magno cum dolore noſtro compertimus. Vagantur multi ſine certo magiſtratu, qui nomina profeßi ſua non ſunt, quod contra iuſticiam eſt. Et per ſe ea res ſi ex contemtu proficiſcatur, præ ſe fert contumacem quandam fœrociam, recuſantem uincula legum ac diſciplinæ frenos, & quærentem licentiam peccandi, & impunitatem, quam apud nos inuenturi illi non ſunt. Comprehenſi enim in delictis turbantibus diſciplinam & tranquillitatem publicam, quicunq; fuerint, tradentur magiſtratui, cuius gubernationem non paternam, qualis noſtra eſt, ſed paulo ſeueriorem futuram experientur.

perientur. Nondum ergò ſua nomina profeßis edicimus, ſi commorari hic ſtudiorum cauſſa uolent, ut nomina dent & ſe obligent ad ea faciendа, quæ leges iubent. Qui id non fecerint, aut explorati non tolerabuntur, aut re occultata, ſi operam noſtram aliquando implorauerint, tanquam alieni repellentur & deſerentur.

Præter hos ſunt alij, qui in ſuburbanis hortos ciuium ac uineas armati depopulantur, foribus aut ſepibus perfractis, & ut maior ſit occaſio ad rapinas tales, et effugia, extra urbem in ſuis quibuſdam, ſed parum honeſtis latibulis pernoctant. Hæc res uiolentæ graſſationis ſpeciem habens, multò magis iuſticiæ repugnat, & quo ſupplicij genere legibus Imperatorum puniatur, notum eſt. Edicimus igitur & his, intra urbem, & intra ſtationis ſuæ metas ſeſe ut contineant, ab alieno ut abſtineant & à geſtatione armorum atq; ab omni uiolentiæ genere ſibi ut temperent, ne noctu aut ab excubitoribus ſuburbanis & hortorum cuſtodibus malè mulctati, quod non rarò accidiſſe audimus, aut à nebulonibus, quorum ſuburbana alunt & fouent colluuiem non modicam circumuenti, pœnas dent iniuſtorum conatuum, mutilatione corporum aut iactura uitæ, aut ſi nobis indicentur, cogant nos uſurpare ſeueritatem neceſſariam coercendi, quæ creſcit, licentiam.

De ſcortationum uerò fœditate, quæ contagio prauî ſodalitij & malorum exemplorum

occa-

occultè inter ſcholaſticos ſerpere, & impuberem atq; improuidam ætatem miſerabilem in modum corrumpere perhibentur, de his ergo quibus uerbis queramur, & turpitudinem flagitij abominandi, qua oratione exaggeremus, uix reperimus. Mallemus enim parcere caſtis auribus ætatis teneræ. Sed non ſinit nos tacere ſollicitudo de uobis noſtra, Scorta impura, exoleta, vlceribus plena, non per dumeta tantum & fruteta in ſyluis ueſtigari, ac per ſuburbana latibula circumduci, ad quæ noctu concurſus fiunt, ſed in urbem habitu uirili introduci, atq; in habitationibus ſcholaſticorum aſſeruari affirmantur. Qua de re etſi ut occultè fiant inquiſitiones, mandata dedimus, tamen ut quæ ſit ſententia & uoluntas noſtra uobis conſtet, ſcitote comprehenſos in ſcortationibus aut de meretricum amoribus & conſuetudine conuictos, aut uenereis rebus quocunq; modo deditos nos publica & ſempiterna infamia notatos, tanquam putrida membra, & pernicioſa alijs publicè & priuatim ab hoc corpore reſecturos eſſe.

Quanta ἀναιδησία eſt, quantus furor, nihil moueri fulminibus tam atrocibus comminationum diuinarum aduerſus ſcortatores? Nihil moueri excidijs tot regnorum, gentium, urbium, familiarum, quæ propter libidines deletæ ſunt. Deniq; nil moueri, periculis proprijs animorum & corporum. Eos alloquor, qui commixtiones impuras & flagi-

flagitioſos meretricum amores ſectantur. Cæteros timentes Deum & ſtudio pietatis reuerenter obtemperantes legibus ac Magiſtratui rogo, ne oratione inſuaui, de re impura offendantur & contaminatorum ſodalitia ut fugiant, ne halitu, ne conſuetudine, ne umbra illorum inquinentur, conſcios ergo ſuæ impuritatis alloquor.

Inania ne terriculamenta creditis eſſe illas iuſticiæ diuinæ uoces: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has de terra extirpabitur. Item Manifeſta ſunt, opera carnis πορνεία, μοιχεία, ἀκαθαρσία, ἀσέλγεια &c. Qui talia faciunt, id eſt, qui quoquomodo ſeſe prohibitis libidinibus contaminant, regnum Dei non poſſidebunt. Item ſcortatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Ne erretis, Nec ſcortatores, nec adulteri, nec ebrioſi, nec fures, nec raptores, hæreditatem regni Dei adibunt. Has ergo tam atroces diras & comminationes an putatis inanem uerborum ſonitum eſſe? Sed & alia audite: PAVLVS inquit: Fugite ſcortationem, omne peccatum quod fecerit homo extra corpus eſt, ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat. An ignoratis corpus ueſtrum eſſe templum Spiritus ſancti, qui eſt in uobis, quem habetis a Deo, Neq; eſtis ueſtri iuris. Nam emti eſtis precio. Glorificate igitur Deum in corpore ueſtro & in Spiritu ueſtro quæ ſunt Dei.

Cætera peccata inquit Paulus fieri extra cor-

pus. Homicidæ enim plærumq; in alios sæuiunt. Rariores sibimetipsis uiolentas manus inferunt. Scortatio uero polluit proprium corpus, id est, transfert ad usum alienum contra ordinem à Deo institutum, & destruit templum Dei in peccante. Vt enim in quolibet peccato sit destructio duplex. Prior est in peccante, qua se auertit ipse à Deo, & fit reus iræ & mortis æternæ. Altera est destructio obiecti. Ita in scortatione prima destructio est in uoluntate et corde excutiente rectorem Spiritum sanctum, & se auertente à Deo, atq; impellente externa membra, ut obsequantur flammis illicitarum appetitionum et diaboli instinctui, qui derelicta à Spiritu sancto corda inuadit & occupat, & libidinum incendia auget. Postea sequitur destructio obiectorum, quæ sunt corpus proprium et corpus alterius personæ. Quantum autem scelus est corpus quod nostri iuris non est, sed pretioso sanguine filij Dei redemptum est, ut sit templum Spiritus sancti. Id ergò accommodatum ad usum alienum contra Dei institutum et ordinem, ac sœde conspurcatum, electo inde Spiritu sancto ausu horribili mancipare diabolo?

Sed ne putetis uoces diuinas aniles fabulas esse, ad inanem terrorem confictas. Addidit Deus pœnas, quæ sunt merces operi conueniens. Non enim tantum conscientia scelere astringitur, & sic reorum

coram Deo, sed ut in corpus proprium delinquitur, sic pœnæ deinceps in corpore hærent, quæ sunt fœdi, sæui, & atroces morbi, Inguinum Bubones, maligna, cauernosa, lurida sanie manantia, retroq; fœtore abominanda & pastu rosioneq; continua serpentia ulcera, uirulentæ gonorrhææ, & quæ uenenatæ qualitatis ac pernicioſæ labis uehementia cætera mala cuncta superat, Lues Venerea Gallicæ scabiei celebrata nomine, miserabile uagæ & prohibitæ Veneris flagellum. Hæc contagio concipitur ijs partibus plærunq;, quibus peccatur, indeq; continuatione quadam celeriter totum corpus peruagatur, Nec Spiritus tantum aut humores, sed carnem ipsam etiã ac partes solidas inquinat, cumq; insederit & radices egerit, quod cito fit, non temperamentum solum, sed & substantiam corporis, & cpar imprimis fontem sanguinis inficit sic ut nullum deinceps corpori alimentum conueniens subministretur, Inde infecto & uiroso sanguine lues in uniuersum corpus disseminatur, inq; habitum corporis uertitur.

Ab internis cum ad superiora sese uirus effundit, depilat cutem capitis, fœdum in modum defluentibus capillis & pustulis luridis fœcundo prouentu suppullulantibus, aut in abscessus & ulcera extuberat, quæ uiroſam ac fœtentem saniem fundunt, Aut erosione continua exe-

dit atque excauat fauces, inque his simulue partes prominentes, ut columnellam & Amygdalas depascens, uel Gingiuis putredine absumptis aut peragratis labefactans & excutiens dentes, uel nares deformiter lacerans, uocis usum adimit aut deprauat, ut in perforatis sinuoso pastu faucibus per nares fœda uoragine hiantes inconditum quiddam, & ab humana uoce alienum ululatu tumultuante, aut obstreperum & raucum resonet, & anima assiduè tetrum expiret halitum.

Quod si ad ossium membranas neruosasq; partes, & cutẽ uirosa materia coaceruata exitum non reperit, immani cruciatu in partes obsessas desæuit. Non enim articulos ut in Artritide distorquet, sed medios inuadit & discruciat artus, in quibus plerumq; Ganglia, Nodi, aut tophi concrescunt, et frequentius quidem in media fronte, capite, ad clauiculas, in medio tibiæ anterioris. Estq; hoc ipsum testimonium iusticiæ diuinæ inflici atq; infestari quæ partes insigniores uoluit, & caput inprimis, ut cum sit mentis & sapientiæ sedes, quæ principatum obtinet in homine, de non repressis & cohibitis membris externis pœnas daret, & ut argumenta & notæ pollutionis infectionisq; emineant & conspiciantur ab omnibus in ea parte quæ tegi & occultari cum non possit, omnium oculis, [illegible] & fœdæ libidinis pœnas ostentat. His cruciatibus multi tandem extinguuntur. Nonnulli cum [illegible] gna

putredo penitus insedit erumpentibus toto corpore uermibus interfœtores teterrimos miserabiliter pollutam animam exhalant.

Hæc in præsentia commixtionis non licitæ merces est, quæ cedit corporibus peccantium. Ac teneris quidem corporibus per se etiam VENVS nocentissima & infestissima est. Subtracto enim uiuidi succi pabulo, quod cedere nutritioni & incremento corporis debebat, prohibet non modo ne ad eam proceritatem, quam natura instituit corpora excrescant, sed etiam ne firmentur unquam aut solidentur. Ita ante maturitatem & uigorem ea enecat & senectam aut mortem accelerat. Ἤυφ γαρ ἕτερ᾽ ἀλλὸ ἠχλ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν, secundum Hesiodum. Sed præter has singulorum pœnas, sequuntur aliæ longæ atrociores, quæ grassantur in posteritatem, in totas familias, Respublicas, urbes, Regna & Imperia. Tales pœnas ne uobis, ne uestris, ne nobis omnibus attrahatis, desinite obsecramus uos, desinite sectari turpitudinem, & agite pœnitentiam, uero dolore deplorate hos lapsus uestros, & ueniam petite, & corpora expurgata à cœno et inquinamentis obscœnitatis & spurciciei, præstate pura & sancta templa Spiritui sancto.

Cum autem fons origo & causa horum & similium aliorum maximorum scelerum ac flagitiorum sit Ebrietas, præcipimus uobis scholasticis,

quanta possumus fœueritate, ut sobire uiuatis. Sobrietate enim alacres redduntur et expediti animi ad meditandum, ad concipiendos afflatus & motus Spiritus sancti, miscentis suos halitus spiritibus nostris in cerebro & corde, deniq; ad precandum, ad omnem seriam animi in res graues & magnas intentionem. Ebrietate crassescunt & caligant spiritus nubium instar, aut nebularum, stupet mens obruta mole fumorum, æstuat totum corpus, pruriunt & luxuriant appetitiones uini calore inflammatæ. Et fit in corpore turbato quod in seditiosa ciuitate fit, aut factũ scribitur ἐν κρησπωμ ἀγορᾷ ὅπου ἀκόσμια οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός. Euenit ergo quod in sedicionibus euenire solet, ut cõrij fuerenter ruant in rixas, conuicia, prelia, cædes, libidines, uti res ferunt & dant sese occasiones, & naturæ procliuitas uino excitata atq; armata quemq; impellit, de qua helluandi consuetudine cum sæpe alias graues commonefactiones propositæ sint, dicendi finem facio, unum addens de uestitu.

Minimè decere imò deformare insigniter Scholasticos nostros Turbinatos illos seu militares seu equestres seu uiatorios pileos, quibus hodiè nouo exemplo utuntur plurimi, & ij quidem maximè, qui communi mensa fruuntur. Forma pileorum cum Turcica sit aut Tartarica, ualde uèremur ne æmulatio præsagium sit morum aut Imperij barbarici. Comperimus autem homines peregrinos, qui huc

huc diuertuntur, hoc habitu uehementer offendi, et nostram hac in parte disciplinæ constituenda & regenda negligentiam grauiter accusare.

Cum ergo magna insit illis deformitas, nec usum domi præstent, extra tempestates, procellas & uentorũ turbines constitutis, imò impedimento sint oculis, quod laxa & promissa ora dependent, & pondere caput grauant, præcipimus uobis, ut pileos illos deponatis, & debere uos hoc iudicijs bonorum & nobis præceptoribus cogitate.

Has commonefactiones, quas necessitas nobis præsentium morum & temporum expressit spero diuina benedictione non irritas fore apud auditores nostros, quibus & affectiones nostras atq; curas uere paternas cognitas multis modis, atq; perspectas esse, & quo animo atq; consilio conemur uos ad optima quæq;, & Deo gratissima inuitare, atq; assuefacere exploratum esse non dubitamus.

Oro igitur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum toto pectore, ut in periculosissimis his Ecclesiæ fluctibus, ipse sit, & maneat Rector suæ Cymbæ & seruet Ecclesiam, ne obruta tempestatibus cruentarum persecutionum mergatur. Protegat etiam & defendat has regiones, quæ præbent Ecclesijs & studijs hospitia multos annos, & auertat à nobis persecutiones ac uastationes crudelissimas tristissimæ seruitutis, quam animabus nostris & corporibus pontificia Tyrannis molitur

& intentat, et hoc faciat, propter suam gloriam, ne de oppressa Ecclesia, de deleta luce Euangelij, de excisis hospitijs Ecclesiæ gens Impia extultet, ac triumphet, & per Idolomaniam Pontificiam Deus rursus contumelia afficiatur, flectat etiam corda uestra ad cogitationem, studia & actiones pias rectas Deoq; gratas, salutares uobis ipsis, & alijs.

DIXI.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI M. CHRIstophorus Pezelius Plauensis: & Collegæ eius Professores optimarum artium & disciplinarum in Academia VViteberg. Lectori S. D.

QVemadmodum discrimen est inter eas Philosophiæ partes, quæ sermonis sunt, quæ idcirco à Latinis dicendi artes, Græcis generali uoce λογικαὶ nominantur: Et illas, quæ in rerum cognitione, contemplationeq; naturæ uersantur: Ita sapiens uetustas in scholis gradus honorum distinctos esse uoluit. Nam qui in institutione puerili, in præceptis disserendi, ac in dicendi doctrina probè exercitati esse uisi sunt, BACCALAVREOS creauerunt, Quod Lauri corona propter diligentiam et labores in literis digni haberentur.

Hic

Hic primus fuit in Philosophia gradus, à quo deinde ad alterum contendebant, qui à Magistri arte & officio Magisterium appellatur. Quem qui consequi cupiebant, hi in uitæ ac morum disciplina, in Mathematicorum scientia, & in naturæ contemplatione atq; obscuritate tamdiu erudiebantur, dum nihil illis ad plenam ac integram Philosophiæ cognitionem deesset.

In utroq; autem gradu conferendo examina ueteres præcedere uoluerunt, in quibus singulorum profectus summa diligentia explorabantur: Magna etiam cura morum uniuscuiusq; ratio obseruabatur, qui honores illos studiorum decerni sibi uellet.

Hanc ueterem consuetudinem nostra quoq; Academia diu sic retinuit, ut nemini ad Magisterij titulum pateret aditus, nisi qui primum studiorum gradum consecutus esset.

Sed ut nihil diu firmum est ac stabile, ita paulatim contemni hic primus gradus scholasticus cœpit, non aliam ob causam, quàm quod plæriq; examina fugere, & ordinem in discendo negligere, & artes inferiores contemnere & ad maiora, antequam fundamenta rectè iacta sint, aspirare soleant.

Quod cum non fiat sine summo studiorum detrimento; Gubernatores publicorum studiorum,

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000327

ut de ordine in discendis artibus obseruando moneantur adolescentes, & ad examina assuefiant: magnopere in scholam reuocare cupiunt consuetudinem decernendi publicè primum gradum, qui ijs debetur, qui perceptis feliciter primis artibus, quæ sermonis formandi, & regendæ ratiocinationis causa traduntur, & degustatis aliquantulum reliquæ philosophiæ initijs, fundamenta iecerunt ad eruditionem solidiorem.

Etsi autem multorum imperitorum sinistra sunt de gradu iudicia: Ita enim profecto, hoc nostro seculo ferè omnibus bonis rebus accidit, ut uirtutes pro uitijs haberi: Vitia pro uirtutibus coli: & quæ honoris atq; laudis olim fuerunt plenissima, ea nunc contemtui atq; reprehensioni patere solent: Tamen honesti adolescentes, qui paternam præceptorum curam erga se agnoscunt, iure ac meritò insulsis aliorum clamoribus anteferunt, doctorum hominum iudicia, quæ, ut Plato in quadam Epistola inquit, certiora sunt, quàm malorum opiniones.

Cum igitur hoc tempore hi honesti & docti adolescentes XXI. Quorum nomina infra asscripta sunt, reuerenter præceptorum consilijs & uoluntati obtemperauerint, & in examine egregium specimen primæ eruditionis, morumq; integritatis ediderint, Decreuimus eis Cras, Deo adiutore, publicum testimonium tribuere. Quod cũ fieri deceat, infre-

quenti consessu doctorum uirorum, et studiosæ adolescentiæ: Reuerenter & amanter oramus generosos Barones, Doctores, Magistros, et studiosos omnes, ut ad renunciationem illam, die crastino ad horam VIII. non grauatim in auditorio maiori conueniant, & sua præsentia testentur, se initia parua maximarum rerum magnifacere, & preces ac uota nobiscum coniungant, ne doctrinæ studia inter nos filius Dei extingui sinat.

P. P. XIII. Octobris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

QVO maior fit indies temporum difficultas, eo magis cogitari oportet, unde sustententur pauperes nostri in morborum & aliarum calamitatum casibus & non tantum pauperes, sed etiam ij, qui in promtu non habent, aut habere non possunt, quibuscunq; de causis interuenientibus, quæ ad ualetudinem afflictam ipsorum curandam requiruntur. Ad hunc usum intra oppidum domum emit SENATVS Academiæ ante annos plures uiginti quatuor, & ante biennium alteram suburbanam, atq; singulis annis ter Eleemosynas suorum colligit, non enim satis est hospitia

curare

curare miseris, sed sumtus etiam suppetere oportet, quibus ad curandos tales opus est. Ita autem sunt res nostræ, ut hi non possint apud nos nisi contribuendo confici. Cum igitur iam tempus sit, quo hoc anno secundum colligantur Eleemosynæ à nostris, his diebus iterum circummittemus, qui hanc petant rei scholasticæ, atq; uniuersos & singulos meminisse cupimus earum commonefactionum, quæ de hac re iam toties propositæ sunt, & quas sua unicuiq; pietas cogitanti subijcit, ut benignè & humaniter singuli contribuant, sicut hoc pietas ipsa & officium, atq; respectus Dei et hominum & ordinis communitas ab unoquoq; nostrum postulat, scriptum est, Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. De exẽplo igitur eius Archetypi, ad cuius imaginem conditi sumus, præstemus inter nos dilectionem dignam professione Christiana, & simus benefici erga indigentes ope & subleuatione nostra, ut simus filij patris nostri τοῦ ἐν οὐρανοῖς, sicut Christus concionatur.

Etsi autem in alijs etiam omnibus uitæ officijs dilectio & misericordia pietatis spectatur, eminent tamen in largiendo & benefaciendo pauperibus & afflictis, unde & quæ his præstantur excellenti nomine in Ecclesia Eleemosynæ & ἀγαπαί appellatæ sunt. Has igitur ut præstetis ordini communi, iterum singulos & uniuersos uos hortamur, & oramus. P. P. 12. Octob.

IN

IN LIBELLI HORATII DE ARTE POETICA explicationem.

INTER Aristotelis apophthegmata, legitur & illud ἡ μὲν ὄρασις ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων, id est, uisus à circumstante aere lumen: Anima uero, à disciplinis accipit. Etsi enim aliqui naturæ quodam habitu ac beneficio propè diuino, atq; singulari, per se ipsos, non adiuti operæ alienæ, & præclari, atq; excellentes extiterunt, cum in confesso sit, orationis præstantiam, aliarumq; rerum omnium, in naturali quadam δυνάμει seu facultate consistere: Tamen sine ulla dubitatione, institutio liberalis doctrinæ, uim illam, quam ex natura habent, excolit, atq; ampliorem efficit, ut rectior ac felicior proueniat.

Quod & Plutarchus de puerorum educatione scribens, communia & necessaria esse quibusuis artibus & scientijs, tria hæc, asserit, φύσιν, λόγον, ἔθος. Neq; ex his una sublata, reliquas esse integras putat. Itaq; Horatius in Epistola ad Pisones περὶ τῆς ποιητικῆς, contra eos disputat, qui in natura solum putant esse omnia: ac eam sine studio ualere statuunt, uerum Pindarus, quod ἑαυτὸν λέγει αὐτοδίδακτον, Naturam præferre doctri-

næ

næ uidetur. Cuius uerba in Epharmoſtum Opuntium hæc ſunt: τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν: πολλοὶ δὲ διδακτῆς ἀνθρώπων ἀρετῆς κλέος ὤρσαν ἐλέσθαι: ἀνεὺ δὲ θεοῦ σεσιγαμένον γ' οὐ σοφώτερον κἄμολ, ἕκαστον. Quorum ſententia eſt non ut natura per ſe, poſſit opera conficere: Verum, ſi magnus ſit eius habitus, arte aſſumpta, præclarum fieri, & excellens quiddam, artem uero, & inſtitutionem per ſe nihil memorabile poſſe efficere, quod in lucem ſit proferendum. Quare ut Horatius opinionem eorum oppugnat, qui Naturam ſufficere ad excellentiã in rebus omnibus, aſſerunt: Ita Pindarus contra eos diſputat, qui omnia ponunt in arte, Quam negat, niſi coniuncta ſit cum optima natura, quicquam efficere quod tacendum non ſit potius, quam prædicandum. Nam etſi gloriatur ipſe, Naturæ præſtantia ſe multum ualuiſſe, & ſine doctoris præceptione atq; ductu, quantus eſſet, extitiſſe Non tamen negat ſuo ſtudio, inueſtigatione atq; induſtria ſe perfeciſſe, ut artis ignarus non eſſet: Dixit enim ſe ἀυτοδίδακτον, Non autem ἀπαιδεύτον: Qui uero, ingenio ſunt rudi, et precibus hallucinante natura, atq; abſurda: Nulla unquam arte, nullaq; inſtitutione, probabiles eſſe poterunt. Natura enim bona, ſine artis adiumento, in præditis diuina & peculiari ui quadam uiris, poſſe aliquid ex re ipſa conſtat: Studium uero & ars, niſi ſocia natura, iuxta Quintilianum, nihil omnino ualet. Neq; eam efficaciam habet, ut in Bruto Tullius ſcribit, ut totum aliquid, cuius in in-

genijs noſtris pars nulla ſit, pariat, atq; procreet. Sed ut ea, quorũ principiũ atq; fomitem inſitũ quendam in nobis habemus, et quæ ſunt orta iam in nobis et procreata, educet atq; cõfirmet. Hæc ut ueriſſima ſunt: Ita, ſi inſtitutio ad naturæ felicitatem accedat. id quod ſinearte, aliquid ſæpe crat, iam ea cõiuncta, eximium aliquid, atq; admirabile fieri, extra omnẽ controuerſiam eſt. Vt. n. agri non omnes frugẽ adferunt, quib. cultura impenditur: Sic animi nõ omnes culti, fructũ exhibent. Sed rurſus, (ut in eodẽ ſimilẽ uerſemur) ut ager, quantumuis fertilis, ſine cultu, frugi eſſe non poteſt: ſic ſine doctrina, quantumuis acutus animus. Itaq; eſt utraq; res ſine altera debilis. Cum. n. mentes humanæ magna laborent caligine, et naturæ inſit debilitas, et infirmitas ingens, nec raro maxima etiã ingenij ui præditi neglectis et ſpretis artiũ adminiculis error quodã, pro ueris inconuenientia apprehendãt et conſectentur: Artiũ præceptiones, in qualibet diſciplina præſcriptæ ſunt, ut & filum Ariadnæum ſint, & repagula quædam in quorum ambitu contineri & uerti ingeniorum uim atq; uehementiã oportet. Poetice uero, cũ præter reliqua exercitia, antè et per ſe quoq; liberiori iurè in rerũ inuẽtione, et peculiari quodãmodo collocationis, potiatur, et naturæ quoq; in ipſis artificib. liberiori ſpiritu ducantur, atq; etiã efferantur, præceptionib. ad quas reſtringatur, et orationis in hoc genere liberia et excurſus, et ingeniorũ ubertas carere non poteſt. Quare cũ de hac parte liberaliũ exercitiorũ

in

in latino sermone nihil præstantius, quã à Horatio, æditum sit: Eius de hac re Epistolam superioribus mensibus explicandam suscepi. Cuius tractationem, cum mihi occupationes quædam insuaues interuenerint et oppressérint: Neq; tamen interea temporis alia officia, quæ ad studiorum incrementa pertinent, à me omissa sint, cuius generis, Dei beneficio, argumenta in medio sunt. Nunc ad publicas prælectiones meo loco reuerti, constitutum habeo. Notum itaq; facio auditoribus meis, me hodie Horatij tertia continuaturum operam expositionis eorum, quæ restant in hac Horatij de arte poetica Epistola. Diebus uero Iouis & Veneris: in Virgilij explicatione pergam. P. P. 12. Octob.

Iohannes Maior Ioachimus D.
& Poeta Laureatus,
Professor.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

TErtius iam annus agitur, cum honesto loco natus, & ingenio opt: præditus iuuenis, CHILIANVS EIFELSETTTER, patria Kyttingensis, in hanc scholam missus est, de consilio imprimis & sententia patrui sui LEONHARTI RVGERI, qui inter ciues suos dignitate & uirtute

uirtute eminet, & de patria præclarè meretur, quem uirum amissis parentibus patris loco habuit & coluit. Ita autem nobiscum uersatus est hic Chilianus noster, ut omnes, quibus notus & familiaris fuit, studium pietatis, & literarum in eo fuisse testentur eximium, & uitam eum egisse inculpatam. Quod tamen esset corpore minus firmo, & ualetudine tenui, contentione animi perpetua magis est debilitatus, neq; sustinere hanc potuit, præsertim cum studia ciuilia Iurisprudentiæ, & maxima quidem cum spe, & cupiditate discendi summa ingressus esset. Qua de re cum ab amicis qui periculum intelligebant admoneretur, Vt curandæ ualetudinis causa aliquantisper ad suos excurreret, non potuit à se impetrare, ut studia sua intermitteret, & ab occasionibus discendi gratissimis discederet, itaq; his (ut uere proprieq; dicere possumus) est immortuus. Tandem enim defluxionibus augescentibus in attenuato corpore, hectica febris accessit, qua confectus tabescendo, heri sub horam secundam pomeridianam expirauit. Cumq; toto morbi tempore & sermonibus pijs, & precibus ardentibus professus fuerit fidem suam in filium Dei, Moriens commentatus fuit Canticum Simeonis, et quem hic oculis uidisset et manibus complexus esset, eum Iesum τὸν σωτῆρα corde suo discernere, & in uerbo et Sacramentis se apprehendere testatus est. Damnum fecit Respub. morte iuue-

nis huius, cum ad iuris ciuilis ſtudium, quo animi ad hanc adminiſtrandam præparantur, pietatem, et eruditionem, & iudicium rectum & integritatem ſingularem attuliſſe dicatur.

Efferetur autem hodiè hora XII. ex ædibus Clariſſimi uiri et Poetæ D. IOHANNIS MAIORIS in noua Platea, ante quas, ut ſcholaſtici indicato tempore conueniant, & funus deducant, eos hortamur, cum ſua ſponte unuſquiſq; intelligat ſe hoc officium pietati ordini & profeſſioni ſtudijsq; communibus & æquali imprimis laudato & digno debere.

P. P. III. Nonas VIII bris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VEnit tempus, quo conſtitutum eſt, ut de ſtudijs ſuis rationes reddant ſcholaſtici, Primum ij, qui ab illuſtriß. Principe & Domino noſtro, D. AVGVSTO, Electore &c. ſtudiorum cauſa in omnibus omnium doctrinarum profeſſionibus ſtipendia accipiunt. Deinde et reliqui, qui ſimilia ſtipendia habent, ex priuatorum hominum munificentia, qui Senatui Academiæ collationem & inſpectionem teſtamento demandarunt. Item qui in ædearcis, ad cantiones ſacras operam elocant.

Hos igitur uniuerſos & ſingulos ad examinationem

tionem ſolennem conuocamus, & mandamus eis, ut parati animis & ſcriptis, quæ offerant ad diem ab hoc quartum, qui eſt Septemb. XXII. in area, quæ eſt inter nouam & ueterem domum ſcholaſticam conueniant, ibiq; operiantur, dum ſinguli ab examinatoribus uocentur. Ita utriuſq; officium noſtrum ad Deum & homines præſtabimus, nos cognitionis & inſpectionis, ſtipendiarij autem rationis debitæ. Quo uerò unusquisq; maiore fide & diſcendi cupiditate in ſtudijs ſuis uerſatur, eo magis de his ſecum conferri uult & gaudet, & eſt per ſe liberalis admodum de optimis rebus & ſtudijs communicatio. Ita autem adminiſtrantur examinationes noſtræ, ut ab his etiam inſtitutionis utilis occaſio afferatur ijs, qui ad has ueniunt. Aderunt igitur obnoxie uniuerſi hora XII.

P. P XIX. VII bris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

MEMINIMVS Reuerendum & clariſſimum Virum Euangelicæ ueritatis inſtauratorem, Doctorem MARTINVM LVTHERVM, (cuius memoria ſit ἐν εὐλογίᾳ) illis proximis mortem ipſius præcedentibus annis

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000332

ſæpè in familiaribus colloquijs ad amicos optare ſolitum, tam ſibi & ſuis quam quos diligeret uniuerſis alijs, concedi hoc à Deo, ut intra annos uiginti ex hac uita euocarentur. Eſt autem hic à morte ipſius annus uertens uigeſimus ſecundus, & quam formidoloſa tempora ſint, ante oculos eſt & nimis quidem, ut ſicut in multis alijs ſummi uiri prædictiones euentus probauit, ita de ijs temporibus in quæ incidimus, non fuiſſe uana præſagia ipſius, res docere incipit, atq; incipit quidem, ut diximus, cum initia tantum maximorum malorum quæ impendent appareant, & hæc tamen initia eiuſmodi ſunt, ut non etiam ignauiſſimorum hominum animi frangantur metu eorum, quæ ex his initijs, & præſenti ſtatu rerum omnium expectanda uideantur deinceps. Etſi autem non incertiſſima diuinatio prudentia eſt, quæ à multis iam annis non ſinit intelligentes homines de Repub. bene ſperare, in Luthero tamen diuinos etiam animi motus fuiſſe multa demonſtrant.

Neq; dubitamus huius ſermonis uocem ex ipſo etiam Luthero audiuiſſe, eximium iuriſconſultum & dignitate, uirtute & integritate præſtantiſſ. uirum I. V. Doctorem & Profeſſorem D. IOHANNEM SCHNEIDENVVEIN, qui ab eo tempore, quo primum in hanc Academiã uenit, cum D. Luthero familiariter eſſe cœpit, & neceſsitudine poſtea huius uſus eſt quam diu

uixit, quod enim quæ indoles in iuuene eſſet intelligeret, minimeq; fallente animi motu præuideret eos fructus, quos longo tempore iam ex hoc uiro percipit Reſpub. & Schola noſtra, ſemper eum ſingulari amore D. Lutherus complexus fuit.

Cum autem hoc tempore grauis ægritudo afferatur huic Clariſſ. collegæ noſtro, & hodiè ei efferenda ſit filiola BARBARA, nondum ætate bimula, quæ fuit δώπευμα ingraueſcentis iam ætatis ipſius (qui dolor quãtus ſit, ij qui patres ſunt intelligunt) hæc ut præfaremur indicationi funeris huius in mentem uenerunt, poſt cæteras enim diuinas & humanas conſolationes relinquitur hæc ultimo loco, miſera quidem ſed quæ tamen luctum grauiter interpellat & efficaciter, nimirum ſi apparet ad extrema omnia pericula uitam productum iri ijs, quos efferimus, quibus quod prærepta atq; exemta eſt hæc puellula, hoc etiã ipſum intelligenti patri dolorem mitiget, & in memoriam ei D. Lutheri pro amicis ſuperſtitibus ſolicitudinem reuocet, ex cuius neceſſarijs præcipuis eum fuiſſe ſcimus, & mortui amici tanti memoriam, ut par eſt, religioſè colere.

Sepelietur autem hodie Hora. IIII. Itaq; omnes noſtros officioſè ad funus conuenire uolumus, & hanc operam dare familiæ & propinquitati ornatiſſimæ, Inprimis autem D. Schneideuuein, qui merito ſuo omnium ordinum uiris optimis cha-

rißimus est, & Reipub. & scholasticæ uir & ciuis beneficus & salutaris.

P. P. Die 7. Septembris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

INdicimus uobis conuentum solennem ad recitationem legum scholasticarum, quam hodie Hora XII. fauente Christo habituri sumus. Pertinet autem ad politicen etiam νομοθετικὴ, sed neq; hæc neq; δικανικὴ multum proficit quando ἠθικὴ nulla est, & mores priuati singulorum non rectè instituuntur, neq; unaquæq; familia domi suos ita educat, ut disciplinam & honestatem ament, atq; ij fiant qui legibus parere uelint, & horum uinculis se subijciant atq; ita ad ciuilem consuetudinẽ idonei reddantur. Sine talibus morib. ciuium nihil possunt leges, et male educatis has ferre, præscribere, recitare, fabulã est narrare aut modos accinere surdis. In hac parte singularis miseria est nostræ ætatis, qua disciplina domestica & priuata penè nulla est, cuiusmodi dissolutio semper præcedere solet calamitosarum mutationum tempora & ruinas Reipub. quæ non potest esse alia quamquales sunt domus singulorum. Præstet tamen huic unusquisq; suo loco quod potest, qua consideratione & nos ante q̃ magistratu nostro abeamus optimarum legum uocem sonare publice curabimus, quarum recitatio testimonium erit improbis et contumacibus, quid Deus & honestas ab ipsis postulet, in bonis uero et morigeris confirmabit ueras sententias & studium disciplinæ. Ad omnes aũt eo ualebit, ut hac occasione, & audiant quales esse uelit scholasticos suos Academia, & ad lectionem etiam priuatam legum nostrarum ut adducantur aliqui, Eam cognitionem morigeratio ut sequatur oportet, & præstatio eorum, quæ pie et utiliter præcipi omnes intelligunt. Non enim scientia aut possessio etiam uirtutis, sed exercitatio huius felicitatem Reipublicæ & singulis conciliat eam, quæ in ciuili hominum consuetudine posita est, ad Deum autem hæc ἐπαγγελία sit θεοσεβείας, cum altera pars sit pietatis Christianæ. Et hortamur igitur nostros et mandamus omnibus, ut indicato tempore ad recitationem legum scholasticarum conueniant, cui à nobis addemus ea quæ tempus et res dici postulat & locum munusq; nostrum decent, et quæ commonefactionem piam et utilem complectantur.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

AGimus gratias Deo, qui benignè conseruauit hactenus in nostra etiam schola pietatis & literarum studia, quodq; gubernationem huius quietam nobis concessit. Perfuncti autem iam magistratu semestri nostro, CRAS, more

ſolenni, deponemus hanc prouinciam, & conuentum habebimus ſcholaſticum ad creandũ alium, qui nobis ſuccedat. Quod ut fortunante propicio Deo fauſtum fœlixq; ſit rei ſcholaſticæ, & noſtro loco precamur, & ſuo quemquam idem facere par eſt.

Hortamur igitur noſtros uniuerſos, & mandamus eis, ut Cras hora ſeptima in æde arcis conueniant, precibusq; communibus interſint, ſuas ſinguli cum his coniungentes, & noui Rectoris renunciationem placide expectent, eiq; qui renunciatus fuerit, diſciplinæ ſtudio, & morigeratione ſua, labores gubernationis alleuent. Cumq; magiſtratus ſcholaſticus & magiſtratus ſit, et paternus quidem magiſtratus, nimirum quæ aduerſus hunc committuntur duplicem impietatem complectuntur, nam & propter conſcientiam magiſtratui obedientia debetur, & quæ contra parentes perpetrantur, eorum facinorum, ſecundum ueteris Poetæ uerſum, ſunt δεινὰ ἐρίνυες.

P P. XVII. VIII Bris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

LOngo iam tempore hoc agit conſilium publicum Reiſcholaſticæ noſtræ, ut conſtituatur de ueſtitu honeſto ſcholaſticorum aliquid, & ſunt in medio

medio leges ueteres & recenter conditæ, etiam Illuſtriſſimi Principis noſtri ſumma autoritas aſſumta fuit, ſed his omnibus quantum profectum ſit, antè oculos eſt, ſiue noſtra hæc eſt infelicitas, ſiue fatalis quædam diſſolutio obſtat conatibus noſtris, cum euaneſcente diſciplina omni neq; tempora magis neq; homines uideantur idonei, in quibus & ad quos conſtituatur aliquid, ſed ad ruinam potius tendere uideantur omnia.

Etſi autem contra conſuetudinis potentiam, & ea quæ in mores abierunt, nihil cum ſpe magna uidemur ſuſcipere aut tentare poſſe, & ſine moribus nil proſunt leges, occaſio tamen hoc tempore ſe oſtendit eiuſmodi, quæ & ſpem affert nonnullam, & qua ſi non uteremur, eam quam Deo & hominibus & noſtris imprimis ſcholaſticis, fidem & diligentiam debemus, non præſtare uideremur. Offertur autem hæc à Sartoribus ciuibus huius oppidi, bi ſepè iam conqueſti ſunt, clàm ali atq; conduci à ſcholaſticis quoſdam ex operis officinarum illarum, qui ueſtes eis faciant, quibus neq; IVS ciuitatis huius datum, neq; poteſtas hæc conceſſa ſit, ut officinas ſartorias aperire eis liceat, atq; hoc modo ciuibus ijs, qui Magiſtri ſunt officinarum talium, uictum præcidi, atq; intercipi. Itaq; aliquoties iam edicta propoſita ſunt, ne ad ſe reciperent furtiuas tales operas ſcholaſtici, & inquiſitiones neceſſariæ permiſſæ fuere ſartorum Magiſtris

gistris ad tales exagitandos, sed inter hæc comperta etiam de sartorum collegijs eiusmodi fuere, quæ adegisse quosdam eo uidentur, ut peculiares sibi uestium artifices quærerent, & apud se occultarent, quorum operam ad hanc rem conducerent.

Vt igitur in posterum præcidantur omnia, quæ hac in parte turbare possunt, sartorum collegium, & qui ex ciuibus officinas tales aperiunt, partim sua sponte, partim de præscripto nostro, consenserunt in ea capita, quæ hic simul proponimus, & typis exprimi curauimus, ut publicè constet omnibus nostris, ad quæ se ille ordo nobis obstringat. Ea omnia cum non dubitemus, ita ut bonos uiros decet, præstiturum esse sartorum collegium, nemo scilicet caussam habere deinceps poterit, cur compendia inquirat alia, multò minus clandestinarum & furtiuarum illarum operarum illicitam operam ut conducet. Quare & ne faciat hoc quisq; ex scholasticis, aut cæteris iurisdictioni nostræ subiectis interdicimus, & mandamus his uniuersis, ne uel ad nouas uestes faciendas, aut ueteres sarciendas, ullorum aliorum opera utantur quam eorum, qui IVS ciuitatis huius habent. & quibus hæc copia legitimè facta est, ut hanc artem exercere, & officinas eius aperire publicè liceat. Quod si quis contra propositorum capitum præscriptum secum quoquo tempore actum à sartoribus existimauerit, de eo ad Rectorem referat, & curabitur, ut unicuiq;

cuiq; iustè querenti & accusanti ab illo collegio satisfiat, De quo sane ita nobis hoc est policitum, ut nihil ab ipso amplius requiri posse uideatur. Restat igitur hoc, ut unusquisq; sibi iam ipse consulat, atq; hoc etiam modo moribus suis ornet rem scholasticam, ne turpi & operæ sumtuosæ habitu uti uelit, cum hoc nomine male audiat schola nostra, & esse dicantur ex scholasticis, qui patrimonia sua in materiam et sumtus, & quidem non honestißimarũ uestium profundant. Scribit PLATO, quando Musica mutatur, simul cum hac mutari Respub. solere, cuiusmodi enim numeris in cantu, grauibus aut mollibus delectantur homines, iisdem etiam moribus se esse præditos ostendunt, tales autem sunt Respublicæ, quales sunt domus singulorum ciuium, hoc de uestibus multò est uerius, & mores gentis nostræ una cum habitu mutatos & quotidiè mutari, nimis multa argumenta sunt, Neq; externarum rerum quicquam est aliud, quod mentem & animum, qualis sit, magis prodat quam uestis, quantumuis hæc parua res esse habeatur. Sicut igitur nos nostris in præsentia, ita ipsi sibi cauere deinceps studeant, quod si uel ad turpes uel ad sumtuosas uestes faciendas sartores oppidani deinceps ab imperita adolescentia operam suam conduci patientur, omnes intelligunt, quæ præcidendi hanc rem occasio atq; ratio afferatur.

P. P. XVI. Cal: Nouemb.

SCRI-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000336

SCRIPTA PROPOSITA SEMESTRI HIBERNO, A XV. CAL. NOVEMbris Anni Christi M. D. LXVIII. usq; ad Cal. Maij, Anni M. D. LXIX. RECTORE Reuerendo Viro D. Iohanne Bugenhagio Iohannis Viri Cla. filio &c.

STVDIOSIS PIETATIS ET SACRARVM LIterarum.

CREDO ego omnibus pijs persuasum esse, inter uniuersa sacræ scripturæ uolumina, librum Psalmorum Dauidis assidua lectione & meditatione esse dignissimum. Etenim uerè, ut Basilius dixit, penu ac promtuarium instructissimum omni genere doctrinæ & consolationis, & optimis exemplis precationum & gratiarum actionum, abundat.

Iussus sum igitur diebus Mercurij in hoc ipso templo arcis, deinceps Psalmos præcipuos & selectissimos in concionibus sacris proponere.

Quare quod faustum sit & Ecclesiæ salutare, decreui

decreui crastina concione, Deo adiutore, initium eius rei facere ab explicatione Psal. quinquagesimi primi: Miserere mei Deus, qui in toto libro Psalmorum uelut gemma insignis eminet

Id ideo publice nunc significo, ut pietatis amantes, inprimisq; Theologiæ studiosi, qualemcunq; discendi occasionem non negligant. Is enim in pietate se sciat profeciſſe, cui Psalmi Dauidis dulcissimi ualde placent. Bene Valete, & propter gloriam Dei & animarum uestrarum salutem aliquid temporis sacrarum literarum studijs non grauatim impendite. Die Lucæ. 1569.

Christophorus Pezelius

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ADigit me sub hæc initia magistratus nostri ad mihi insuauem & ipsi non honorificam operam, N. N. N. qui contra fidem sacramenti dicti, & interdictum Rectoris peculiare, ex Arresto hinc discesſit. Hoc quale sit omnes intelligunt, quia tamen incogitantia etiam magna est ætatis iuuenilis, antequam in eum animaduertatur, in præsentia publicè citandum putauimus. Cumq; constet hominem nuper in oppidum reuersum, & etiam nunc hic latitare, & publicos ministros qui ad eum

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000337

eum accerſcndum ablegati ſunt, aliquoties iam eludere, Hoc edicto publico noſtro eum uocamus. ut hodie hora XII. coram nobis ſe ſiſtat, & de quibus poſtulabitur reſpondeat, niſi fecerit publicè docebitur, quid commiſerit, eaq; pœna afficietur, quam contemtus Magiſtratus legitimi & iuriſiurandi meretur. P. P. III. Cal. IX bris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ANte annos quinq; communi decreto conſilij publici Academiæ noſtræ, & magiſtratus oppidani, æſtimatio facta eſt per totum oppidum omnium conclauiũ, quæ tam à noſtræ iuriſdictionis ſubiectis quam à ciuibus ad inhabitandum ſcholaſticis uel elocantur, uel elocari poſſunt, quantum pro mercede habitationis è ſingulis exigi atq; pendi par eſſet. Æſtimatores fuere ex utroq; ordine delecti uiri, & in certam mercedem utriuſq; conſenſum, & hic cenſus in tabulas publicas noſtras relatus eſt, ut hoc modo caueretur ſcholaſticis ab iniuſtis in hoc genere exactionibus, quæ & ut ea æſtimatio ſuſciperetur in cauſſa fuerunt.

Comperimus autem ne ſic quidem auerſam fraudem, & in certis ædibus adeo non ſeruari cenſum

ſum æſtimationis factæ, ut precium penè duplicetur. Itaq; in præſentia ijs, qui neq; iniuriam ſibi hac in parte fieri uolunt, neq; contra cautionem diligentiæ & fidei noſtræ pecuniam profundere, ijs igitur hanc commonefactionem proponimus, quaſimul de re doceantur, qui nunc primum in hanc ſcholam noſtram commigrant, ut ſciat unusquiſq; copiam ſibi fieri percontandi apud miniſtrum publicum noſtrũ MICAELEMMAIVM de mercede habitationis, quam incolit, qui mandata habet, ut unumquenq; quærentem, de tabulis publicis noſtris hoc doceat.

Inde igitur unusquiſq; quid faciendum ſit, conſtituere poterit, neq; enim plus perſoluere elocatori ſuo quisq̃ tenetur, neq; ordinis & exempli cauſſa ſoluere debet, quam æſtimatio facta permittit, & à quo amplius aliquid exigetur, is ſi aduerſus iniuſtam exactionem patrocinio Rectoris uti uoluerit, præſtabitur hoc ei quoquo tempore. Quod ſi uero uel contra ſumtuariam cautionem hanc noſtram pecuniam alicui profundere libet, & pluſquam æſtimatum eſt pendere, uel elargiri etiam de copijs ſuis liberalius, nos quidem auertere hoc non poſſumus, Et uolenti non fit iniuria.

Hoc tamen ut fraudi ſit alijs tenuioribus, aut in exemplum ut trahatur, atq; ita æſtimationem

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000338

tionem factam ut uiolet, permittere non debemus. Quæ intra hoc Quinquennium in ædificijs nouis extructa sunt, ut eloccntur conclauia, ea ut quamprimum æstimentur, et in censum certum rediganturoperam dabimus. Sed nos curam paternam, fidem & diligentiam præstare nostris studemus, quæ nimirum tantum apud unum quenquam proficiunt, quantum unus quisq; uult & sinit, cætera igitur Deo & moribus atq; ingenio uniuscuiusq; permittenda sunt.

P. P. VII. Idus Nouembris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ASsiduè cogitanda est uox Filij Dei: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Oues meæ uocem meam audiunt, & nemo rapiet eas ex manibus meis: Sed ego uitam æternam do eis. Fatetur sapiens uir Atticus, se legentem Platonis disputationes, de animarum immortalitate, & secutura post hanc uitam beatitudine ac tranquillitate, mirificè delectari, & in his libenter acquiescere: uerùm depositò libro turbari atq; excuti assensionem, cogitatione miseriarum & confusionum humanarum, & uarietate casuum, quibus alij aliter ex hac uita promiscuè euocantur, ita ut nullum esse inter

inter iustos atq; iniustos discrimen, uideri possit. His dubitationum procellis, quibus pectora omnium hominum sanorum concutiuntur, opponamus dictum filij Dei: Qui credit in me, habet uitam æternam. Sciamus, non casu, ex Democriti atomis, extitisse genus humanum, nec fortuitò uitam aut mortem, bona uel aduersa hominibus contingere, sed Deo dante uitam conseruari ac prorogari, mortem etiam peccati esse stipendium. Cogitemus etiam causas calamitatum, quæ per totum genus humanum uagantur. Sed inter hæc firmiter statuamus, non nasci hanc humanæ mentis præsentiam ad has tantùm miserias, aut ad hunc tetrum carcerem: sed restare alium portum, in quo piæ mentes in filij Dei agnitione uera atq; inuocatione hinc migrantes, perpetuò acquiescent ac lætabuntur. Talis fuit ex hac uita migratio optimi adolescentis IOACHIMI GVTZLAVI, nati in oppido Pomeraniæ STOLPEN, qui nocte pridiana placidè expirauit, febre hectica absumptis uiribus: Natus is fuit patre uiro optimo, qui cum à teneris ipse quoq; optimarum artium & pietatis semina auidè hausisset in schola Treptouiensi, quam ijs temporibus fidelissimè rexit IOHANNES BVGENHAGIVS Doctor, & Ecclesiæ huius Pastor, pater noster: filios quoq; suos ad studia, quæ Ecclesiæ ac Reipub. necessariæ esse iam senex prudenter iudicat, adhiberi, rectéq; inforVu mari

mari uoluit. In hanc igitur Academiam cùm natu maiorem Ionatham nono ab hinc anno misisset, de illius exemplo informari ac erudiri alterum quoq; minorem IOACHIMVM, huc ablegatum ante semestre, uoluit, cuius indolem perspexit literarum ac pietatis amantissimam. Eos enim iam progressus fecerat in studijs, ut si diuturnior ei uita concessa fuisset, & patri seni solatio atq; ornamento, & uero Reipub. usui esse potuerit. Vixit, quo ad hìc fuit, cum fratre coniunctissimè: cum alijs ita, ut animi pietatem, modestiam, & in omni officio diligentiam singularem, animaduertere ac probare potuerint uniuersi, quibus notus fuit. Sed, ut sunt in præclaris ingenijs suæ quædã præsensiones μεσσιανικὰ: ita hic IOACHIMVS uelut præfagiens breue sibi curriculũ fore, mœstior ferè semper uisus fuit: ac toto morbi tempore, etsi in fide atq; inuocatione Filij Dei firmus ad extremum usq; uitæ habitum perstitit: de usura tamen huius uitæ diuturniore quasi desperans, ea quæ ad uitam prorogandam facere possent, leuiora duxit, tacitè patienterq; incendij febrilis interni corpus paulatim absumentis ac depascentis, impetum ita sustinens, ut febrire sé, aut uim æstus hectici sentire nunquam sit conquestus: animi uerò sui religiosam erga Deum affectionem, ergaq; Patrem uiduum & Fratrem pietatem, cum in omni uita, tum his quatuordecim diebus quibus cũ morbo conflictatus est, ad extremam usq; de-

bilitatem uiriumq; resolutionem, constanter est testatus, assiduis sermonibus ac gemitibus, ex quibus animaduerti potuit, eũ pertæsum huius uitæ ærumnarum alio iam aspirare, & facilè libenterq; in consilio & uoluntate diuina acquiescere, firma certaq; spe æternæ ac solidæ beatitudinis, cuius gustum ex limpidissimis fontibus doctrinæ cœlestis iam perceperat. Cum igitur placidè atq; obdormiscentì similis decesserit, inter has uoces: Non intres in iudicium cum Seruo tuo Domine. In manus tuas commendo spiritum meum Domine: statuamus cum ex numero eorum esse, de quibus scriptum est: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Etsi uerò non dubitamus, quin pater adolescentis εὐσοργώτατος in magno luctu sit futurus, orbatus tali filio, de quo spes erat eximia egregij profectus in literis, & ingenium elucebat præclarum, ac pectus erat Spiritu sancto illustratum: tamen moderetur ipse dolorem suum, cogitatione uoluntatis diuinæ, quæ nunquam non erga suos optima esse solet, & placidi ac religiosi obitus filij sui, quem præreptum ingruentibus iam huius senectæ mundi calamitatibus ac tristissimis confusionibus, ad ueram perpetuamq; uitã cœlestem præmisit: Vbi cum paulò pòst rursus complectetur, in præsentia & conspectu Filij Dei, totiusq; Ecclesiæ cœlestis, Angelicæ atq; humanæ, in luce, lætitia & beatitudine sempiterna. Nos ut societatem doloris nostri honestissimæ gentì

POMERANICÆ, & Patri optimo ſeni, ac ſuperſtiti fratri defuncti declaremus: hodie Hora IIII. funus poſtremo deductionis officio cohonestabimus: ad quod ut Scholaſtici frequentes conueniant, ante ædes uiri honeſti IOHANNIS SCHVVERTELII Typographi, prope Collegium habitantis, ibiq; & ſe ſinguli & Eccleſiam pijs precibus Deo commendent, hortamur. Decet nos affici ſenſu calamitatis bonorum, & huiuſmodi officijs teſtari quoq; nos reſurrectionem mortuorum firma fide credere atq; expectare

P.P. VII. Id: IX bris.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, IN ACADEMIA VVitebergenſi Magiſter Mattheus Blochinger Profeſſor.

IN ueteri comœdia introducitur exclamare aliquis, eſſe rem grauem & moleſtam, audire malè canentem, & profitetur ſe malle, per id tempus, quo Muſicum talem audire cogatur, ex urticis nexam coronam geſtare, quibus uratur, μὴ τῷ δήμητρ, inquit, ἀνίαρον τὸ κακῶς ᾄδοντ' ἀκούειν, βουλοίμην γὰρ ἂν ἀκαλήφας τὸν ἴσον χρόνον ἐστεφανῶσθαι: Sed fortaſſis maiorem etiam aliquam moleſtiam (ſi modo ἀκαλήφα hoc loco

loco urticæ germen ſignificant) quam qualem perſona comica hæc memorat, ſuſtinere & perferre intelligens aliquis uoluerit, quam audire cantorem malum, aut uerba facientem inepte & indiſerte, aut quod eodem recidit, quæ neq; rebus neq; uerbis commendari poſſunt, ſcripta legere, contra uero ſuauiſſimum eſt ἀνεξόαμα, grauibus ſententijs referta & perpolita oratio, & quæ omnia ſuperat, diuina Poetarum Muſica, cuius excellentiam nominis etiam Græci ἔξοχα demonſtrat, cum hi ſoli Poetæ nominẽtur, quaſi cætera humanæ præſtantiæ opera, præ ijs quæ Poetæ elaborant, nulla ſint, aut quorum ratio, ſi cum his comparentur, haberi nulla poſſit. In quo genere quantum ualeat Clariſſ. uir & collega noſter, D. IOHANNES MAIOR ante oculos, interq; manus eſt omnium, qui literis eruditi ſunt, & uerſus eius legunt & audiunt, Eo enim ingenio natura hunc inſtruxit eoq; ſtudio hoc ille excoluit, ut ex noſtris hominibus ueterum Poetarum laudi proximus ſit. Sicut igitur malum Muſicum aures omnium refugiunt, & ſcripta ἄτεχνα ad tabernas mittuntur, ubi piper ueſtiant, ut eſt in ſatyra, ita carminis boni audiendi, & quæ doctè & eruditè dicuntur & ſcribuntur cognoſcendi occaſio, è longinquo etiam allicit φιλησοῦς, id eſt, amantes & intelligentes rei præclariſſimæ & ſuauiſſimæ, qui ſua ſponte hæc perſequuntur, & magnis ſæpè itineribus atq; Euclidæa

autẽ hic Poeta noſter ad diem ab antiquo ſolennem celebrationi ſtudiorum philoſophiæ, & bonarum artium, quæ eſt dies ab hoc quinta, & huius menſis XXV. atq; in noſtris faſtis CATHERINÆ nomen aſcriptum habet, quæ Græcis eſt ÆCATHERINE, Hoc igitur die, cum à ſe introducto more, uerſus quoſdam ſuos publicè recitaturus ſit, Significandum de hoc fuit, & inuitamus ad eum audiendum omnes, qui in ſchola noſtra uerſantur, & hanc ſpem omnibus intelligentibus facere poſſumus, ſe operæ quam audiendo excellentiſſimo Poetæ daturi ſunt, præclare collocaturos, & cognitionis atq; uoluptatis liberaliſſimæ fructum inde percepturos eſſe.

Etſi autem edere fermè & hanc & alias anniuerſarias recitationes ſuas ſolet hactenus, ut legi poſſint, & cum externis etiam communicari, fieri tamen poteſt, ut quæ hic Poeta recitauit legentium alicui in mentem ueniat Ouidianorum uerſuum.

Felices quibus hæc ipſo cognoſcere in actu,
Et tam facundo contigit ore frui.

Cætera τοὔζγον τάχ' ἀυτὸ δείξει. Conueniant autem auditores indicatæ dici Hora IX. in ſchola maxima. P P. XI. Calend. Xbris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Quan-

QVantum & turbarum in oppido ſæpè commouerint, & ſcholaſticis mali attulerint, & per ſe periculi complectantur nocturnæ ipſorum obuerſationes, plericq; meminerunt, & ſua ſponte intelligunt, à quibus doceri de re poſſunt ceteri. Qua de cauſa fundator huius Academiæ illuſtriſſimus Princeps Dux Saxoniæ FRIDERICVS, Septemuir Imperatori creando, (laudatiſſimæ memoriæ) qui ſapientis cognomentum ſibi peperit, hic igitur de his ſeuerè conſtituit & ſanxit ea lege, quæ inter leges ſcholaſticas edita eſt, & bis quotannis publicè recitatur, Quam legem, ut cæteras noſtras approbauit & ſeruari uult, alter (ut rectè nominare poſſumus) fundator ſchole huius, Illuſtriſſimus Princeps & Dominus noſter benigniſſimus, Dominus AVGVSTVS Dux Saxoniæ Elector &c. iis enim acceſſionibus hanc ſcholam auxit, quibus talis, qualem accepimus, noua altera fundari poſſet. Et ſummorum igitur Principum autoritate, et ſuorum periculorum alq; officij conſideratione, par fuerit moueri ſcholaſticos, ut hac in parte quieti cõmuni, ſuæq; ſaluti conſulant. Quia uero ex nocturnis uagationibus noſtrorum, pridianam diem præcedente nocte acciderunt quædam, quæ inquietis tumultuandi occaſionem afferre poſſent, Nos autem noſtro loco, & pro fide quam debemus rebus communibus, auertere omnia pro uiribus & decet, & oportet, quæ rei ſcholaſticæ publicum, et priuatum ſcholaſticorũ

noſtrorum periculum aut detrimentum complectuntur. Ideo mandamus & edicimus uniuerſis noſtris, ut nocturnis obuerſationibus non aliter quam ſicut lex ſcholaſtica præſcribit, & permittit, utantur, & ne quis ullo modo eos, qui ad excubias nocturnas ab oppidano magiſtratu conducuntur, irritet, aut contra hos quicquam moliatur aut ſtruat, ſed quam quiſq; ſibi iniuriam factam exiſtimat, eam noſtræ & conſilij publici cognitioni, pro Sacramento dicto, permittat, Qui ſecus fecerit, in eũ ea pœna animaduertetur, quam facinus mereri iudicabitur. P.P. 8. Nouemb:

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ADduxit huc ante dies aliquot maritum ægrotum HENRICVM à VVELTVVITZ, honeſtiſſima coniunx, nata ex nobili gente STODERANORVM, de morbo medicos conſulturа. Sed ea fuit morbi uiolentia, ut medicorum auxilia anteuerterit, Heri enim circiter duodecimam meridici ægrotum extinxit. Apoplexiam medici & attonitum morbum id malum nominant, quod cito ſenſu motuq; in omni corpore deſtructo & corde ſuffocato ægrotum iugulet. Vxor uidua mater trium impuberum liberorũ et partui proxima in magno luctu eſt & mœrore, ſua & liberorum cauſſa, orbata marito tanto patrefamilias, & utæ laborum atq; curarum unico ac fidiſſimo in rebus humanis ſocio.

Huius Viduæ & orphanorum orbitate affici, & luctum ci officijs, quibus poſſumus, lenire nos iubet non tantum humanitas, ſed multò magis pietas Chriſtiana. Verißimi ſunt uerſus Euripidis. Εἰ μὴ γὰρ ἐὰν ἀνδρωπῳ ἀνδρώπου τύχας ὑπηρετήσω, εἶτ' οὐ φανήσομαι φρονῶν. Si homo ciũ ſim, hominum non opituler calamitatibus, non uidebor mentis compos. Sed nos Chriſtianos ut id faciamus non tantum noſtra atq; communis generis humani, ſed Eccleſiæ potius conditio moueat, quæ in hac uita uere in uiduitate uagatur, deſerta ab ijs quorum curæ atq; patrocinio commendata eſt diuinitus, & omni auxilio humano deſtituta. At nos uelut orphanos geſtat, fouet, & alit, Vt autem Eccleſiam tuetur, ſeruat ac protegit filius Dei, ſic & ſe & orphanos ſuos eidem curæ eſſe ac fore uiduæ hæc certò ſtatuat, & hac conſolatione diluat ac depellat ex animo dolorem, & mœſticiam, ex obitu mariti conceptam.

Factura autem funus eſt ei hodie hora dimidia quarta, quod efferetur ex ædibus Thomæ Chirurgi non procul ab arce. Id ut frequentes ſcholaſtici deducant, hortamur, cum propter alias cauſas ac præcipuè propter orbitatem uiduæ, quæ hoc

in loco peregrina est, tum & propter uetustatem ac nobiltatem familiæ Stoderanorum, quos ex gente Heneta ortos ante annos quadringentos in his regionibus ad Albim, Hauelum, et Sueuum flumina, ubi hodie est bona pars Marchiæ Brandeburgensis, & Lusatiæ inferioris luè imperasse, & opibus ac clientelis subditorum potentes longa bella gessisse ac sustinuisse historiæ testantur. Ea imperia etsi, ut sunt rerum uicissitudines, superati potentia hostium, amiserunt, nobilitatem generis tamen, gloria rerum bello pacéq; præclarè gestarum cumulatam, ac subinde illustratam huc usq; conseruarunt.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

PErluctuosam Scholæ nostræ, Reipublicæ, & harum terrarum omnibus ordinibus funus indicimus. Superioribus diebus hinc in uicinæ huius, & illustriss. Principum, familiæ Anhaldinæ etc. primarium oppidum Cerbestum, ad negocia quædam explicanda atq; componenda, euocatus, uir & iuris consultus opt. & præstantissimus D. IOHANNES SCHNEIDEVVEIN patria Stolbergensis, inter occupationes ibi pias et salutares Reipub. suas, nocte præcedente diem pridianam, id est, huius mensis quartum, cũ rectè ualens et pene incœnatus cubitum iuisset, mane in lectulo suo mortuus est repertus, signis in corpore extantibus apoplexiæ

plexiæ manifestis, à quo morbo periculum ei esse et ipse longo iam tempore præsensit, et à medicis admonitus fuit. Iustus uero, ut scriptum est, etiamsi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, quomodocunq; euocetur. Neq; enim ullo tempore Christiana pietas ad mortem esse imparata potest, & ipse paucis horis ante quam cubitum iret, eiusmodi sermonibus usus esse dicitur, qui eius quod euenit, omen habuisse uidentur, et quod ea nocte ex hac uita esset migraturus. Probauit aũt pietatem suam Ecclesiæ nostræ luculentè, publicè et priuatim uita uniuersa, et uera et ardenti et sedula inuocatione Dei, à multis iã annis, quos in inschola uixit. Atq; puer in hanc adductus ante oculos interq; manus Reuerendi Domini D Martini Lutheri etc. in pietatis, literarũ, et ciuilib. studijs educatus fuit, quo deinceps per omnè uitam amico necessarioq; usus est. Adolescentia uero et iuuentus huius uiri, et plane uiri, speciosa fuit, cetera ætas uniuersa honoratissima, et impensa studijs et negocijs ciuilibus et Reipub successu nequaq̃ uulgari, (quibus et immortuus est) De cuius uirtute, sapientia, integritate, iurisq; peritia, ea persuasio fuit in his terris, qui cũ nouerunt omniũ, in quibuscunq; causis ipse iudex sederet, fore ut certissimum ius et Iusticia cõtingeret ijs, de quorũ re disceptaretur. Itaq; ab omnib. ordinib. summis et infimis opera eius expetita fuit, et celebratur ab ijs qui intelligãt singularis eius in legib. interpretandis et æquitate explicãdis scientia, et quod in Seruio Sulpicio sapiẽs

antiqui-

antiquitas prædicauit non magis Iuris quam Iusticiæ cum consultũ fuisse docent, qui ad æquitatẽ retulerit omnia, et hoc omni conatu egerit, ut controuersiæ et lites inter homines aut auerterẽtur, aut pie et iuste tollerentur, atq; Ius & æquum ficret omnibus. Itaq; & in formula precum qua utebatur, inter alia quotidie à misericordia Dei ueniam sibi petebat, si forte in ferendis sententijs capitalibus durior, aut in controuersijs dijudicandis incautior fuisset, atq; ita per errorem in hac parte commisisset aliquid. Hoc est uerum esse Iusticiæ Sacerdotem. Quæ commemorabilis moderatio etiam in moribus et uita huius eluxit. Sicut enim mens eius & iudicium rectum, ita mores casti & probi erant atq; placidi, & humanitas singularis, & inter hæc tamen grauitas tali uiro & professione digna. Vere enim illam difficilem humanitatis & grauitatis coniunctionem in uita sua consecutus fuit. In talis uiri morte quantum damni faciat res scholastica & publica, facile unusquisq; intelligit. Sicut autem in acie Mars fortissimũ quenq; pignerari solet. ὃν γὰρ τῶν ἀγαθῶν φείδεται ἀλλὰ κακῶν: Ita ex rebuspub. & administratione harum, hoc tempore optimos quosq; uiros mors rapere animaduertitur, ut quo tendant diuina consilia, non possit esse obscurum. Amplissimum quidem collegium Iurisconsultorum nostrorum, socium laborum publicorum amisit perindustrium, boniq; publici, & iusti & recti

recti atq; collegarum amantem et colentem, quemq; ipsi uicissim uero studio coluerunt & dilexerunt & alij ut fratrem, alij ut parentem, summo quidem affectu uniuersi, id quod gemitu & lacrimis testantur, Studiosi autem studiorum ciuilium Doctorem fidelem hunc experti sunt, oppressi iniurijs iudicem & uindicem grauissimum atq; integerrimum, consulentes in respondendo sapientem & uerum afflicti patronum constantem, Omnes autem quibus usus cum ipso aliquis intercessit, in omni genere beneficum & officiosum, Itaq; summum ille desiderium sui reliquit omnibus: Peculiariter uero eorum bonorum, quæ in ipso insuerunt usum fructum percepit schola nostra, in qua inter Iurisconsultos publice docuit & de iure respondit per annos uiginti, Atq; his annus quo è uita euocatus est, uitæ eius annus fuit quadragesimus nonus, & climacter, ut Genethliaci nominant & numerant, ex septenarijs septimus, quem pro omnium difficilimo & periculosissimo habent, etiam propter numerum quadratum: Cum tamen neq; ex ijs quos uetustas celebrauit multos absumserit, neq; ex nostris hominibus multos tollere animaduertatur. Hoc periculum in nouenario: quem Plato inter climacteres introduxisse uidetur: fuerit anno ætatis octuagesimo primo, Nouenarij enim quadrato ipse uitã humanam consumari existimauit, quem terminum quam pauci nostro tempore attin-

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000345

attingunt? Sed ſcriptũ eſt, Ego ſum uita tua et longitudo dierum tuorum, & non uiuimus tantum cauſis phyſicis. Huius autem ætatis ſuæ tempus maximum, id eſt, annos XXXV. in hoc oppido & Academia noſtra degit, undecimo enim ætatis anno huc eſt adductus, à quo tempore per annos tantum tres hinc abfuit. Hæc ex plurimis pauca et uera elogia commemorare in præſentia poſſumus, præſtantes uirtuti et præſtantiæ ipſius debitum teſtimonium noſtrum. Dolorem autem noſtrum querendo irritare non debemus, neq; querelis quicquam proficitur. Nos enim ad ipſum ibimus, ipſe non redibit ad nos in hanc uitam. Itaq; quieſcere eum patiamur, ereptum ex miſerijs uitæ & ſeculi huius, & ruina bonarum rerum fermè omnium, et gratam officioſamq; memoriam præſtemus meritis ipſius publicis & priuatis, orantes propitium Deum, ut ipſe ſanet hoc uulnus, quod morte talis uiri acceperunt publicæ & priuatæ res noſtræ, & ut aſſit ſuperſtiti familiæ, cuius res ille reliquit incohatas. Quod reſtat igitur, proſequamur uniuerſi frequenti deductione noſtra funus præſtantiſſimi uiri, rependamuſq; hoc officium ei noſtrum, ut uita honeſtiſſima & honoratiſſima ſepultura etiam honorifica afficiatur. Nihil enim in hac uita bene meritorum uirorum laboribus poſtquam deceſſerunt rependi poteſt, quam memoria nominis boni, & ſepulturæ honor. Hoc precium uitæ uigilatorumq; laborum.

Adue-

Aduehetur autem hodie corpus demortui ex uicino oppido, & ſepelitur cras in æde arcis H. XII. Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum oramus, ut nos participes faciat reſurrectionis Sanctorum ſuorum, quod Polycarpus etiam moriens precatus ſcribitur. P.P Nonis Decembris.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

ANNVM nobis Chriſtianis claudunt et aperiunt non Calendæ Ianuariæ, ut olim Romanis, ſed more atq; inſtituto Eccleſiæ γενέθλια Domini noſtri Ieſu Chriſti. His enim & præteritum finire, & ordiri uenientem ſolemus, cum uotis & conſolationibus mutuis, precantes alter alteri, ut qui init annus, bene feliciterq; eueniat uitæ, rebus & negocijs uniuſcuiusq;, tum in annalium notationibus & contractuum formulis, quaſi momenta deſignantes, & articulos, quibus continua ſerie labentium annorum cardo uertitur. Vtrumq; ueteris & noui anni appellationibus patrio ſermone diſtinguimus, alludentes ad rationes conſilij, quod ſecuta eſt Eccleſia, quæ cum naſcente Chriſto ceperit opus redemptionis ac reſtitutionis noſtræ, hoc anni ſeſe uertentis cardine de duabus maximis rebus auditores ſuos commonefieri uoluit.

Primum de cauſa aduentus filij DEI in carne noſtra, quæ eſt redemptio generis humani. Deinde

de

de fine redemptionis. Ideo filius Dei *assumsit ex Maria uirgine miseram massam naturæ humanæ, sed labis omnis expertem, ut generi humano oppresso ira* Dei, *peccati mole, tenebris inferni, potestate diaboli, & morte æterna, abolito peccato, morte & miserijs omnibus sublatis, regno diaboli destructo, restitutat nouam & æternam lucem iusticiam læticiam uitam, & ueram libertatem.*

Hoc fine uero redimitur genus humanum: Hoc fine reconciliamur Deo liberati à peccatis, fide, GRATIS, *ex misericordia,* SOLA *obedientia, merito & interceßione Filij: Et reconciliati* Deo, *ideo donamur* Spiritu *sancto, ut ab hoc renouati spiritu mentis nostræ, sicut* Paulus *loquitur, induamus nouum hominem, qui est conditus secundum* Deum *ad iusticiam & sanctitatem ueram, & ductu auxilioq; Spiritus sancti cœlestibus donis proficientes in aßiduis fidei, inuocationis & obedientiæ exercitijs, coherceamus & extirpemus insitas nobis ab origine reliquias peccati, ne dominentur. Vult enim restitui in credentibus* Deus *etiam in hac uita imaginem sui, uult in mentibus lucere ueram agnitionem sui, noticiam de uera obedientia, & de iudicio* Dei, *uult corda ardere ueris motibus* Spiritus *sancti, studioq; & conatu* Deo *obediendi, quæ etsi tunc consumabuntur, cum seße* Deus *coram pijs ostendet & communicabit, tamen incoari in hac uita oportet. Et augentur dona cœlestia*

ijs, qui conantur καὶ ἀναζωπυρεῖν, *ut* Paulus *inquit, sicut dicitur:* Habenti dabitur. *De restitutione itaq; & renouatione generis humani, quæ Christo nato cepit, memoria* θεοφανίων *& anni cum theophanijs ingreßu commoneßeri nos decet mus. De his causis multum & accurate cogitandum, quoties circumacti anni periodus genethliaca Christi reducit, hæ impellant nos ut gratias agamus æterno patri* Domini nostri Iesu Christi, *et filio* τῷ λόγῳ καὶ εἰκόνι ἀϊδίῳ τοῦ ἀϊδίου πατρός *& spiritui sancto, pro immenso amore erga genus humanum, qui maximè illustribus testimonijs declaratus est in creatione & reparatione generis humani. In creatione transfusæ in nos sunt res, quæ sunt in* Deo *optimæ, sapientia, & iusticia & libertas uoluntatis. Nec uero dubium est, dilexisse* Deum *hoc suum opus, cui suam imaginem impreßit. Eandem peccato corruptam instaurat & renouat per filium & spiritum sanctum. Filij amor conßicitur, quod pro lapsis fit supplex æterno patri., & induta natura humana, pœnam in seße deriuat, & hanc miserrimam massam sustentat, liberat à peccato, morte, & tyrannide diaboli, quod effundit in nos spiritum sanctum. Rursus igitur placata ira* Dei *lucet & spiritus sancti erga nos ingens amor in opere* τοῦ ἁγιασμοῦ, *quod habitans in nobis, & miscens seße halitibus cordium nostrorum, copulat nos cum diuinitate. Hæc ergo beneficia grati celebremus,*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000347

mus, cum orthodoxa Ecclesia omnium temporum, agnoscentes et confitentes Christum natum ex Maria uirgine, uerum Deum, & uerum hominem, nec ἕνωσιν ὑποστατικὴν duarum naturarum in una Christi persona diuellentes, nec distinctarum naturarum ἰδιώματα confundentes. His enim quasi anchoris duabus fulcit & sustentat sese fides Christianorum, ubi fluctibus dubitationum percellitur in magnis & ueris pauoribus.

Consideremus et causas admirandi consilij Dei de misso filio in carne nostra & quare redemtorem generis humani oportuerit Deum & hominem esse, quas notas esse Deus uoluit, & fateamur in hoc ipso consilio redemptionis admirabiliter temperatam esse iusticiã misericordia. Vere irascitur Deus peccato, erat igitur iusticiæ diuinæ post lapsum abijcere reos æternæ mortis. Sed deprecante filio pro nobis immensa misericordia recepti sumus. Verum tamen cum immotæ iusticiæ diuinæ satisfieri oporteret, pœna pro genere humano flagitata est. Quia ergo genus humanum deliquerat, ordo iusticiæ postulabat, ut homo innocens pro cæteris pœnam lueret, & uinceret diabolum, à quo deceptum, & in has tantas miserias genus humanũ coniectum erat.

Secunda causa est, quia congruebat eundem esse & deprecatorem et redemptorem. Fuerat autem Filius deprecator, ut scriptum est: Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

Tertia

Tertia causa, Cum redemptorem oportet soluere λυτρόν, ut precium esset æquiualens, congruebat esse Deum.

Quarta, Tanta est magnitudo et moles iræ Dei, ut nec angelorum nec hominum quisquam eam sustinere potuisset. Oportebat ergo omnipotentẽ esse, quæ erat irã Dei pro peccatis generis humani subiturus.

Quinta, Mediatoris est ingredi in sanctum sanctorum, id est, conscium esse arcani consilij diuinitatis, perfecte nosse DEVM, & de arcana Dei uoluntate docere homines. Hoc nulli congruebat nisi diuinæ naturæ.

Sexta, Natura finita non poterat uincere mortem, & restituere uitam æternam, quia destructio mortis æternæ, & uitæ restitutio opus sunt solius naturæ omnipotentis.

Septima, Congruebat eum, qui genus humanum, quod à Deo auulsum erat, ad Deum rursus erat adducturus, cũ natura humana mirando fœdere unire diuinam & fieri hoc modo ducem reliquæ agminis, interpellare apud DEVM in arcano consilio pro genere humano, Ac decreta et responsa referre ex arcana deliberatione eaq; patefacere in forma hominis.

Octaua, Redemtor est efficax in nobis, sustentat hanc infirmã naturã, est custos Ecclesiæ, ubiq; gemitus omniũ aspicit, exaudit inuocãtes interpellat pro eis, seruat eos, est in eis, redditeis iusticiã et uitã. Cõ-

grúebat igitur, ut hic Redemptor Ecclesiæ esset DEVS et EMANVEL. Easdem causas breuiter complexus est Irenæus Polycarpi auditor, ἐν τῷ δευτέρῳ λόγῳ τῶν εἰς τὰς αἱρέσεις. Verba eius sunt: ἔνωσεν οὖν καλῶς προέφαμεν τὸν ἄνθρωπον τῷ θεῷ, εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. πάλιν δέ, εἰ μὴ ὁ θεὸς ἐσώρισατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔχωμεν αὐτήν, καὶ εἰ μὴ σωνενώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ θεῷ οὐκ ἂν ἠδυνήθη μεταλαβεῖν τῆς ἀφθαρσίας. ἔδει γὰρ τὸν μεσίτην θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρους εἰκειότητος εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν, καὶ θεῷ μὲν παραστῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ διαγνωρίσαι τοὺς θεούς. Harum causarum consideratio excusciet in nobis timorem & fiduciam. Agnoscamus ueram & horrendam iram Dei aduersus peccata, cum placari non potuerit, nisi pœna in filium deriuata. Rursus in ueris pauoribus intueamur hunc redemptorem, & sciamus immotam Dei uoluntatem esse, ut nos propter eum recipi & exaudiri statuamus. Et quidem parricidia ac latrocinia, quibus nunc plurima Asiæ atq; Europæ regna horribiliter lacerantur ac deuastantur ab hostibus Dei, occupatis in delenda uera doctrina & Ecclesia excindenda, testimonia sunt iræ Dei aduersus peccata generis

ris humani. Iudicium enim à domo Domini incipit. Sed in hac rabie & sæuitia hostium Ecclesiæ erigamus & consolemur nos promissionibus diuinis: Exardescet Dominus breui in ira sua, et erepta Ecclesia, hostes sui nominis tanquam uas figuli confringet. Et faciet hoc tanto citius, quanto nos ardentius precando institerimus.

OSCVLEMINI ERGO FILIVM, confugite ad Deum in agnitione et fiducia filij, petite, ut ipse filius sit & maneat Emanuel, custos ac protector noster, ut discutiat ac depellat errorum tenebras, quæ ueritati offunduntur, & arceat à nobis rabiem ac uim hostium, nec sinat in his regionibus, & Ecclesijs effici uastitatem, qualis est, quam latè impia illa obscœna & barbarica Tyrannis hostium Christi dominatur. Crescat in uobis cura regendi motus animi & mores externos, quasi renouata & aucta anni nouitate. Est autem pars magna gratitudinis erga Deum, uero reuerentiæ cultu prosequi ministerium. Quare mandamus scholasticis, ut de more CRAS munus quisq; suum ad altare offerat, & Magorum exemplo hoc qualicunq; officio gratitudinem suam erga filium Dei declarat. P. P. Die natali Domini nostri Iesu Christi, Anno inchoante M. D. LXVIIII.

DECANVS COLLEGII PHILOSOPHICI, IN ACADEMIA VVitebergensi, Matthæus Blochinger, liberalium artium Magister, Professor publicus.

QValis concha maris tractis ex aëre guttis
Gemmam, quæ cordi fit medicina, parit:
Cui pater est nullus nisi cœli arcana potestas,
Nobiliorq; suo semine matre sua est:
Sic quoq; terrenæ de sanguine gutta puellæ
Concipit æthereo Flamine fœta Deum.
Et natura duplex persona iuncta sub una est,
Iusticia est culpæ, uitaq; iuncta necі.
Spiritus & carni, cœlum terrestribus oris,
Humanæ massæ, uera propago Dei.
Sic de Patre Deo Deus, & de uirgine matre
Natus homo est, Vnus germen utrumq; gerens.
Quàm magnũ est, humana Deum sibi iungere mem (bra,
Et mortis Dominum non timuisse mori?
SED ueluti conchæ baccam liquor acris Iacchi
Infusus tenuis more resoluit aquæ:
Sic tu liuor edax, & acerba calumnia, Verbum
Corrumpis, neruum dulcis amicitiæ.
Regnet amor ueri doctorum in mentibus æquis,
Et pax, & summi gloria uera Dei.
Pectus amore Dei flagrans, & amore propinqui,
Non uomat in sanctos aspera uerba uiros.

Optimus

Optimus Orion, specimen Virtutis, & Artis,
Fertur ab infesta fata subisse Nepa:
Accidit hæc sanctis etiam fortuna magistris,
Quorum ope religio protulit ægra caput.
Est aliqua, est maledicta manus, communis Erynnis,
Nigrior Illyrica bestia fœda pice. (nis,
Hæc Nepa, quæ cauda sæuo est armata ueneno,
Cuius & os rabidum nil nisi uirus alit:
Omne adimit pondus scriptis, dictisq; Philippi,
Dimidiumq; animæ famam abolere parat.
Hoc precium est eius qui sudans nocte, dieq;
Implcuit meritis Solis utramq; domum.
Qui stabulum Augiæ purgans Tyrinthius alter,
Eruit immundo tot bona summa fimo:
Egregias artes, Linguas, & munera Christi,
Munera quæ sola sunt capienda fide.
Nec dum etiam starent spinis exerta Sophorum
Verba Dei, & stygijs eruta præstigijs.
I nunc & Cuculi fœtus exclude fouendo,
Vt ueram sobolem cum genitrice uorent.
Pasce lupi catulum, tamen & mox robore sumto
In te qui rabido dente feratur erit.
Constantes animos peruersa calumnia turbat,
Linguaq; plus armis frangit acerba pios.
Et fremitus ratione carens, ratione potentes
Terret, & inceptum linquere cogit opus.
Qui ualet arte tacet, sed clamant arte carentes,
Quiq; ululant, sanctos impedîre sonos.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000350

Sed cum ſumma dies producet operta ſub auras,
Arguet & facti mens ſua quenq; ſui:
Ipſis iudicibus tandem fateantur oportet,
Vicerit inuitis quòd bona cauſſa malis.
ERGO uelut uiridi munit præcordia ruta
Cum Muſtela nigris anguibus arma parat:
Sic ne te lædant mendacia tincta ueneno,
Ille Paphlagonia quæ ſerit arte, Sinon:
Inſtrue te ſtudijs, atq; ordine tende per Artes,
Quæ bene præ falſis noſcere uera docent.
SI quis in hoc cætu eſt expertus in artibus iſtis,
Et uult profectus edere ſigna ſui:
Adſit, & inſignes doctrinæ expectet honores,
Plena erit officij mens mea, plena fide.
Nate Dei uiui uitis pleniſſima ſucci
Tu nos inſertos palmitis inſtar ale.
Sola ſalus miſeris ex illo fœdere pendet,
Naturam & meritum das mihi Chriſte tuum.

P. P. Calend. Ianuarij

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

SVB ueſperam heſternæ diei euocatus eſt, hac uita, atq; ita, ut locuti ſunt, diem ſuum moriendo obijt, ciuis in hoc oppido honeſtus & honoratus IOHAN: SCHON, qui bonitatis & integritatis nomine laudatur à ciuibus ſuis, & paterfamilias induſtrius fuit, ſuiq; negotij bene gerens, quodq; perſpecta hæc eſſent in ipſo omnia & fides atq; prudentia, cooptatus etiam in ampliſſimũ ordinem eſt conſilij oppidani publici. Petit autem à nobis et familia ſuperſtes & honeſta propinquitas, ut noſtrum etiam ordinem inuitemus ad funeris deductionem, id; quod facere nos par eſt, debetur enim pietati Chriſtianæ, uirtuti, & honeſtati teſtimonium noſtrum, quæ ad extremum uſq; uitæ diem ſpectata eſt, quod ſibi unuſquiſq; intelligens præſtari optat atq; expetit, & inquilinorum quod ſit officium erga ciues inter quos uiuimus, ſua ſponte omnes intelligunt.

Confidimus igitur noſtros omnes hanc pietatis et dilectionis Chriſtianæ, atq; officij debiti operam daturos commonefactioni noſtræ, ut funus proſequantur demortui, qui efferetur hodie hora duodecima ex ædibus quas incoluit, in platea ut cognominant conſulari, è regione ædium Cla. Viri & Iuriſconſul. D. Michaelis Teuberi &c. quo uicino uſus eſt beneuolente & benigno. Deum oramus per Chriſtum, ut inter extremos conatus oppugnationum hoſtilium, conſeruet etiam deinceps apud nos ueritatem ſuam, & ſtudia huius, eiq; & Reipublicæ ſeruientia cætera uniuerſa, Itemq; quietem et pacem ad hæc colenda neceſſariam, atq; ipſi æterno Deo glorioſam et Eccleſiæ Chriſti ſalutarem.

lutarem. P. P. IIII Non. Ianuarij, *Anni incipientis à nato Iesu Christo.* M.D. LXIX.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

MElius est, inquit sapientiß. Rex SALOMON, ire in domum luctus quam conuiuij. Nam in bonis naturis conspectus & consideratio mortis aliarumq; calamitatum humanarum excsitat animos ad timorem Dei, ad seriam inuocationem, fidem, deniq; ad modestiam in omni uita præstandam: Frenos etiam inijcit cæcis cupiditatibus, ne ruant, aut euagentur in infinitum, cũ infelices ac tristes exitus eorũ esse deprehendantur, qui spreto iudicio diuino, & posthabitis legibus indulgent suis furoribus tantisper, donec sibi et alijs exitium attrahant. Quare & ob hanc causam libentius frequentemus funerum ceremonias, ut cogitantes de morte omnibus nobis imminente & de periculis, quibus alioquin exposita est uita hominum, excsitemur ad ardentem precationem, & diligentem morum gubernationem, sicut scriptum est: Vigilate & orate, vt effugere possitis uentura mala. Cumq; heri ex hac uita placidè discesserit ingenioſus ac bonæ spei adolescens, IOHANNES AMBERGIVS, filius Reuerendi uiri Eccle-

Ecclesiæ Pastoris in hac uicinia, diuturno capitis dolore uexatus: decet nos & significationem luctus nostri ostendere optimo patri in deductione iuuenis, & simul testari eo officio, nos eadem communi omnium hominum sorte, mortem expectare, & cum pijs uniuersis credere mortuorum resurrectionem & uitæ æternæ societatem donandam nobis propter Mediatorem nostrum Iesum Christum. Etsi enim propter peccatum mori homines, & propter serpentis primum afflatum, ipsos etiam putrefactos fieri serpentes necesse est: tamen per mortem filij Dei tollitur mors æterna ex hominum natura, sicut dicitur: O mors, ero mors tua. Fiet autem funus defuncto hodie Hora XII. ad quod ut conueniant scholastici ante ædes Christophori Inguueri Clausurarij, quæ sunt ex aduerso Collegij, eos hortamur: Vbi & se & Ecclesiam in hac temporum mœsticia Filio Dei seruatori & custodi nostro pijs precibus commendent.

P. P. VII. Ianuarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

MVLTA hoc tempore tristia eueniunt in oppido, atque singulæ familiæ suas miserias

ſerias experiuntur, ex ijs autem quæ noſtro ordini accidunt, neceſſe habemus referre in præſentia eucitum grauem. Opt. & doctiſſimus Vir, & optimarum artium Magiſter IOHANNES HERMANNVS, oriũdus ex oppido Boruſſiæ Nydeburgo, beri in conclaui, quod ſolus incoluit, mortuus eſt in lecto ſuo repertus. In huiuſmodi euẽtis, et ſcripturæ de præoccupatis morte pijs hominib. conſideranda, et uita anteacta, Ex his. n. ducuntur, quæ confirment animos corũ qui talib. perturbantur. Eſt autem tota uita piorum mortis commentatio, & cura de exitu ex hac bono, & beata migratione ad Deũ, eiuſmodi uita non potest claudi malo exitu, quocunq; caſu aut modo extinguatur, ſiue natura, ut locuti fuere, ſiue morbis conſumatur, Poſtquam enim morti natura humana ſubijci cœpit, aliquid eſſe oportet quod hanc afferat, atq; ex his indicatis alterutrum. Probauit autem hic Magiſter IOHANNES HERMANNVS noſter pietatem ſuam, ſtudijs, ſermonibus, moribus, & uita uniuerſa, omnibus cum quibus uixit, quibuſq; notus et familiaris fuit, qui de hoc luculentè teſtantur uniuerſi, et experiuntur percontantes, quid ad mentionem mortis ipſius de uirtute & doctrina demortui audiant & doceantur. Peragrauit ſtudiorum doctrinæ cauſſa Gallias, Italiam & Germaniam, & qui hodie uiuunt ex doctis uiris, præcipuos audiuit pleroſq;, & præter linguarum trium eruditarum cognitionem ſingularem, Latinæ, Græcæ, & inprimis Ebreæ & Chaldeæ: cuius optimos Magiſtros audiuit eximiamq; ſcientiam conſecutus eſt, præter has igitur etiam quatuor aliarum peritus fuit, quodq; ſibi peregrinationibus ſuis, & longo & indefeſſo ſtudio ſuo, doctrinæ comparauit minimè uulgaris, id omne Deo dicauit, & ueritatis cœleſtis propagationi, neq; quicquam magis egit, quàm ut ſe quam inſtructiſſimum præſtaret ad utiliter inſeruiendum Eccleſiæ Chriſti et patriæ, Ad quam tantam rem ille iampridem & ætate & cæteris quæ requiruntur omnibus permaturuerat. Omnino enim is fuit, qui in publicorum munerum adminiſtratione, tam in ſcholis publicis q̃ in Eccleſia, docendoq; utrobiq; operã nauare præclarè potuiſſet, doctrinam autem in eo & pietatem uirtutemq; & prudentiam ſingularem, moderatio etiam & ingenium, moresq; cultiſſimi ornabant, ſed ũſus fructus horum bonorum occulto Dei iudicio interceptus eſt morte ipſius Eccleſiæ & ſcholis, immatura, Noſtram uero Academiam, cuius alumnus fuit minimè pudendus, conſtantiſſimo affectu tanquam matrem coluit & dilexit, quod hanc ueritatis diuinæ & humanæ ſibi magiſtram eſſe profiteretur, eaq; profeßione non dubitauit odia & exilia ſibi accerſere, & commoda maxima præcidere.

Huius optimi uiri funus honeſtemus deductione

ctione noſtra, quod efferetur hodie Hora XII. ex ædibus, quæ ſunt ab arce quartæ.

P. P. VIII. Id. Ianuarij.

EPITAPHIVM IOHANNIS HERMANNI Niddeburgenſis, Boruſſi.

ARte potens animóq; uigens Hermannus, in Spe uitæ moriens, condidit oſſa loco. (iſto,
Fortibus hunc genuit tellus habitata Boruſſis,
At procul à patria, Saxonis ora tegit.
Multa tulit uarijs peregrinus in urbibus hoſpes,
Cumq; ſuis populos moribus edidicit:
Vt tribus artificem linguis coniungeret uſum,
Quo ſine perfectum nouerat eſſe nihil.
Et quid erat cauſæ, cur talc Boruſſia lumen
Illuſtrare ſuus non paterere ſcholas?
Ille quidem uoluit, niſi mens tibi læua fuiſſet,
Regie Mons templis utilis eſſe tuis.
Sed ſua tuſerunt ipſum quoq; mœnia Chriſtum,
Nomen ab externo, qui ſapit, orbe petat.
Somnia Morlini, commentaq; diſſona uero,
Spreuerat Hermannus, ſprctus & ipſe fuit.
Quæ ſi laudaſſet, laudatus & ipſe fuiſſet,
Prævaluit Nymphæ candidioris amor.
Tu Niger es, dixit, niſi nominis omine fallor,
Leucoris eſt, quæ me non ſinit eſſe tuum.

Leu-

Leucoris Albiacas inter pulcerrima Nymphas,
Hanc ego cum ueri ſit ſtudioſa ſequar.
Hic quamuis patrijs in finibus obſuit illi
Candor, in Albiaca profuit urbe tamen.
Regius abiecit, Mons Candidus extulit illum
Laudibus, & requiem præbuit & tumulum.
Quo uoluit uenit: gremio telluris amatæ,
Frigidulos moriens compoſuit cineres.
Libera mens patriæ redijt cœleſtis in oras,
Facta fide, & meritis Chriſte beata tuis.
Eus patriæ ſeruire: ſed expectare laborum
Præmia, uel non eſt ſpes bona, uel nihil eſt.

Sebaſtianus Artomedes Langezemenſis.

STVDIOSIS GRÆCÆ LINGVÆ.

AD diem Martis proximum, Deo auxiliante, pergam interpretari Antigonem Sophoclis, & deinde die Iouis auſpicabimur Quartum lib. Iliados Homeri, qui continet initium pugnæ inter Græcos et Troianos, ubi uarij & mirabiles caſus, atq; rerum uices, quales in prelijs accidere ſolent, pingũtur, et in omnib. his ineſt, ſimulq; traditur doctrina ſalutaris uitæ, quale hoc eſt, quod interficitur ab Aiace Simœiſius filius Anthemonis, in primo flore iuuentutis extinctus, propterea, quod ſicut Poeta dicit, ingratus fuiſſet erga charos parentes. Hæc enim ſunt eius uerba. οὐδὲ τοκεῦσιν

Θρέπτα

Θρέψα φίλοις ἀπέδωκε, μινυθάδι & δὲ δι ἀὼρ
Ἔπλεθ' ὑπ' Αἰακίδαο μεγαθύμε δορὶ δαμάσσι.

Videtis hic tradi doctrinam Quarti præcepti, de pietate erga parentes, deq; pœna ingratorum liberorum, sunt uero plura in his libris exempla præceptorum de morib. non minus illustria ut mirari aliquis possit, ista ab Ethnicis tam perspicuè tradita & illustrata esse, sed uoluit Deus doctrinam legis suæ, præsertim secundæ tabulæ præcepta omnibus ætatibus in toto genere humano lucere, Et propterea nobis hæc chariora esse debent, Nec putemus, sicut uulgus idiotarum solet, hic tantum nugas & Ludos agi, ac de fabulis inanibus sermonem haberi, hi Ludi seria ducunt, sicut ille dixit, & post sacratiss: Biblia non est alia doctrina magis salutaris uitæ, quam quæ horum Autorum scriptis continetur, nempe Homeri, Sophoclis, et Euripidis, sic enim & Reuerendus D. Præceptor iudicare solebat, Quapropter, qui studijs suis præclare consultum cupiunt, hos neutiquam pigeat hæc scripta nocturna & diurna manu uersare, Quemadmodum Horatius dixit. Meum studium, assidua diligentia, & fides, quantum feret hæc meæ decrepitæ senectutis imbecillitas, non deerit auditoribus. Æternus Deus nobis clementer adsit, & mihi ad meas operas uires sufficiat, per Christum filium suum Amen P. P. V. Id: Ianuarij.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Circummittendi sunt his diebus iterum, qui introducto more Eleemosynas uestras colligãt ad ualetudinarium scholasticorum. Quæ misericordiæ uestræ munera, ut pro re & copia benigne à nobis conferantur, excitare debet unumquemque in primis pietas religiosa, cum Deus commendet nobis egentes & calamitosos, & dilectionem postulet, qua nos mutuò complectamur, quæ in hac erga pauperes beneficentia maxime spectatur, de quo tam multæ, & luculentæ commonefactiones propositæ sunt hactenus, ut quid ijs addatur non reperiamus in præsentia. Constat autem & experiundo iam multi cognouerunt, quo & quomodo impendatur id, quod dilectio & misericordia uestra, & piorum hominum aliorum nobis contribuit, quod & ipsum ad largiendum benignius, atq; ut Apostolus loquitur hilarius, causam afferre potest & debet omnibus, qui confiderant, Neq; enim tantum ijs qui patrimonium nullum habent, quibusq; sumtus aliundè non suppetunt, ad necessariam corporis curam in morborum malis, His igitur non solis seruiunt Eleemosynæ tales, sed & cæteris omnibus, qui casu aliquo interueniente non accipiunt à suis sumtus eò tempore, quo morbis correpti maximè his indigent, atq;

ia, etiam in re lauta, non tamen tali tempore suo habent, aut habere à suis possunt quo sustententur, ideoq; non minus egent quam pauperes quicunq;, neq; minus est horum miserabilis conditio. Quicunq; igitur ægroti ex nostris pecunia & sumptibus necessarijs destituuntur, quibuscunq; malis corripiantur, omni tempore, corporis & morbi sui necessariam curam à ualetudinario nostro expectare petereq; possunt & debent, quæ pauperibus gratis præstetur, Quod ut diu & luculente facere possimus, pro se quisq; & suo loco, res communes Eleemosynis suis augere studeat, quas nos etiã pauperibus nostris & ordini communi à uobis propter Deum petimus. P. P. V. Idus Ianuarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

FIngit LVCIANVS Epicurum hoc nomine cæteris philosophis antecellere, & præclarè de genere humano meritum esse, quod homines à duobus potentißimis Tyrannis liberet, à TIMORE et SPE. Nam aut nihil esse Deum, aut ocioſum esse, & rerum humanarum negligentem, horribili audacia adfirmat. Sed nos in Ecclesia ducem & doctorem sequamur filiũ Dei, qui apparuit, ut credentes ab æternæ mortis et damnationis metu liberatos in certam glorioſamq; possessionem æternæ ac beatißimæ

tißimæ hæreditatis cum Deo, beatisq; omnibus perfruendæ collocet. Hac spe certa et uiuimus, & operas uocationis libenter facimus, & quæcunq; cueniunt aduersa patienter toleramus, Deniq; & mortis iter intrepidè adimus, quod migrationem esse ad cœlestem illam Lætißimamq; uitam immortalem, indubitato confidimus. Et quanquam in hac uita florent impij gloria, potentia, & successibus: Ecclesia uero conculcatur & premitur: tamen in morte ingens est discrimen piorum & impiorum. Vt enim in historia Euangelica diuitis Epulonis uita cum gemitu fugit indignata sub umbras, cum horribili fremitu aduersus Deum, & metu æternarum pœnarum, nec spe ulla leuationis aut mitigationis malorũ tenetur: LAZARVS uero neglectus & spretus, ulceribus scatens, corde tamen intuetur præsentem et propitium Deũ certaq; spe liberationis ac uitæ æternæ sua damna leuat. Sic omnibus ætatibus mortui, qui in Domino, hoc est, in uera agnitione et inuocatione Dei, moriuntur, non opprimũtur dubitationibus aut metu, sed beati sunt, quia et iam sentiunt initia consolationis, et fruentur deinceps æterna consuetudine Dei: Impiorum uero mors iter est ad æternam miseriam, nec experientur hi ullam consolationem aut lætitiam in morte ac cruciatibus æternis. Cũ igitur omnia huius uitæ breuia et momentanea sint, nec portũ monstrent, in quo acquiescere mentes luctantes cum spe metuq; possint: reiectis Epicureorum ac Stoi-

corum furoribus ea potißimum in uita ſectemur, ac teneamus, quæ etiam morte nobis firmam conſolationem & ſpem uitæ ac lætitiæ ſempiternæ ſuppeditant: qualia ſunt quæ in ſola Eccleſia filij Dei corda credentium uoci Euangelij in ueris nec ſimulatis pœnitentiæ exercitijs apprehendunt & experiuntur. Sic ſcriptum eſt: Mors impiorum peßima: IVSTVS uerò etiam in morte ſuperabit. Fides enim nitens filio Dei uictore mortis & inſtauratore uitæ, deinde & certa ſpes reſurrectionis uitæq; æternæ, efficit eam animi tranquillitatem, qualem in multis adituris mortem cernimus. Hac fide & ſpe ſuſtentans ſe quoq; honeſtus & ingenioſus iuuenis GEORGIVS FOSSIVS Ditmarienſis heri in Domino placidè obdormiuit, qui cum ante ſemeſtre primum in Academiam noſtram ſtudiorum cauſſa conceßiſſet, & iuris cognitionem preclarè inchoaſſet, proximo frigore ita læſus eſt repentè, ut de capitis grauedine & pectoris repletione ex catharris eo decumbentibus queri cœperit. Ex his ſubitò ingraueſcentibus cum naturæ uis proſterneretur, nec remediorum uim iuuaret, conſecuta περιπνευμονίαν ὀλέθρια tandem octauo die eum abſumſit. Teſtatur autem quibus familiariter notus fuit eum non ſolum doctrinæ liberalis amantem ac ſtudioſum fuiſſe, uerum etiam in omni uita ergà Deum pietatem coluiſſe, ergà cæteros humanitatem & modeſtiam.

Cumq; unicum hunc filium parentes habuerint, ægrè paßi ſunt eum à ſe aueli, cum diſcederet, orbitatem hanc quam ipſis hic caſus attulit, quaſi præſagientes. Verum hi ſuſtentent ſe cogitatione uoluntatis diuinæ, & quod filium præſtanti ingenio, doctrina, & uirtute non tam amiſerunt, quam ad ſocietatem cum Deo in Academiam longè præſtantiorem, cœleſtem nimirum præmiſerunt, ubi cum rurſus poſthac in lætitia æterna uidebunt ac complectentur. Nunc quod eſt humanitatis officium poſtremum à nobis etiam defuncto præſtabitur, & cum ſepeliendus ſit Hora XII. hortamur ſcholaſticos, ut ad funeris deductionem ex ædibus Doctiß. Viri Magiſtri BVRCHARTI MATTHÆI in platea conſulum frequentes conueniant, & cogitantes miſerias & pericula, quibus hæc infirma hominum natura quotidie expoſita eſt, & ſe & Eccleſiam filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto pijs uotis ac gemitibus commendent. X. Ianuarij

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

INTER bona ea, quæ à Deo hominibus in hac uita conferuntur, ſapientiß. Rex Ebræus celebrat uxorem bonam, et diſerte Domini eſſe donum hoc docet, neq; humana induſtria aut prudentia cõcilliari aut exquiri. Vere autem hoc pronunciari,

coniugium felix ex huius uitæ bonis præcipuis esse præcipuum, cogitantes intelligunt, & experientes docere possunt. Sed quanto maius hoc bonum est, maiorq; felicitas eorum, quos Deus in hac uita hoc modo beat, tanto maior calamitas est & miseria, hoc diuinitus concesso bono orbari, & pios feliciq; coniugio diuinitus coniunctos coniuges, morte à se mutuo diuelli, quam miseriam cogitando informantes præuidentesq; atq; metuentes aliqui molliores, hac etiam de causa, & præcipuè quidem, abstinere à coniugio malunt, & huius benedictionis diuinæ, sicut sapiens Ebræus nominat, fructu carere, ne doloris eius magnitudinẽ, qui ex morte alterutrius existit, experiri aut ferre necesse habeant, Quod enim ille apud Poetam optat,

——ne coniugis unquam
Fata meæ uideam, neu sim tumulandus ab illa.

Hoc igitur non nisi rarissimis casibus, & plerumq; morte ipsa tristioribus, fieri potest aut sciet, ut uno scilicet tempore aut momento ambo coniuges ex hac uita migrent, & sic tamen aliter fieri nequit, quam ut unus alterius funere grauissime afficiatur. Etsi autem pietas Christiana, & scientia Sanctorum, subijcit & docet quid fieri oporteat, constat tamen ex maximis doloribus esse hunc qui superstiti ex pijs coniugibus in morte alterius

affertur, neq; σοφγὰς experimur sese alias in uita esse erre, & quasi tumultuari uehementius. Hanc tantam miseriam experitur nunc cum dolore & commiseratione, ut par est, nostrum omnium, Opt. & doctiss. Vir, studijsq; iuuentutis utiliter inseruiens, Collega noster carissimus, M. Albertus Lemeiger Hamburgensis, cui heri mortua est dilecta uxor Catherine, quæ honesto loco nata maritum hunc & popularem, ex patria in Gambrinijs: Vbi pijs nuptijs ante annos septem ei coniuncta fuit: huc est secuta, atq; in hoc coniugio suo ita uixit, ut matrisfamilias optimæ laudem merita sit, & nunc decedens uitæ probæ et matronalis elogia apud omnes honestissima relinquat.

Superioribus autem diebus partu infelici ita afflicta est, ut decima quarta die post, uita ei extingueretur, cum quidem à multis iam mensibus familiares eius audiuerint, ipsam ominantem sibi atq; prædicentem mortem propinquam, eaq; de caussa liberos & maritum commendare alijs incipere, qua una solicitudine se affici etiam in hoc morbo suo sæpius testata est, cum quæ ad hanc uitam pertinent nihil tum curaret reliquorum omnium, Ad mortem enim semper animo paratissimo fuit, seq; fidelibus precibus commendauit filio DEI, qui & migrationem ei largitus

est eiusmodi, ut mente esset usq; ad extremum halitum integra, & spiritu intrepido inter preces suas & circumstantium uitam clauderet.

Efferetur autem hodie Hora III. ex Collegio Augusto, cuius funus ut prosequantur scholastici, officium postulat & nos eos ut faciant hortamur.

P. P. *Idib. Ian.*

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

MISIT in scholam nostram DANIELEM *filium Reuerendus Vir, & Ecclesiæ Christi Pastor fidelis, in oppido Fraucnstein, quod est ad Fribergam Mysorum, in hac uicinia,* D. Alexander Berus. *Huius igitur optimi patris optimus filius, in studijs pietatis & literarum apud nos uersatus est fermè biennium, spemq; de se & expectationem concitauit frugis bonæ, sed superiorib. diebus febri correptus, cum augesceret quotidie incendium huius, & ardentissima fieret, uita conflagrante heri mortuus est, annum ætatis agens uigesimum primum, qui est climacter septenarius tertius, atq; ita, ut humana ratio iudicat, immatura morte præcisa spes est de filio pijs parentibus, quam rectissimo & laudabili consilio, sumtibus necessarijs omnibus impensis, pius pater alendam*

alendam sibi constituit. Sed occulta sunt iudicia Dei, neq; hoc eximium Dei donum, quod uita est, produci homini semper ei utile est aut salutare, & solus Dominus nouit & intelligit quando & uiuere & mori pijs, atq; inuocantibus nomen ipsius, optimum sit, in quibus hunc DANIELEM *fuisse, non dubitamus.*

Sepelietur autem hodie Hora III. & efferetur ex domo, in qua mortuus est ante portam, quæ Albiaca cognominatur, & hac exeuntibus est ad dextram tertia.

Ad cuius funus prosequendum scholasticos inuitamus, qui enim in communibus studijs, & ordinis honestissimi coniunctione nobiscum uixit, ei mortuo hoc officium à nobis utriq; deberi intelligitur. P.P. XIX. *Calend. Feb.*

RECTOR AACDEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HERI ex hac uita pie ac placide decessit lenta phthisi consumtus bonæ spei adolescens PAVLVS SCVLTETVS, *filius honesti senis* IOHANNIS FRANCI, *ciuis & sartoris in hoc oppido. Qui cum ad literas à pueritia adhibitus fuerit, & ordini scholastico adiunctus, studiose didicerit prima artium rudimenta*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000359

& ſemina pietatis ut ſpes fuerit eum in hoc curſu ſtudiorum ad frugem peruenturum eſſe: Petitum eſt à nobis officium illud comitandi funeris, quod ei fiet ad horam XII. Quia uerò & comperimus eum in omni uita modeſtiam coluiſſe, & cum in morbo, tum in extremo agone teſtatum fuiſſe animi ſui religioſam pietatem erga Deum, ſeria & ardente inuocatione Filij Dei mediatoris ac redemtoris noſtri: non dubitemus eum ex numero illorum eſſe, de quib: ſcriptum eſt: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et hac ipſa ſpe ducti libentius gratificemur honeſtæ familiæ in deductione funeris, cum & per ſe debeatur hæc humanitatis ſignificatio omnibus, qui nobiſcum eiuſdem ueræ doctrinæ religionis profeſſione coniuncti ſunt, & ijs potiſſimum, qui eiuſdem Reipublicæ membra ac ciues ſunt nobiſcum. Quare hortamur ſcholaſticos, ut ad pias funerum ceremonias Hora XII. ante ædes patris defuncti adoleſcentis conueniant, & cogitantes huius uitæ breuitatem & fragilitatem ſe à filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto regi & ſuſtentari petant, ut incolumes ac ſuperſtites eſſe diu, & ſeruire DEO in propagatione doctrinæ cœleſtis, & aliarum bonarum artium Eccleſiæ neceſſariarum poßint.

P. P. 15. Ianuarij.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

APVD Ælianum citatur ſententia SILENI, qui dixit, Non naſci bonum longè optimum eſſe: Proximum autem quam primum mori. Etſi autem de impijs omnino uera eſt, qui ſic in omni æternitate uicturi ſunt, ut retineant ſummam odij acerbitatem aduerſus Deum, & horribili furore ſtudeant omnia contraria facere diuinæ uoluntati: tamen ad pios tranſferri minimè debet qui rectè de Deo ſentiunt & docent, qui inuocant eum, & cum in hac uita, tum deinceps in altera quoq; ſtudent Deo grata facere, & quibus ſe Deus uiciſſim communicabit in omnem æternitatem. Tales enim naſci longè optimum eſt: Proximum autem diutiſſimè uiuere, cum ut ipſi diſcant rectè agnoſcere & inuocare Deũ, tum ut hanc ſummam ſapientiã & doctrinam propagare ad poſteritatem queant. Si enim in flore ætatis omnes extinguerentur, quis ſpargeret in mundo ſemen, ex quo uera Eccleſia naſcitur? Petamus igitur à Deo longius uitæ curriculum, non ut breuibus ac fugacibus uitæ huius uoluptatibus fruamur, ſed ut ipſi uerè Deum agnoſcere diſcamus, & ut in exercitijs ac ærumnis uitæ huius creſcat lux doctrinæ, et confirmetur fides, deniq; ut alijs quoq; eam doctrinam communicemus, qua uera claue fores æternæ beatitudinis aperiuntur.

Deceßit

Decessit autem heri placida sed immatura morte doctus & honestus Vir, Magister FRIDERICVS BALDVINVS, natus patre viro integerrimo, & scriba publico in hoc oppido, qui cum antehac doctrinæ et uirtutis suæ specimen hic ediderit in formandis pueritiæ studijs in schola publica, & fratris Magistri ANDREÆ BALDVINI labores sedulo adiuuerit, ante biennium in uicinia Ecclesiasticæ functioni se dedidit, ac Deo seruire in propagatione doctrinæ cœlestis cœpit. Sed cum natura minus firma esset, in phthisin incidit, qua paulatim absumtus est, retinens animi uires integras usq; ad extremum agonem, in quo & fidei suæ & ardentis desiderij uitæ æternæ ac societatis cum Deo, indicia præbuit illustria. Ei funus hodie ad Horam XII. fiet, ad quod ut ante ædes consulis IOHAN: LVFFTII conueniant, Scholastici nostri frequentes hortamur, atque declarent, & societatem luctus sui erga defuncti honestißimam familiam, è qua adhuc superstites multi sunt, quorum eruditio & uirtus patriæ atq; Ecclesiæ Filij Dei profutura est, & in his ipsis funeris ceremonijs petant à Deo uitam longiorem, ut seruire Deo in propaganda doctrina necessaria posßint, sicut scriptum est: Non mortui laudabunt te Domine. P. P. 25. Ianuarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Rex

REX opt. Deoq; carißimus, & Propheta DAVID, cum in morbo de uita ei periclitaretur infans filius, non desijt per dies septem ieiunare & orare, id est, precibus uti sobrijs & fidelibus ad Dominum, & experiri an uitam puero precando impetrare posset, sed Deo aliter uisum fuit, qui quid sit cuiq; optimũ solus nouit, ἔπεισθεν γὰρ ἀληθὴς οἰκονομίας λόγῳ περὶ τῶν ἐνεστώτων ἑαυτοῦ κηρύγματων ὅτι ἐυδιάφορος σοφῶν τὰ ἡμέτερα, Vt consionatur Græcus Theologus. itaq; cum die septimo nuncium acciperet de morte filij, acquiescere animo cœpit sibiq; parcere, et e lucto suo de terra surrexit, & in domum Domini se conferens, ad alias preces se conuertit, deq; alijs rebus cum Deo colloqui cœpit, quod & quæ Domino placuissent, ea se pia tolerantia ferre debere, & uita pueri amissa, dolendo querendoq; nihil profici intelligeret, neq; dubitaret fore, ut in alia uita cum hoc iterum coniungeretur, sic enim respondet ministris, Ieiunabo ne & flebo amplius? nunquid recuperare eum potero? Ego uero ibo ad ipsum, ipse non redibit ad me, In quibus præcipuè posita uidentur, quæ lenire atq; tollere etiam, ægritudinem posse deberęq; uidentur, quam ex morte aliorum accipimus, Quæ repetimus considerantes animo nostro, ad consolandum dolorem, cum significandum esset de funere in familia honesta & pia Magistri CHRISTOPHORI PEZELII, uiri

uiri doctißimi,& Collegæ noſtri cariſſimi, CVI ſub hoc ipſum tempus,quo ante annos tres coniugem primã ſuam morte amiſit,heri etiam infantulus filius Chriſtophorus ætate octimeſtris mortuus eſt, quem Deus ei dedit primum & unicum hactenus. Etſi autem magnus dolor eſt ſepelire libros & Deus inſeuit amoris affectiones erga noſtros, & inter nos,animis noſtris etiã propterea,ut teſtentur de ipſius erga nos dilectione, & de Archetypo ad cuius imaginem conditi ſumus,nos admoneãt, Moderanda tamen res eſt,cum quod immoderatum eſt in hoc genere ab archetypo diuino alienum ſit, & huius d prauatio,neq; ab humana ſapientia laudem reperiat,et qui pro nobis dedit filium unigenitum ei Deo noſtros etiam liberos permittamus, animo obſequente,uel nihil potius iam carum nobis eſſe patiamur, quod ipſius cauſſa non relinquere uelimus animis libentibus & paratis.

Efferet autem hodie Hora IIII, filiolum ſuum Magiſter Pezelius noſter,cuius doctrina publicè et priuatim,inq; ſacrarum literarum & humanæ ſapientiæ ſtudijs cum fruantur ſcholaſtici, hortamur eos,ut ſumus deducant,& hoc etiam modo ſe erga benemerentes,ita, ut debent,affici declarent.

P. P. Pridie Calend. Februarij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Vetus

VEteris & honeſtæ familiæ in nobilitate harum terrarum equeſtri nomen eſt VVILMARORVM, in qua natus fuit IOHANNES VVILMAR, cuius maiores in hac uicinia & præfectura ſedem habuerunt à multis annis. Hic VVILMARVS plenus dierum & ſaturitæ heri ſub diluculum mortuus eſt.

Conſtat autem inter initia fermè rei ſcholaſticæ noſtræ eum nomen ſuum apud Rectorem profeſſum, & in literarum & doctrinæ ſtudijs uerſari apud nos cœpiſſe ante annos multo plures quinquaginta, ut exiſtimemus non multos iam niuere, qui ante hũc hac ſchola uſi fuerint, et fuiſſe ipſum ex ſcholaſticis huius antiquiſſimis. Sunt & argumenta alia,quæ docent nõ multò fuiſſe ætate minorẽ octogenario, aut hoc etiam maiorem. Huius tota uita proba fuit & innocens atq; in extrema etiam ſenecta ſua conquirere non deſiit, & legi ſibi curauit PHILIPPI MELANTHONIS ſcholas ſacras, neq; quicquam omiſit, quæ hominem Chriſtianum facere par eſt, & precibus operam dando,tàm publicè quam domi, & audiendo conciones ſacras,& conferendo de his cum ijs qui eum docere poterant. Itaq; & hoc conſecutus ſuit ut ad exitum beatum inſtructus eſſet,& præſente animo atq; in religioſa pietate & profeßione huius conſtante, interq; preces ſuas fideles,mortem obiret, & animam ſuam moriens Deo commendaret.

Sepelie-

Sepelietur autem hodie Hora XII. *& cum ipſo tota hæc familia, cum neq; liberos neq; gentiles relinquat ullos ſuperſtites, per ſe autem triſte eſt non relinqui ex poſteritate noſtra, qui Deum colant & inuocent, & antiquas & nobiles familias deficere inprimis eſt miſerabile. Huius ſenis defuncti funus à ſcholaſticis deduci par eſt. Efferetur autem indicato tempore ex ædibus honeſtæ uiduæ Lucæ Zimmermanni.* P. P. Non. Feb:

DECANVS COLLEGII IVRISC. IN ACADEMIA VVITEBERGENSI VITVS SORTELIVS Filius, *Iuris utriuſq; Doctor & Profeſſor &c:*

Diuina quædam res eſt in terris & hac uita, Magiſtratus, & gubernare populos, & præeſſe Rebuſpublicis, ſicut ſcriptũ eſt in Pſalmo, Ego dixi vos eſtis dij & filij excelſi omnes &c. & quam operam nauent Eccleſiæ Chriſti & ſocietati humanæ ij, qui hoc munus rectè gerunt, ſenſus communis & experientia unumquemq; docet.

Hoc uero diuinum in terris munus gerit atq; adminiſtrat inprimis Illuſtriß. *Principum ordo, qui in magiſtratuum genere eminet ſed moles negociorum in gubernatione tam Regum & Principum*

cipum quam reliquorum magiſtratuum omnium, ſubſidia requirit, & adminiſtros, qui monendo ſubijciendo, docendo, etiam res gerendo, cæteraq; quibus opus eſt ſubeundo, atq; ita conſilio & ope, utroq; Reipublicæ, id eſt, pacis & belli tempore, labores eorum qui magiſtratum gerunt, alleuent atq; iuuent. Ad quam rem pacis temporibus Magiſtratus omnes, non barbari, neq; profani, operam utuntur & quaſi ſuccenturiatione, ut ita dicam, eorum qui in ſtudijs ciuilibus uerſantur, et iuriſperiti ſunt, & exculti prudentia ciuili, rerumq; humanarum periti. Tales fuerunt Cæſari AVGVSTO *Agrippa inprimis & Mæcenas, & cæteris alij.* CAROLI QVINTI *in hac parte fortuna ſingularis fuit, ut cum ipſe ſapientia & uirtute præſtaret. Conſiliarij etiam ſapientes ei ſemper contingerent in imperio adminiſtrando, & ad res bello gerendas duces eximij, & hac felicitate omnes alios ſui temporis reges ſuperaret, quæ felicitas & utriq; Imperatori* AVGVSTO *et* CAROLO *eminentiam conciliauit.*

Hunc uero ordinem qui gubernationis in terris munus diuinum inſtruere & iuuare, & de iuſticia & iure alios docere poteſt, hunc igitur non tantum conſeruari, ſed creſcere etiam atq; augeri, Vnum eſt de publicis bonis eximium, atq; argumentum nobile, nondum ſuccumbere diabolo, qui eſt κοσμοκράτως, Imperia, ſicut & alias is, qui

in nobis est, infinitis modis potentia superat eum, qui est in mundo. Petijt autem testimonium publicum à Collegio nostro Ornatiß. Vir, FRIDERICVS TRAVBOTVS Salcensis, Itaq; primum ad publicam disputationem productus, qualem se ibi præstiterit, ij meminerunt qui interfuerunt: neq; enim coram paucis testibus res acta est: Sed et in his responsionibus et in examinatione priuata, eum se esse probauit, qui Iuris ciuilis intelligentia præstet, & literarum etiam & eruditionis studijs ijs excultus sit, quibus instructi interesse illi iurisconsulti hoc consecuti sunt, ut responsa ipsorum pro legibus haberentur.

Multos autem annos iam in Republica et Principum negocijs uersatus, usu & peritia rerum, omniq; prudentiæ genere se instruxit. Decreuit igitur Collegium nostrum, ut ad IIII. Idus Februarij, quæ est huius mensis decima, more Academiarum solenni, Iuris utriusq; Doctor in æde arcis publicè renuncietur. Et oramus autem, & inuitamus omnes qui studiorum doctrinæ caussa in hac schola uersantur, ut indicato tempore & loco conuenire, ijsq; quæ tum gerentur interesse, & quæ dicentur cognoscere, Atq; hoc etiam modo declarare uelint, se de ordine nostro & studijs ciuilibus honorificè sentire.

P. P VI. Idus Februarij.

RE-

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

SVB hoc tempus anni Romani gens Iudaica ante Christum celebrauit, peculiari festiuitate instituta, memoriam sortium earum, per quas tempus quæsitum fuit, quo extirparetur populus ille in regno Ahasueri, sicut scriptum est in libro Esther, quæ esse in Græcorum historijs Edessa putatur, & continente biduo festiuitatem alteram celebrauit, Liberationis ex hoc periculo diuinæ, quando superiores facti hostibus suis, eos, qui ipsis interitum struxerant, armata manu interfecerunt. Hanc ita celebrari Mardocheus instituit, ut conuiuiorum etiam hilaritatem Iudæis tum permitteret, essentq; simul dies illi, quibus luctus & tristicia gentis illius in hilaritatem & gaudium conuersa fuisset, hi igitur ut dies simul fierent epularum atq; leticiæ. Qua concessione, postea pseudoiudæorum genus id, quod nostris adhuc temporibus in terris obuersatur, atq; inter Christianos etiam alicubi sedem reperit, cum blasphemum sit & maledicum in filium Dei, hoc genus inquam Iudæorum abortiuum, festiuitate instituta sic est abusum, & nunc etiam abutitur, ut non minore leuitate eam peragant, & dictis & factis ἀχαμονοῦντες, quam Græci aut Romani Idolatræ in Bacchanalib.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000364

Lupercalibus aut Hilaribus, quarum festiuitatum furores & ineptiæ similiter in hoc tempus anni Romani maxima ex parte inciderunt.

Postquam autem pio studio in ueteri Christianorum Ecclesia introductum fuit ut hebdomadibus ante paschа Christianum septem: tot enim Basilij ætate seruatæ fuerunt: ieiunia frequentarentur, & abstineretur ab omnibus quæ commentationes impedirent pietatis eo tempore, quæ de cruciatibus et morte Domini nostri IESV CHRISTI in Ecclesia doceretur, & in uitam resuscitatione huius, quibus rebus salus nostra continetur, Similiter extiterunt aliqui, qui superstitione rem corrumperent, & alij qui profanitate, assumentes de Iudæorum atq; Ethnicorum indicatis exemplis, quæ ante initia abstinentiæ illius in Christianis cætibus malè & turpiter atq; etiam impiè permitterentur, qualia sunt ea, quæ more iam & publicè fieri solere omnes scimus hoc tempore quod ieiuniorum initia Teutonicè cognominamus, contra quam peruersitatem & turpitudinem, cum singulis annis publicum ab Academia mandatum proponatur, etiam in nostro magistratu more maiorum hoc repetimus, & de sententia consilij publici nostri, omnibus iurisdictioni scholasticæ subiectis prohibemus obuersationes personatas, atq; cuiuscunq; generis et modi indecentes alias, imprimis nocturnas, & quæ ab armatis fiant, & legibus in quas

quas iurarārunt contrariæ sunt. Consideremus, uel aspiciamus potius, in quantis malis & periculis Respub. sit & Ecclesiastica, & quid homines mali & nocentes, in his terris & alibi, atq; Ecclesijs nostris & alijs nobiscum coniunctis, struant atq; moliantur. Cœlum etiam & terra præsentibus rebus extrema omnia minitari uidentur. In hoc uero statu rerum, qui securis animis uoluptatibus indulgere possunt, aut delectationes quærere atq; usurpare eiusmodi, quæ non sunt consentaneæ professione nostræ, Ad eos alijs Magistris opus, à quibus ad moderationem reducantur, & præstabitur his etiam à nobis quod munus nostrum postulat.

P. P. X. Cal: Martij.

ECLIPSEOS LVNÆ, QVÆ IN ANNVM præsentem, Martij diem secundum cidit, examen.

QVæ te, Diua potens, quæ te fortuna laborum
Sollicitat? niueos cur lætæ frontis honores
Exuis, & tristi te circùm inuoluis amictu,
Luridaq;, exanguisq;, horrensq; in nocte profunda?
Nunquid Thessaliæ (infandū) tibi murmura linguæ,
Et Ponto collecta nocens Lethæa Venena?
An nouus exhausto frigentes sanguine uenas

Laſſat amor, ſiccasq; acri coquit igne medullas?

At uerò haud magico peſtem tibi lingua ſuſurro
Intentat nec aduſta premit præcordia flamma
Sæuus amor: Sed iura rotæ, et ſtata fœdera Olympi
In tenebras te Diua adigunt iam lumine fratris
Exutam, & ſolitum frontis populantur honorem:
Hæc noctis cauſſa inſolitæ, hæc palloris origo eſt.
Nam rapidis Phœbi tellus aduerſa quadrigis
Immanem ſurſum ſpacijs immanibus umbram
Aera per, liquidasq; auras ad ſydera tollit:
Hæc uaſta primum à terris cum mole reſultans
Aerios latè campos caligine condit:
Informes hinc ſtricta ſinus per inania conum
Erigit elatum, & lunaris limina templi
Permiſcet cæca nocte, inuoluitq; tenebris.
Ergo ubi fraternis inſers te aduerſa quadrigis,
Et loca ſenta ſitu informi, ſqualentiaq; umbra
Adueheris, mediumq; ſecas uix deuia cœlum,
Obſcura ſub nocte latens caligine frontem
Induis, & ſuſcas impellis pallida bigas. (umbra
Haud aliam ob cauſam iam nũc quoq; condita in
Luna lates, trepidasq; hominum formidine mentes
Per terras latè ſternis: Stupor anxius urget
Attonitos, dum uenturæ prænuncia ſortis
Signa premunt animo, & cæcos inſtare tumultus
Peſtemq;, horribilemq; famem, bellumq; uerentur.
Quippe mala hæc nobis non rarò conſcius æther,

Aſtro

Aſtrorumq; chorus fallax uix antè repertus
Prædixit, meritusq; fidem ſub fine malorum eſt.
Ergo magna Iouis ſoboles, quæ ſydera mundi
Fatorumq; uices certa ſub lege gubernas,
Vranie, trepidas illa formidine gentes
Solue uolens, ſortemq; orbis Dea pande futuram:
Sic tibi, dum puri campis ſpaciaris Olympi,
Metirisq; uagos radijs ardentibus ignes,
Concentu hinc illinc diuino ſydera plaudant,
Gratenturq; leues Zephyris ſpirantibus auræ.
Nempe hæc (Vranie reſpondet) munera doctæ
Conferimus turbæ, ſtudio quæ noſtra reperta
Excolit aſſiduo, & leges addiſcit Olympi:
Venturas rerum facies, uenturaq; fata
Aſtrorum uario magnum per inane micantum
Prodimus indicio, & uatum præſaga docemus
Pectora. At obſcura iam nunc ſub nocte latentis
Lucinæ ſi noſſe minas libet: arduus altè,
Aſpice, quo Diuûm inceſſu circumtremat æther,
Nec non quos medij defectus tempore paſcat
Quæq; domus, quoſq; aduerſos latè hauriat ignes.
Miſtus equo Senior primi tenet atria cœli
Centaurus: Comes hũc ſequitur, qui uellere nimbos
Excutit Aegoceros, tum qui ſe flumine ſpargit
Dardanius iuuenis, cuius per liquida Mauors
Templa uolat: Mauors cui belli crimina cordi,
Et furor armorum, & ſparſi cum ſanguine campi.
Hunc curru inſequitur ſed cœli in ſede ſecunda

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000366

Sol pater, & Maia quondam genitrice creatus
Mercurius: post cœruleos Dea Cypria pisces
Metitur Paphijs non tardè inuecta columbis.
Fratribus hinc fidis, hinc charo dicta parenti
Tecta tenet lapsæ uillosus portitor Helles.
At Tyrius quinta Taurus sub sede repostus
Flexa fronte premit sexti quoq; limina tecti.
Hinc tandem Oebalides charo cum Castore Pollux
Insequitur, cui quâ thalami templa alta iugalis
Contingit flamis, gressu non fida superbo
Addit se comitem Fortuna, & tranat Olympum.
Tum geminis qui succedit, stat limine eodem
Cœruleus Cancer, rapido haud incognitus æstu.
Herculeus uicina Leo loca possidet: huic se
Auricomi iungit tenebris soror abdita Phœbi:
Post deinde alato tendit per inania tergo
Erigone, gelidi quam præsens Falcifer oris
Frigore contristat, uitaliq; exuit igni:
Aspice, ut in tergum auerso uestigia curru
Torqueat, atq; animo multùm indignetur acerbo,
Toruà tuens, faucesq; infantum sanguine fœdans.
Ast nonæ tecta alta domus, & culmina Olympi
Libra anceps premit, & libræ reuolubilis hasta.
Proxima lethiferum spargens per sydera uirus
Templa Nepa obsedit. Postremo in limine Olympi
Vix dum ortũ superans Diuũm pater, atq; hominũ
Æmonij per tela Senis lata extulit ora. (rex
Tali se uoluunt errantes ordine Diui,

Fixo-

Fixorumq; chorus tacitæ decora aurea noctis.
At potiora tibi defectus iura regendi
Falce potens Saturne damus: Tibi pressa tenebris
Syluipotens Diua, et magnus iam obtẽperat æther.
Quippe nefas Phœbo, quamuis sibi terga Leonis
Subijciat præses, Lunæ sub nocte latentis,
Et tenebris fœdati axis transcribere sceptra:
Ergo Falcifero, qui Solem luce coruscum
Accipit hospitio, & defectus limine in ipso
Lentum carpit iter, non æqua mente regendæ
Iura damus Lunæ, & sceptri dignamur honore,
Nam quas ille atrox campis, quas aëris oris,
Quas clades nostro generi dabit, aurea tandem
Cum Phœbe decimo reparabit lumina cornu?
Pro, quibus & terras fatis, quas ipse tuetur
Herculeus quadrupes, & mœstæ uirginis ala,
Versabit super insurgens? Nec mitior illo
Mars erit, aduerso qui stringit lumine Lunam.
Ego atrum inspirans hominũ per uiscera uirus
Falcifer, & tabem, & febres generabit anhelas.
Fatum intentabit pecori, pontumq; secanti
Squamigero generi. At uastas magni aëris oras
Turbine uentorum, & spiranti frigora Coro
Corripiet: Stabit nebulis informis Olympus.
Et caliganti similis nix plurima nubi
Assiduoq; agitata Noto, pigræq; pruinæ
Terrã altè abscondent: Aduersum naufraga pinus
Sentiet Oceanum, & scopulis illisa fatiscet.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000367

Ipſe quoq; inſano torquens pater impete ſyluas
Cæruleus Ganges, latè ſuper arua domosq;
Voluetur, ſecumq; ornos, ſecum aſpera ſaxa,
Secum armenta trahens pelagi caput abdetin undas:
Quinetiam humano generi crudelis Erinnys
Luctuſq;, horroresq;, metuſq; Acheruntis auari
Incoquet ingeminans: Tum fati plurima imago,
Vinclorumq; timor, bellorumq; ingruet ingens.
Illa quoq; inualidis ſcribus, duriſq; colonis,
Et queîs ſacrorum ritè eſt concredita cura,
Triſte iugum, ſunemq; feret, cladesq;, neceſq;.
Haud plura expedio dictis: nam cætera Diui
Scire uetant, fatiq; arcana efferre ſub auras.
Conticuit tandem, preſſaq; in uoce quicuit.
At uos Dij patrij, quorum ſub numine magnæ
TEVTONIÆ lata arua iacent, urbesq; frequentes,
Et tu ſancte parens, tu noſtræ gentis origo
Iapete: à uoſtra prohibete hæc ſtirpe pericla:
Peſtemq;, obſcœnamq; famem, funesq;, neceſq;.
Si noſtri uos cura premit, depellite Diui.
Sat pœnæ exhauſtum nobis: ſat fraude, doloq;,
Diſiunctæq; urbes, Martiſq; accenſus amore
TEVTONIÆ populus: ſtat ſæui occaſio belli:
Stant cauſæ armorum, nec deeſt iniuria preſſis
Sat quoq; de uero, & de relligione parentum
Exorta lites, uerſæq; in iurgia linguæ.
Sat turbauit agros, & acerbis pectora uulgi
Accendit dictis Sclauorum Flacius æſtu

Inſignis, fraudeſq; ſui ductoris, & artes
Vipereas imitata phalanx: dum uerere ſundo
Albiacæ tecta alta ſcholæ nituntur, & ingens
Doctrinæ corpus præclara inuenta PHILIPPI.
Liuor agit mentem, & furiarum maxima Alecto
Vipereis acuit ſtimulis, & ſuſcitat ultrò.
TEVTONIA infelix, quænám ignorantia rerũ
Inſedit populos, qui fallax implicat error?
Vnus homo, terræ ſoboles, ignotus & expes,
Haud noſtra de gente genus, recti impius hoſtis
Solertes animos, & ueri conſcia corda
Arte Paphlagonia ſuperet, fallatq; uenenis?
Ille quoq; & lites ſerat, & ferat arma per agros,
Accendatq; animos, & uerbis aggrauet iras?
Ille pij ſcripta, & diuina reperta PHILIPPI
Conſpergat cœno, & rebus ſua pondera tollat?
Eheu, nec requiem cineri concedat, & urnæ,
Theſſalico tumbam ſed fœdet carmine, & ipſos
Euocet ex imis maneſq; umbraſq; ſepulchris?
At tibi pro ſcelere, & pellacis fraude Sinonis
Dij, ſi qua eſt cœlo pietas, ſi cura bonorum,
Grates perſoluant meritas, & debita facto
Munera, qui cineres agitaſti uerbere, & urnam.
Vos ſacri interea manes, animæq; PHILIPPI,
Illyrici rabida ora lupi, horrendoſq; furores
Ætherei ridete oris: Lux ultima donec
Recludat ſecreta hominum, fraudeſq; ſub auras:
Diraq; uipereo ſontes accincta flagello

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000368

Tiſiphone premat, & plagis caſtiget acerbis.
Tum non quemq; ſui mens tantum conſcia facti
Arguet: at ſcelera, & fraudes, & callida furta,
Et cæcæ inſidiæ, & uerborum ſubdola texta
Fallaci inuolucri retegentur nube remota:
Tum Candor, tum Diua tenax Veriq; Pijq;
Illyrico iam inuiſa gregi, iamq; urbibus acta,
Sydereas cœli ſedes & lucida templa
Incolet: aßiduis purus concentibus aer
Quì reſonat, felixq; quies, & dia uoluptas
Deſuper affulgent: qua nectaris omnia rorant
Flumine, & ambroſios paſcuntur pectora ſuccos.

CALCVLI EX REINHOLDI ABACO DESVMPTI pars, cuius adiumento ſtudioſi typum defectus pingere, & uerum eius tempus cognoſcere poſſunt.

	Iæ	0	Id	IId
Semidia: Lunæ apparens,	0,	0,	17,	44.
Semidia: umbræ,	0,	0,	48,	51.
Aggregatum utriusq;,	0,	1,	6,	35.
Latitudo Lunæ Auſtralis & aſcendens ad initium defectus,	0,	0,	52,	39.
Ad medium,	0,	0,	26,	59.
Ad finem,	0,	0,	21,	21.

Digiti

Digiti ecliptici,	0,	13,	24,	0.
Scrup: incidentiæ,	0,	0,	45,	12.
Scrup: moræ dimidiæ,	0,	0,	16,	5.
Tempus incidentiæ,		1H,	1S,	11.
Tempus moræ dimidiæ,		0,	27,	49.
Tempus defectus dimidium,		1,	46,	0.
Totum,		3,	32,	0.
Initium ſub meridiano Viteberg:		14,	6,	22.
Medium,		15,	52,	22.
Finis.		16,	48,	22.

Poſt meridiem 2. die Martij.

DECANVS COLLEGII DOCENTIVM PHILOSOPHIam in Academia VVitebergenſi M. Matthæus Blochinger, omnibus eiuſdem Academiæ Doctoribus & Magiſtris. S. D.

HOdie Deo uolente hora poſt meridiem prima, in noto loco ſcholæ Medicorum, ueteri more Academiæ huius, producere incipiemus ad examinationem publicam eos, qui hoc tempore teſtimonium petunt à Collegio noſtro profectus ſui in ſtudijs bonarum artium & philoſophiæ, et hactenus priuatim auditi ſunt, Ad hanc ſolennitatem ueſtro ſtudio et fauore nobis opus eſt Cla. et Doctiß. Viri, Petimus igitur reuerenter & officioſe à ueſtra

ſtra dignitate præſtantia & humanitate, ut hoc biduo audire candidatos philoſophiæ noſtros, & quid profecerint, explorare interrogando & conferendo ne dedignemini neq; grauemini, quomodo nimirum gratiam rependent aliquam ſtudijs noſtris ij, qui ab his ad maioris dignitatis faſtigium aſcenderunt, qui uero in his adhuc uerſantur profeſſionem tali opera ſua ornabunt.

Intelligimus autem omnes & per ſe eſſe Reipublicæ utile, repetere quærendo & conferendo ſalutarem doctrinam Eccleſiæ Chriſti, & quæ huic ſeruiunt eruditionis ſtudia, & quantam neceſſitatem ueriuſq; operæ afferant nobis pericula horum temporum, ante oculos eſt, & nimis quidem. Nunquam etiam piorum & doctorum hominum inter ſe de pietatis et doctrinæ ſtudijs communicationes liberales, & diſputationes eruditæ, publici & priuati fructus expertes eſſe poſſunt aut ſolent: atq; ſemper hæ omnium bonarum rerum et artium, & incrementi harum, cauſſa fuerunt. Colamus itaq; et ornemus tam honeſtos atq; utiles rebus communibus congreſſus noſtros, quorum copiam hactenus nobis tam benignã concedit propicius Deus. Neq; in tam bona cauſſa, & ad ſapientes & doctos homines, uerboſiores nos eſſe decet, de quorum uirtute & doctrina non poteſt eſſe alia perſuaſio noſtra, quam unumquemq; ſua ſponte ad augendum & ornandum res noſtras collaturum à ſe, quæ poterit & debebit, omni tempore. Scholaſtici autem de exemplo eorum, qui iam ad examinationem publicam à nobis producuntur excitari ſe patiantur ad operam in ſtudijs pietatis & doctrinæ nauandam, atq; ut ornamenta uera ſibi concilient.

P. P. IIII. Non. Martij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

His literis publicis teſtatur ueniſſe ad nos uirum militarem, cui has dedimus, VVOLFIVM LANGERRVM *patria Mariæpergenſem ad ſudetes, ex ditione Illuſtriß. Principis noſtri, docuiſſeq; nos diplomatibus prelatis, præcipuorum uirorum, in aula Cæſareæ Maieſtatis, ſubſcriptionibus & ſigillis appreſis confirmatisq;, in quibus eſt & unum Viri fortiſſimi* LAZARI SVENDENSIS *equitis aurati ex ducibus militiæ noſtri temporis præcipui, quod ante annos ſeptem, id eſt, Anno Chriſti* M. D. LXI. *in arce* ZANDERAV, *quæ eſt in confinio Turcico in ſuperiore Pannonia, elocarit operam ſuam militiæ aduerſus Turcas, cumq; à præfecto eius arcis* GEORGIO BEBECO *una cum Sclopetarijs, quos duxerit, & præſidiarijs cæteris, contra hoſtes educerentur ad graſſandum, Tum igitur à Turcarum copijs circumuentos*

cum

cum fortißimè pugnarent, cœſos tamen & ſuperatos, & hunc Langerum *in illa pugna à Turcis captum fuiſſe et* CONSTANTINOPOLIN *abductum, atq; uinctum in triremibus inter remiges opus facere coactum, labore immani, per annos ſeptem continuos, et circumuehere claſſem hoſtium in Aſiam, Ægyptum, Græciam, Rhodum, Maltam, quæ Melite eſt, contráq; Chriſtianorum copias operam nauare oportuiſſe. Nuper autem ex Ianiſſaribus uno capto, hac occaſione dimiſſum eſſe ab hoſtibus ut obſidibus datis* BASSÆ *Budenſi promitteret, ſe aut duo millia Talerorum intra tres menſes confecturum atq; ſoluturum, quibus Ianiſſarus ille redimeretur, aut in captiuitatem atq; ſeruitutem ſuam Budam reuerſurum eſſe. His igitur conditionibus dimiſſum & à comitatu ſtrenui Viri* CHRISTOPHORI TEVFFENPACHENSIS *ad Maierhofum Turcicæ legationis Ambaſſatoris &c. in expetitas & optatas Chriſtianas terras reductum, neceſſe iam habere commendicando illam pecuniam colligere, cum in ipſius facultatibus, qui patrimonium nullum habeat, hoc minime ſit. Intercedunt autem pro ipſo omnes illi magni uiri & Domini, quorum literas publicas protulit, quibuſq; res huius Langeri notæ ſunt, et opera ante etiam illam pugnam, in qua captus fuit, in militia Chriſtiana nauata, & orant uniuerſi ut benignitate omnium à quibus aliquid corrogaturus eſt,*

adiuuetur. Sed cum hic idem hanc copiam concedi ſibi peteret, ut à noſtro etiam ordine Electoſynam colligere ei liceret, has ei literas publicas noſtras dedimus, ut conſtaret noſtris, & permittentibus nobis hoc fieri, & quæ cauſæ nobis afferentur cur hoc faceremus. Atq; precati & bonam gratiam noſtræ eum commendamus, cum uirorum fortium opera & ope in tantis periculis patriæ opus ſit, neq; ulla miſerior ſeruitus eſſe poſſit, quam eum apud immaniſſimas beluas Turcicas à noſtris ſeruitutem, & qui liberalitatem noſtram implorat in his terris natus ſit & educatus. In fidem ſigillum publicum Academiæ appreſſimus. Datæ VI. Martij. Anno Ieſu Chriſti M. D. LXIX.

DECANVS COLLEGII PROFESSORVM PHILOSOphiæ in Academia VVitebergenſi, M. Matthæus Blochinger.

INdicendus eſt dies ſolennis, qui ab antiquo conſecratur honori et ornamentis ſtudiorum philoſophiæ, cuiuſmodi ut notum eſt, duos per annum celebrare ſolet Academia noſtra ſtatos & ordinarios quoſdam, unum ſub Veris, alterum ſub Autumni initia, quibus renunciantur aliqui Magiſtri bonarum artium & Philoſophiæ.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000371

Etsi autem confidimus tam esse bonam existimationem omnium de studijs nostris, ut sua sponte quæ possunt & debent ad hæc ornanda & augenda conferant, in præsentia tamen quo magis hoc uelint & studeant, hoc tantum commonefaciendum putauimus, ut sua unusquisq; consideratione animo repetat, quantum earum artium, quæ philosophiæ nomine comprehenduntur, scientia & usu commodetur Ecclesiæ Christi, & societati atq; uitæ humanæ uniuersæ. Ornarunt Peripatetici Dialecticam honestißimo & uero Elogio, ut hanc quasi manum quandam in doctrinæ studijs appellarent, χὴ ὄργανον ὀργάνων. Sed quod de hac una, neq; præcipua quidem Philosophicarum artium dicitur, multo magis de tota philosophia uerum est, uerè enim ab hac animos ad omnis humanæ sapientiæ tractationes instrui exempla ostendunt, si conferantur eorũ operæ, qui hac rectè exculti in alijs studijs uersantur, cum cæterorum, qui sine hac ad negocia accedunt, neq; nunc quidem Ecclesiæ doctrinam hac carere posse, nostrorum etiam temporum miseria demonstrat, cum quantum homines indocti et semidocti in hac turbent, ante oculos sit. Semper autem Diabolus aliquorum uel inscitia, uel falsa sapientia, quæ & ipsa inscitia quædam est, aduersus ueritatem usus est, et quod præstigijs talium obruitur atq; euertitur doctrina & eruditione piorum retegi & instaurari oportet.

Cum

Cum igitur ad diem perendinum, qui est huius mensis decimus, & Æquinoctij Verni dies, de sententia & decreto Collegij nostri, more Academiarum, Magistri bonarum artiũ et Philosophiæ publicè renunciandi sint Quadraginta quinq; docti et honesti uiri et iuuenes, ij quorum nomina infrà scripta sunt, & qui hoc testimonium à schola nostra petunt, quorumq; in nostris studijs profectus hactenus priuata & publica examinatione eo modo eaq; fide, qua par est, exploratus est, Oramus & hortamur omnes tam scholasticos quam cæteros nostros, ut ad eam festiuitatem hora ante meridiem VIII. in schola maxima conueniant, & ea quæ dicentur & fient benignè placideq; cognoscant, optimisq; & honestißimis utilißimisq; studijs festum diem, eo modo, quo quisq; potest & debet, ornet & celebret.

P. P. VIII. Id: Martij.

IN SECVNDVM LIBRVM DE OFFICIIS Ciceronis.

SEcundum librum Ciceronis de officijs cras hora XII. explicare incipiemus. In hoc officia uitæ ea docentur, quorũ rationes ab utili sumuntur, cuius consideratio ab honesto est altera. Ex

bus enim duobus eorumq; comparatione & partibus ipsorum, officia nascuntur Stoicis, Sed de honesto Cicero explicauit superiore libro, de utili in hoc secundo: Etsi autem controuersia est inter Stoicos honestum ne ab utili separandum sit, atque ita unam rem utriusq; denotet, eam scilicet, quae alias solum bonum, laudabile, rectum appellatur: tamen si cõmunem usum uitæ sequamur ad præsentem doctrinam præsens de officijs accommodanda est, interesse inter illa multum quidem intelligitur.

Fuerit itaq; honestum id cuius natura capax est, uel actio uel habitus congruens cum recto iudicio rationis. Vtile uerò, quod naturæ conseruationem iuuat, sed secta Stoica à communi actione uitæ rem longius abduxit.

Vt autem honestum in natura sparsum & fusum Cicero ante demonstrauit, ita & hoc in libro utile: quod per quatuor partes illas honesti ducit ratione simili.

Ex omnibus rebus quæ sunt in natura utilitas maxima confertur ab hominibus ad homines, quos certis officijs modisq; est conciliandos, ut animi illorum & studia in sese conuertantur.

Horum igitur officiorum doctrina in hoc libro explicabitur, quæ cum ex caussarum earum inuestigatione dependeat, quibus causis hominum inter se ipsos beneuolentia, studiumq; excitatur, eo erit illa luculentior per se, & auditoribus, ut spero, iucun-

diior. Humanitatem enim hinc certe amare magis & colere discemus, cum inde nobis quæ ad uitam suppeditent, secundum Deum, sumenda esse certis præceptis officiorum doceamur.

M. Laurentius Collinus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Sæpè iam publicè propositis edictis prohibitum est, ne scholastici, intra aut extra oppidum cannis utantur, quæ ignitos globos eiaculantur, quas & tormenta & Sclopos, & nouo nomine cum sit res noua, bombardas uocant. Sed oblitii uel contemnentes etiam aliqui edictionum & commonefactionum de hac re propositarum, ante oppidum, & in siluis uicinis, uagari cum talibus machinis, ijsq; ibi uti dicuntur, de qua re cum retulerint ad nos ij, quibus siluarum curatio & oppidi custodia commissa est, et Illustriß. Principem, nullo modo sferi uelle in siluis præsertim, eiaculationes tales denuo significarint, ideoq; humaniter ad nos egerint, ut interdicendo et commonefaciendo apud scholasticos perficere studeremus, ne illustriß. Principis nostri nomine necessitas cuiquam afferretur in hos animaduertendi, hac de caussa uetera edicta in præsentia repetimus, & seuere omnibus iurisdictioni

dictioni nostræ subiectis interdicimus, ne ante oppidum aut in siluis suburbanas, et uicinæ huius ceteras, quisquam animi aut ullarum uenationum causa, cannas tales seu bombardas secum efferat, aut his ibi utatur. Machina hæc fœda est & extremi furoris mundi pars una euidens, neq; enim consentaneum est fore, ut ante finẽ huius alia excogitetur tetrior, neq; quietis aut pacis est, sed Martia prorsus, tristißimæq; necessitatis, atq; hac etiam de caussa minimè conueniens ordini scholastico, παράμεσον γὰρ ἄρχε, non tantum ἑορταῖς βροµίοις, sicut est in Tragœdia, sed multò magis pietatis & doctrinæ studijs.

Etsi autem hac etiam, & horum similium consideratione, abstinere ab usu huius nostros par fuerit, Multo tamen maior caussa nobis affertur à uoluntate et edicto Illustriß. Principis nostri, cui subiectißimam obedientiam debemus propter conscientiam, & dilectionem, propter beneficia, quæ in hanc Academiam benignißime confert, quibus communiter fruimur, omnes qui in hac scholastica communitate uiuimus, & ut spes est fruetur posteritas. His tamen omnibus qui non mouentur, & contumaciter bombardis, tonerèq; & sine caussa iuste, uti perrexerint, eos hoc scire uolumus, primum non defuturos, qui has eis eripient, quos si repugnando aduersus se ita irritabunt, ut grauius eis aliquid accidat, hoc nomine apud nos frustra quæ-

querentur. Deinde scholasticum etiam Magistratum nostrum peculiari pœna in eos, qui indicati fuerint, animaduersurum esse. Caueant igitur sibi uniuersi, & ferociores quidem periculi etiam sui et pœnæ consideratione, nam bonos sua sponte morigeros se præbituros non dubitamus.

P. P. VIII. Calend: Aprilis.

RATIONIS DICENDI STVDIOSIS. S. D.

INTER præcipua dona, quæ diuinitus generi humano contigerunt, linguarũ donum rectè numeramus, quod & Apostolis ac eorum discipulis singulari bonitate Dei attributum fuit, ut Euangelij doctrina citò propagari in multis gentib. posset, quarum non est una lingua, et ut hoc ipsum donum esset testimonium Spiritus sancti, & præsentiæ Dei in Ecclesia, et ut eo ipso, tanquam infallibili signo ostenderetur, etiam cæteras gentes ad societatẽ Euangelij uocandas esse. Quare ut reliquarum linguarum usum ob Dei beneficium extollimus atq; magnifacimus: Ita Romani purioris sermonis copiam summis Dei donis annumeremus, cuius cum usus præ reliquis linguis apud diuersas gentes crebrior sit, maiora etiã in propagatione doctrinarũ ac disciplinarũ commoda nobis præstat. Quantum.n. beneficium est in hominib. posse dilucido et perspicuo sermone, uerè, perspicuè et copiosè interpretari doctrinam cœlestem, et præcipua ueræ Ecclesiæ do-

gnata benedicendo & rectè docendo, contra ſycophantas, et recte dictorum deprauatores tueri ac defendere, omnes ſanæ mentis facilè intelligunt. Amemus itaq; & amplectamur artes, quæ dicendi iuſtam rationem præſcribunt et monſtrant, quibus ſtudia pietatis illuſtrantur ac propagantur, bonæ ſitas ipſa alitur ac conſeruatur, denique retinentur atq; augentur ciuilis uitæ commoda.

Vt autem dicendi rationis ſtudioſi alliceremtur ac inuitarentur ad amorem eius doctrinæ, quæ ingenia in dicendo informat, hactenus qua potuit fieri diligentia explicauimus communiſſima Rhetorices præcepta, quorum & uſum in aliquot orationum Ciceronis repetitione declarauimus, deinceps ex conſilio eorum quibus gubernatio Academiæ commiſſa eſt, è re et uſu diſcentium fore exiſtimo, ut diſcentibus proponantur eiuſmodi libelli, qui & præcepta complectuntur de tota dicendi ratione uberiora, & genus orationis continent, quod non minus quam orationes hucusq; expoſitæ, diſcentes ad imitandum inuitet, ut hac occaſione ſtudioſi & præcepta & uſum in illuſtri exemplo, in utiliſſimis ſtili exercitijs diſcant. Quod itaq; fauſtum & felix ſit, poſthac publicè interpretabor eruditiſſimos & ſuauiſſimos Dialogos Ciceronis, quibus dicendi Princeps confecit ſermonem de Eloquentia inter homines ſui temporis eloquentiſſimos & grauiſſimos habitum, et iiſdem omnem antiquorum &

& Ariſtotelicam & Iſocrateam rationem oratoriam complexus eſt. Decet autem dicendi rationis ſtudioſos eo maiori cura et animi intentione incumbere in horum librorum cognitionem & amorem, quod ſapientum teſtimonijs plurimis eſtendetur ſtudia literarum iniquitate temporum collapſa, & literarum ſplenderem, qui ante multos annos obſcuratus iacebat, tandem ex his libris Ciceronis reuiuiſcere & inſtaurari cœpiſſe, ut & Sabellicus in Dialogo de linguæ reparatione non obſcurè oſtendit. De horum librorum dignitate, qua non tantum omnibus oratorum ſcriptis, ſed ipſius quoq; Ciceronis præſtent nemo rectius iudicabit, quam ſi ipſum Cicerorem magnificè commendantem has ſuas lucubrationes audiat. His enim uerbis ad Leptam ſcribit: Oratorem meum tantopere à te probari, uehementer gaudeo, mihi quidem ſic perſuadeo, me quicquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contuliſſe, qui ſi eſt talis, qualem tibi uideri ſcribis, ego quoq; aliquid ſum, ſin alter, non recuſabo, quin quantum de illo libro tantum de mei iudicij fama detrahatur. Verè itaq; de Ciceronis Oratore pronunciare poſſumus cum dicendo alios ſuperarit oratores, quod hoc ſcripto ſeipſum uicerit, in quem tranſtulit, quicquid ingenij uiribus, indefeſſo ſtudio, & longo uſu percepperat. Neq; nos ab hoc ſtudio deterreant iniqua quorundam iudicia, qui à Cicerone diſſerunt deſcribi

oratorem, qualis nemo unquam fuit, hac enim ratione & physicum à suæ professionis studio auocare possemus, quòd rerum natura plenè cognosci non posßit, aut si quis Philosophiam ac studium sapientiæ improbet, quod nunquam ex ulli hominum ex omni parte concessa fuerit: potius Poetæ illud ad mediocrem discendi diligentiam nos excitet. Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra. Nunquam enim ingenia pulcerrimo laboris præmio fraudantur. Quare cum nullum extet de Rhetorica scriptum absolutius & perfectius tàm apud Græcos, quàm apud Latinos, in quo non tantum præcepta artis traduntur, sed iudicium fit de præceptis, & monstrantur fontes præceptorum, omni studio & contentione elaborẽt artis dicendi cupidi, ut horum librorum lectionem sibi familiarem reddant, ac barbarici, quæ in hoc studiorum genere ruinam minitatur, obuiam eant, & accurata diligentia eam ex nostro cœtu exterminent ac repellant. Horum librorum interpretationem post Lipsicum meretum quamprimum ex patria reuersus fuero Deo auxiliante, & laboribus nostris benedicente, instituam, quod eo maturius significo, ut me absente auditores exemplaria sibi comparent. Hanc breuem moram & intermissionem diligentia & assiduitate compensabo, & reuersus de initio prælectionis nostræ indicabo auditoribus, quorum pijs precibus meam & meorum in hac orbitate salutem com-

mendo. Bene et feliciter ualete. Ex meo Musæo VI. Calend. Aprilis. Anno 1569.

Albertus Lemeiger Hamburgensis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

De constitutione Illustrißimi Principis nostri &c, necesse habemus conuocare ad examinationem semestris hiberni, eos, qui excelsitatis ipsius benigniſsimis stipendijs in studijs pietatis & doctrinæ in hac schola educantur, Itaq; tempus indicendum publicè est, quo singuli in noto loco hac de causa conueniant.

Theologiæ discipulis præfinimus diem crastinum, hi aßint mane hora octaua.

Et pomeridianis horis deinceps literarum & Philosophiæ discipuli. Perendini autem diei hora matutina eadem, Iurisprudentiæ & Medicinæ studiosi se sistant.

Et pomeridianis eiusdem diei horis, quæ est dies Martis, ad horam duodecimam ij conueniant, qui stipendia habent, quæ ex testamentis beneficorum hominum à consilio publico Academiæ conferuntur scholasticis. Itemq; qui in æde arcis can-

cantiones administrant, & qui panem Eleemosynæ accipiunt, cum nostri officij sit ad horum etiam studia respicere. Singulos igitur indictis diebus & horis præsto esse, & tempus quo ad examinationem uocentur operiri atq; obire, ita ut unumquenq; facere par est, uolumus & mandamus. P. P. III. Non: Aprilis.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VT pendente in cruce filio Dei uictima pro peccatis nostris subitæ tenebræ contra naturæ ordinem fuerunt, sole medio die lucem amittente: Ita in hac mundi senecta tristes tenebræ ac confusiones sunt in magna parte generis humani: Quas intuentes coborrescamus animis, & regi nos luce uerbi cœlestis ardenter petamus ab eo, qui se lucem mundi nominat, & eam ob caussam assumsit naturam nostræ carnis, ut abolito peccato & morte in nobis restituat iusticiam, lucem, uitam & letiçiam æternam. Hæc cogitare nos, cum in omni uita, tum hoc potissimum tempore decet, quo filius Dei agonem inenarrabilem sustinuit, prostratus coram æterno patre, & sudans sanguinem pre magnitudine dolorum, quos ei conspectus ire patrum aduersus omnium hominum peccata in suderis

derunta attulit: Perinde ac si ipse polluisset se meis, tuis, omniumq; sceleribus. Deinde quod cernere maximam partem generis humani periturum esse, spreto hoc ipsius numero beneficio ab iis, qui uel palam ethnici sunt, & filij Dei doctrinam & mortem rident, sicut tunc impij Iudæi facere ipsis iudebant: Vel prætextu Euangelij frenos laxent omnibus cupiditatibus. Commonefaciant uero nos de beneficijs Mediatoris & quotidianæ ærumnæ & impendentes pœnæ: Vt quæramus opitulatorem, qui opem ferat inuocantibus ipsum. Cumq; heri sub occasum solis placidè ex hac uita decesserit ingeniosus & modestus adolescens GEORGIVS BAVMANNVS in oppidulo Francie Plouelden natus, & ardente febre continua abreptus, in extremo egone testatus sit fidei suæ sensillum et pectus ardens desiderio consuetudinis cœlestis, non dubitamus ipsum quoq; ex numero eorum esse, de quibus scriptum est: Beati mortui qui in domino moriuntur.

Hortamur igitur scholasticos nostros, ut ad funeris pias ceremonias hodie hora III. in platea Consulum ad ædes Reuerendi D. Pastoris conueniant, & ibi de causis infirmitatis humanæ tum de auxilio cogitent illius, qui est semen promissum patribus, ut conculcet caput serpentis, et pro nobis ardentissime precatus est: Pater, sit dilectio tua in eis, qua me diligis, & ego in eis.

P. P. VIII. Aprilis.

QVE-

QVERELA FILII DEI ET MEMBRORVM eius, ex dicto Psalmi 22.

Ego autem sum Vermis, & non Homo.

NON homo, sed uermis uideor, cui Purpura nomen,
Illita de cuius sanguine lana rubet.
Sic tu nate DEI quereris, cum crimine nostro
Squallidus, & multo sanguine sparsus eras.
Quid miser ipse querar, proprio qui crimine foedus
Ante homines iaceo uermis, et ante DEVM?
Aspice quàm tristi moriens me torqueo flexu,
Quàm tremulo pulsu tabida fibra micat?
O amor, ô pietas cœli, Nam nulla per Orbem est,
Quæ uelit ærumnis æqua uenire meis:
Tu me Christe iuua, Et Vermis ne desere uermem,
Sed uiuum uiuo sanguine redde tuo.

Iohannes Maior Ioach. D.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS,

APpetit denuò dies gloriosæ resurrectionis Domini nostri Iesu Christi: Hunc cum læta celebret Ecclesia uniuersa, quæ toto passim orbe dispersa est, cùm propter alia ingentia Dei beneficia

cia, hoc die generi humano diuersis temporib. exhibita, tùm propter hoc præcipuum opus ac testimonium, quo Filius Dei testatus est, in quem finem ipse naturam humanã assumpserit, quibusq; de causis uictima factus sit, His scilicet, ut ostenderet nos sibi curæ esse, & à se nos ac miseram & morti subiectam massam nostram gestari et uiuificari, tanquam surculos suo corpori insertos: A se item reparari ac reduci nos ad uitam, lætitiam & gloriam æternam, deleto peccato & morte absorpta. Hoc ergo dulce testimonium, cum celebret hoc die Ecclesia, nos uota nostra cum pijs omnibus ubiq; locorum coniungamus, & ad considerationem ac celebrationem operis huius humanis cogitationibus inexhausti, animos flectamus. Quod ita demum piè faciemus, si hisce diebus maiore studio doctrinam de persona & beneficijs Filij Dei, ex monumentis sacris repetemus ac meditabimur, adferentes simul mentes ad cogitationem compositas, & uota ac gratiarum actionem pro his beneficijs, & nominatim pro restituta & conseruata luce doctrinæ miscentes. Quam ad rem non solum beneficiorum & gloriæ dulcedo atq; immensitas, quæ olim in hoc festo à Filio Dei ostensa est, nos excitare: Sed planè cogere debet periculorum et confusionum tristissimarum, quæ in conspectu sunt, magnitudo et horribilis Ecclesiæ laceræ, ac domesticis et externis uulneribus cruentæ deformitas. Profecto enim illa iam tempora instant

instant, quæ ostentis tristißimis tum significauit DEVS, *cum moriente in cruce Filio, Sol medio die lucem amisit, et terra ac scopuli quassati contremuerunt. Regnant tenebræ horrendæ maxima parte orbis humani, in qua à furore Mahometico Ecclesiæ olim florentißimæ funditus deletæ sunt. In ea uerò parte, quæ nomen orbis Christiani adhuc habet, quantum est horribilium tenebrarũ & idolorum, quæ ab impijs regibus ac pontificibus, bellorũ, persecutionum, & suppliciorum inaudita crudelitate stabiliuntur ac confirmantur? Sed omnium tristißimum est, quod dum passim aduersus Ecclesiam, et rectè sentientes sæuicia horrẽda exercetur, hæ ipsæ reliquiæ, quæ uocẽ Euangelij de beneficijs Filij Dei, & de uera inuocatione retinent ac sonant, paulatim magis magisq; lacerantur ac deformantur, et in intimos Ecclesiæ sinus quod reducũtur, ab orco et inferis usq; reuocatæ blasphemiæ hæreticorum ueterũ Ebionis, Cerinthi, Valentini, Marcionis, Manichæorum, Samosateni, Sabellij, Arrij, Eunomij, Nestorij, Eutychis, & similium, Quin inter eos etiam, qui ab his blasphemijs se alienos esse, & seriò abhorrere testantur, tristißima laniena est, & quorundam quasi Gigantomachia, Deo et ueritati bellum horribile impudenter inferens.*

Hæc tristißima spectacula intuentes & cogitantes, non cohorrescamus tantũ toto pectore, quod quidem necesse est pias mentes facere, sed eo ipso animos

animos studio acriore aduersus hos furores muniamus & obfirmemus. Ac ut firmior sit cogitatio, nec languescat certaminum præsentium se[illegible] quasi fracta & elisa, personam ipsam Medi[illegible] rectè discamus agnoscere, & totam de natu[illegible] doctrinam intimis cordium penetralibus imp[illegible] mus, assumptis ad cætera de his testimonijs et[illegible] quæ in Festi præsentis historia recitantur. Ecclesia enim Orthodoxa omnium temporum [illegible] firmamus & credimus, esse Filium Dei dom[illegible] nostrum Iesum Christum, perfectum in diuin[illegible] et eundem perfectum in humanitate, uerum [illegible] & uerum hominem, eundem ex rationali an[illegible] & corpore humano, ὁμοούσιον Patri secundum diuinitatem, Minorem Patre secundũ humanitatem & tamen secundum hanc ὁμοούσιον nobis per omnia nobis similem peccato excepto: Ante secula genitum ex Patre secundum diuinitatem: Nouißimis uero diebus propter nos, & propter salutem nostram ex MARIA *uirgine τῆς θεοτόκου secundum humanitatem natum, unum & eundem Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse inconuertibiliter, indiuulsè & inseparabiliter atq; indistanter manifestatum, Haud quaquam differentia naturarũ propter unitatem sublata, sed magis utriusq; naturæ, personaliter unitæ, proprietate seruata, sicut Prophetæ, ipse Dei filius, Apostoli et totius orthodoxæ*

Ecclesiæ consensus docent. Quod uero hoc modo de Domino nostro Iesu Christo affirmamus, id in passione etiam, & morte eius, & maximè in resuscitatione gloriosa, manifestissime monstrari & quasi subijci oculis cogitemus. Naturæ enim ueritas in passione, & præcipuè in agone tristissimo, cuius magnitudine guttæ cruentæ toto corpore expressæ excidunt: In laceratione denique & morte corporis, ostenditur. Ea, ut sic loquamur, demonstratione refutantur deliria et blasphemiæ Marcionis, Manichæorum, & similium fanaticorum, qui non reuera, sed δοκήσει, καὶ φαντασίᾳ Christum hominem fuisse contenderunt, eumq; per omnia nobis similem esse negarunt. Ostenditur eiusdem naturæ ueritas & in resurrectione multis argumentis. Nam Christus resuscitatus, ea etiam de causa toties se ostendit, et non cernendum tantum, sed palpandum & contrectandum præbet: Monstrat cicatrices uulnerum, quæ in passione acceperat: Monstrat clauorũ uestigia, quibus manus ac pedes transfixi fuerant. Demiq; σὺν αὐτοῖς ὁμοῦ & cum Apostolis totos dies quadraginta, comitante eum ingenti sanctorum simul resuscitatorum agmine, non mentes tantum sed oculos Apostolorum confirmat, ut credant massam à se assumptam, non φάντασμα aut spectrum fugax fuisse & esse: neq; euanuisse in morte corpus eius, sed reuera adhuc massam esse naturæ humanæ assumtam.

Mon-

Monstratur nihilo obscurioribus testimonijs, & diuinæ naturæ ueritas in utroq; opere. Etsi enim in passione & morte quieuit illa, non exerens uires suas in depellenda passione & morte, et agit quasdam de Sabbatũ, ut pati et mori, et uictima fieri massa assumta possit: Emicat tamen & ipsa in eo, quod assumtam naturam in agone difficilimo omnes uires humanas superante, sustentat, gestat & seruat, ut oneri sustinendo par esset, absq; quo si fuisset, penitus illa extincta, & in nihilum redacta fuisset. Sed fulgorem omnem in ipsa resurrectione effundit, ubi corpus ab omni corruptione liberum ex morte in uitam & lucem æternam reuocat ac reducit, ac socijs etiam resurrectionis, Sanctis plurimis eo pene priora uirtute ac ui eiusdem diuinæ suæ omnipotentiæ restituit. Hoc testimonium, Ignatium in Epistola ad Smyrnæos hisce uerbis: ἐγὼ δὲ καὶ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν αὐτοῦ οἶδα καὶ πιστεύω ὄντα, legimus oppositum esse furoribus eorũ, qui naturã alteram scelerata impietate negabant ac tollebant. Ita in præsentium certaminũ, et subinde latius serpentiũ blasphemiarum ululatibus opponamus idem testimoniũ utriq; blasphemiæ, qua et diuinæ et humanæ naturæ ueritas oppugnatur, aut discrimen naturarum sublatis aut confusis utrarumq; proprietatibus tollitur, & prodigiosa harum confusio statuitur.

Meminerimus ac cogitemus non de ueritate tantum, ſed & de diſtinctione illarum naturarum teſtimonia paſſim recitata: Sed hæc præcipuè, quæ paulò ante commemorauimus, Quod palpari et contrectari ſe, quod cicatrices et ueſtigia uulnerum obſeruari & aſpici Dominus iubet, addens expreſsè propria hæc eſſe, non ſpiritualis aut incorporeæ ſubſtantiæ, qualis diuina eius natura eſt: Sed tantum corporeæ & ſenſibus expoſitæ maſſæ. In hac ergo ſolum paſſum, & laceratum, & mortuum eſſe Chriſtum credamus, Et execremur toto pectore eos, qui contra totius antiquitatis Orthodoxæ conſenſum etiam diuinam eius naturam paſſioni & morti obnoxiam fuiſſe furenter contendunt. De utraq; ergo natura propoſita in Chriſti paſſione teſtimonia colligamus & intueamur. Cogitemus ideò utriuſq; naturæ ueritatem & integritatem neceſſariò tenendam ac intelligendam eſſe in Mediatore, Quia ab his ſalutis noſtræ ratio tota dependet. De diuina natura cogitemus, ab huius infinitate & abundantia pleniſſima tanquã fonte uberrimo profluere beneficia & bona Chriſti omnia. Noſtram uero naturam ſciamus totam & integram aſſumenti ideo unitam eſſe, ut tota ſeruaretur, ut erudite & piè hac de re dixit Antiquitas: ὅλον ὅλῳ ἀνέλαβε με, ἡ ὅλῳ ὅλῳ ἠνώθη, ἵνα ὅλῳ τῷ σωτηρίαν χαρίσηται. τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτόν. *Totus totum aſſumſit me, & totus toti unitus eſt, ut toti ſalutem largiretur. Quod enim aſſumtum non fuit incurabile eſt. Et hoc ipſum quod de ſanatione & reſtitutione hac noſtra credimus ac ſperamus, cogitemus in reſuſcitatione Domini & conuerſatione tot dierũ, tot colloquijs et complexib. ſanctorũ monſtratum et confirmatũ eſſe. Sciamus tũ temporis initia æternæ & dulcis illius uitæ inchoata, et clarè ac ſine ullis inuolucris oſtenſa eſſe, in qua erit ſapientia & lux & iuſticia noua ſine peccato & ſine morte. Simul et hoc cogitemus, iam in hac uita inter nos eum regnare & efficacem eſſe uoce Euangelij, Non exiſtimemus nunc otioſum eſſe, et tantum poſt hanc uitam ſuis quibuſdam ſeu amicis ſeu ſodalibus benefacere, Imo nunc eum non dubitemus ſtare in conſpectu Patris, & intercedere pro nobis omnibus. Et ſimul nobis adeſſe, & colligere & ſeruare æternam Eccleſiam, & nos ceu manibus ſuis incluſos geſtare & protegere, ſicut inquit: Nemo rapiet oues meas de manibus meis. Item, Ero uobiſcum uſq; ad conſumationem ſeculi. Et hæc tanta bona cum uoce Euangelij tribuat hominibus, & non aliter, cogitemus, ad hoc miniſterium deduci & alligari nos, & noſtrum eſſe, ut & audiamus miniſterium, & hoc quibuſcunq; poſſumus modis ornemus & ueneremur. Vt igitur & noſtra aliqua erga miniſterium reuerentiæ ſignificatio extet, Hortamur omnes auditores omnium doctrinarum in Academia, ut & munus*

ad Aram usitato Ecclesiæ huius more offerant, & Filio Dei clementer tribuenti nobis aliqua Halcyonia inter tantos Diabolorum & mundi furores, ardenter gratias agant, & petant, ut deinceps etiam nos seruet, regat, doceat ac protegat.

In Paschate Anni M. D. LXIX.

STVDIOSIS SALVTEM.

Posteaquam, Dei beneficio, mediocriter ex morbo, qui me per aliquot dies à lectionibus publicis & priuatis impediuit, conualui: reuertar Deo adiutore ad operas meas consuetas, ad proximum diem Mercurij. Ac deinceps tres horas singulis septimanis tribuam prælectioni Dialectices, ut progressus sit celerior. Reliquis duabus horis die Lunæ & Martis pergam in Actis, quæ historiam Apostolorum describunt. Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum oro, ut ualetudinem nostram confirmet, & docentium ac discentium laboribus benedicat. Bene ualete.

In ferijs Paschatos.

Christophorus Pezelius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

Dvlcissima consolatio piis parentibus est proposita in dicto Christi: Sinite paruulos ad me uenire, quia talium est regnum cœlorum. Adfirmat filius Dei qui est ueritas, per baptismum & piam precationem inserros Ecclesiæ, esse hæredes æternæ uitæ, ac in complexu Dei gestari, protegi, & seruari inter omnia pericula & casus, quibus hæc tenera ætas obnoxia est propter peccatum hærens in carne nostra.

Vt igitur Christus uisibili specie humana in terris obambulans insigni gestu & oratione suum amoris sui erga infantes declarauit, cum ad se allatos suauissimè complexus est, et impositis manibus efficacem et salutarem benedictionem eis impertiit: Ita non dubitemus omnibus temporibus ex hac etiam languida et tenella ætate infantulorum Deum sibi excerpere Ecclesiam, celebraturam ipsum una cum adultis & beatis angelis in omnem æternitatem: Eaq; spe & consolatione se sustentent parentes orbati filiolis recens editis, quos breui post rursus complectentur in consuetudine cœlesti, quemadmodum de his scriptum est: Angeli eorum assiduè uident faciem patris, qui in cœlis est.

Cum autem heri decesserit infantulus nondum trimestris, morbo ei ætati familiari consumptus, filius Doctissimi Viri Magistri MARTINI

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000382

HENRICI Saganenſis, non dubitamus ipſum etiam in magno luctu eſſe. Sed ſuſtentet ſe cogitatione dicti: Non eſt voluntas patris vt pereat vnus de paruulis iſtis. Nos uero ut ſocietatem doloris noſtri oſtendamus uiro optimo, cuius labores iam utiliter ſeruiunt diſcentium ſtudijs, hortamur ſcholaſticos, ut ad funeris ceremonias hodie ante ædes ipſius, Hora XII. conueniant, ibiq; ſinguli & ſuam uitam & patriam, mœſtamq; hoc tempore Eccleſiam Deo ardentibus precibus commendent. P. P. Die XXIII. April.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

VErſatus eſt nobiſcum in hac communitate ſcholaſtica Academiæ noſtræ in ſtudijs pietatis & literarum, per annos octo continuos, iuuenis honeſtus ex uicino oppido Delicio, ABRAHAMVS NAVVVERCK, neq; indignum aliquid tempore hoc quo in ſchola publica uixit in his ſtudijs ſuis conſecutus fuiſſe dicitur. Hic igitur ſuperioribus menſibus in morbum incidit, quem exiſtimant aliqui de animi dolore atq; ægritudine, quam negocia & curæ certæ ei commouerint, uel extitiſſe uel auctum eſſe, deſijt autem in febrim hecticam, qua conſumtus heri piè mortuus eſt, & ſepe-

ſepelietur hodie hora XII. Itaq; hortamur ſcholaſticos, ut funus demortui cohoneſtent deductione ſua, cum hoc officium & pietas Chriſtiana, & ordinis atq; ſtudiorum communitas ab ipſis poſtulet, uel potius flagitet. Adoleſcentia eſt quaſi pelagus, ex quo pauci enatant incolumes, & in quo plurimi percunt, neq; enim alia pars ætatis eſt periculoſior, augentq; periculum morum & diſciplinæ diſſolutio, uitæq; licentia, aduerſus hæc non eſt aliud præſidium, quam inuocatio fidelis & aſſiduæ auxilij à Deo qui gubernet uitam noſtram & ut pareatur ijs quos unicuiq; benignitas huius magiſtros & doctores uitæ atq; præceptores bonos procurat & conciliat. Ad alterum quod attinet ſcriptum eſt: Iacta curam tuam in Dominum, Quæ in præſentia, dum hoc funus indicimus, noſtris ad commentandum proponenda eſſe iudicauimus.

Efferetur autem ex hac uicinia ædium ſcholaſticarum, ubi indicato tempore ij, qui hoc deductu riſunt, conuenire poterunt & debebunt.

P. P. IX. Cal: Maij.

IN TERTIVM LIBRVM DE OFFICIIS.

TErtium librum de officijs cras incipiemus explicare. In hoc eæ actiones uitæ docentur, quarum rationes ex honeſti & utilis comparatione

ducuntur. Hæc consideratio in uita necessaria est: in qua cum diuersa negocia offerantur frequenter fit, ut honestas & utilitas inter se pugnent, nec; facile pateat utra in his sumenda sit quam tuto consectari possimus. Verbi caussa: Naufragus in mari se potest seruare erepta tabula alieni. Vtile est tueri uitam suam, honestum non spoliare bono uicinum. In hoc igitur et similibus, cum officiũ exquiritur, hoc est, quid faciendum sit secundum rationem, nimirum proponenda præcepta, quæ regant actiones.

Ad hanc igitur rem peculiariter compositus hic liber est. Neq; uerò in formandis solum moribus utilitas huius doctrinæ perspicietur, quæ sanè per se ampla est, uerumetiam & naturæ leges, & rationes quædam legum ciuilium in ea explicantur: idq; ut intelligant auditores, in explicatione diligens operam nauare studebimus.

M. Laurentius Collinus.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HEri ex hac mortali uita decessit in pia inuocatione Filij Dei Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis et resuscitati Vir honestus, ciuis et senator huius oppidi, BARTOLOMÆVS VO-

GELIVS, qui nostro ordini scholastico multis annis profuit, eo quod librorum nobis aliunde aduectorum copiam suppeditauit: Et initio una cũ aliis scriptorũ Reuerendi Doctoris MARTINI LVTHERI *editionem suis sumptibus admisit. Ei funus hodie fiet hora XII. Ad quod ut studiosi nostri frequentes conueniant, eos hortamur, non solum, ut appareat nos amare coniunctionem cũ honestissimo ordine senatorum in hac urbe, quæ nobis hospitium præbet, sed etiam ut nos ipsos commonefaciamus de aliis ingentibus miserijs humanis, & de caussa mortis ac miseriarum, quæ non est priuatio Aristotelica, sed peccatum, quod omnes in natura nostra circumferimus: Et ut simul cogitemus de remedijs tantorum malorum, & de restitutione iusticiæ & uitæ æternæ, et de resuscitatione nostrorum corporum, De quibus rebus omnibus ut ardentiorẽ cogitationem suscipiamus, hoc ipsum tempus, quo in Ecclesia celebratur memoria resurrectionis filij Dei ex morte, nos uniuersos ac singulos monere debet. Ideo .n. dies totos 40 filius Dei post resuscitationẽ suam, in terris manere uoluit nõ modo ut certis atq; indubitatis argumentis demõstraret se uerè reuixisse ex morte, sed etiã ut spem immortalitatis nostræ confirmaret & gustum quendam præberet discipulis suis æternorum bonorum, quæ resurrectione ipsius parta sunt. Simus igitur diligentes in quotidianis cogitationibus de malis & remedijs malo-*

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000384

malorum, quæ ſunt in genere humano, miſceamus pia uota, & Deo gratias agamus, qui dedit nobis uictoriam aduerſus peccatum & mortem per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Quem orate ut faciat nos participes reſurrectionis ſanctorum ſuorum.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

HEſterni dici hora pomeridiana quarta confecto uitæ curſu ex hac à Deo euocatus eſt Vir honeſtus BALTHASAR BEIERVS natus Boleslauij in Sileſia, qui illuſtriſſimis Electoribus Saxoniæ MAVRICIO & AVGVSTO &c. opera ſua inſeruijt per annos fermè triginta continuos, alias quidem alijs in rebus, ſed maxima ex parte in curanda cella uinaria horum, quam curationem adminiſtrauit per aliquot annos in præfectura Lipſica, et inde huc translatus in hac præfectura annos quinq; curauit, & moribus & uita ſtudia atq; amicitias tàm ex ciuibus quam noſtris multorum ſibi conciliauit. Epatis autem morbo laborans cum longo iam tempore corpus eſſet νόσε ϱοφ, unam tantum diem decubuit, pridianam. curationis ſuæ munera gnauiter, ut ſemper, obiens, atq; ita ut rectè ualere credi poſſet, poſtridiana mori cœpit, et die tertia uita extincta deceſſit, hoc autem toto

toto tempore ad ſacerdotem, qui ei affuit, & amicos & familiam, eiuſmodi ſermonibus uſus eſt, qui pietatem eius & fidem in filium Dei demonſtrarent, cui & ardentibus precibus ſe uſq; ad extremum commendauit.

Sepelietur autem hodie Hora IIII. Cumq; ſuperſtes familia petat à nobis, ut ſcholaſticos ad funeris deductionem mittamus, nos noſtro loco quod debemus ei qui ex Illuſtriſſ. Principis noſtri miniſtris fuit, & honeſtè uixit, & piè mortuus eſt, præſtamus, & confidimus ſuo etiam loco unumquemq; idem facturum, inprimis eos, qui populares ſunt demortui, idq; ut faciant uniuerſos etiam hortamur.

P. P. IIII. Calend. Maij.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBERGENSIS.

EX præcipuis donis quæ Deus confert Eccleſiæ ſuæ, eſt piarum ſcholarum conſtitutio atq; conſeruatio, Harum enim opera nunc quidem præcipuè utitur ad ueritatis cœleſtis conſeruationem atq; propagationem, ut genus humanum de Deo & uero cultu atq; uoluntate eius rectè doceatur, & ſalutem conſequantur qui ei credunt & quod poſtulat præſtant. Quam doctrinam ueritatis diuinæ etſi interdum humanarum etiam literarum

doctrina

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000385

doctrina instructi aliqui corrumpunt & depra-uant, inprimis tamen his non perculti, neq; recte docti aut instituti, atq; ut sic dicamus, dimidiata quadam doctrina præditi, id est, semidocti aliqui hoc faciunt, quod est aliquanto & multo quidem quam illiteratorum genus nocentius, cum ab utrisq; maximum periculum sit Ecclesiæ, uel potius non possint non grauissimè tam Ecclesiæ quam Reipublicæ nocere, si ad publica in his munera admittantur. In qua parte nostrorum temporum miseria & calamitas ante oculos est. Aliqui profanis & blasphemis disputationibus detrahunt filio Dei diuinitatem, alij humanam in ipso naturam euertunt, ut si neutram sit nihil sit, cum nisi utrumq; sit & Deus & homo uerus, nulla possit esse salus nostra. Alij à nobis egressi, quod recte apud nos didicerunt, id abiciunt & produnt, & nouam doctrinæ genus comminiscuntur & contra scholas & Ecclesias nostras coniurant.

Pontificij autem ueritati opponunt salutare Iesu nomen infamantes Iesuitas, quos nisi puderet Christianos esse & appellari, nouum sibi nomen non fingerent. Inter hæc Respublicas etiam lacerari necesse est, & quam multi sanguinis profusione ueritatis professionem tuetur Gallia? De nostra Germania quid paulo post futurum sit Deus nouit, & afferuntur metus causæ plurimæ et certissimæ, sed spei bonæ non item. Oramus igitur filium Dei ut

ut in tantis malis & miserijs & multo maiorum impendentibus periculis ipse nos protegat & defendat, & ueritatem suam eiq; seruientia piarum scholarum studia conseruet, inter quas cum nostræ etiam Academiæ opera, Christo gratia, spectata sit, tanto magis hanc ei commendemus precibus nostris quo atrocius & maledictis & oppugnationibus multorum petitur, Et ut hæc etiam noui Rectoris creatio rei scholasticæ nostræ, ueritati, & pietatis doctrinæq; studijs, & Reipublicæ uniuersæ fausta sit & felix, & talis aliquis communibus sententijs Rector ut constituatur, qui rei scholasticæ operam nauare præclarissime possit, id quod nos etiam nostro loco Deum oramus, & futurum esse confidimus.

Huius igitur renunciationem etiam uniuersi placidè expectent, neq; antequam fiat discedant, ita & quod nos decet, & quod scholæ nostræ honorificum sit præstabitis.

P. P. Pridie Calend. Maij.

RENVNCIATIO RECTORIS NOVI.

Scitis adolescentes constitutũ esse, ut hi congressus, in quibus sit Magistratus nostri publica renun-

renunciatio, cum quadam solennitate celebrentur, non ut olim spectacula Circensia aut ludi theatrorum, uoluptatis aut pompæ causa, sed ut occasio sit inuocandi Deum communibus uotis, & uos de officio uestro commonefaciendi. Adferre uos ergo huc decet animos non profanos, sed de gubernatione Ecclesiæ, de causis cur doctrina patefacta sit, de periculis publicis, deq; iuuanda defensione ac propagatione doctrinæ, aduersus hæreticorum ululatus, & rabiem sophistarum cogitantes, & gemitibus ex intimo pectore emissis ad Deum suspirantes, ut lucem ueritatis suæ tueatur, & studia nostra regat ac defendat. Seu ad Ortum flectas oculos, seu ad Occasum, Seu ad Boream te uertas seu ad Austrum, periculorum ingentium plena occurrunt omnia, quæ indies propius ad nos accedunt.

Ad Eurum Turci, nullis ligati inducianum nexibus aut legibus, assiduò progressu impijs & blasphemis armis: Arriani nuper ibidem Italico sanguine nati, blasphemis opinionibus uastant Ecclesias & politias. A septentrione Rossi imminent, quos hactenus fragilia regni Polonici repagula aliquantulum sunt remorata, ne in has terras protinus erumperent. Nec inter Arctoos reges pax firma coaluit. Ad Occasum & Austrum, in Italia, Hispania, Gallia & Belgico exarsit sæuitia regum aduersus ueræ doctrinæ professionem, quæ nostris exas-

asperata dissidijs, instructaq; armis, immanibus suppliciorum & crudelitatis exemplis funditus delere Ecclesias recte sentientes conatur.

A desertoribus uero congregationis nostræ facta à nobis secessio diuellit Ecclesias nostras. Conditur ab ijs templum Samaritanum contra nostrum Hierosolymitanum. Excogitatur nouum doctrinæ genus, nostro, imo æternæ ueritati filij Dei, traditæ in scriptis Propheticis & Apostolicis, quam nostra doctrina repetit ac sonat, aduersum, ut olim fiebat in populo Dei, auulsis decẽ tribubus à tribu Iuda. Distrahuntur uoluntates hominum, & in dubitationem de certitudine doctrinæ passim plurimi adducuntur. Itaq; nisi Deus ipse reliquias Ecclesiæ suæ & seruaret & defenderet, noticia filij Dei in terris penitus extingueretur.

Hæc ingentia mala, ut cogitetis adolescentes propter Deum & propter salutem animarum uestrarum, uos obsecro & obtestor. Agite gratias Deo, quod lucem doctrinæ nobis accendit & impertit, et uota facite, ut studia doctrinæ salutaris non sinat extingui, ut tribuat testimonium huic patefactæ nobis doctrinæ, quam tot annis sonamus, ut propter miseram posteritatem declaret suum de ea iudicium, illustribus documẽtis aduersus calumnias & mendacia, contumaciter ac superbè resistentium & contradicentium agnitæ, confessæ ac defensæ ueritati & Spiritui sancto. Deinde ope-

ram date, ut hanc doctrinam rectè & integre discatis, & uera huius fundamenta uobiscum ex hac Academia, ad Ecclesias Politias & scholas ut adseratis, nimirum muniti ut sitis aduersus eas præstigias, quibus luci cœlesti caligo offunditur.

Mecum ergo hæc uota ad Deum fundite, & ea assiduè uobiscum repetite.

Christe tuum defende gregem causamq; tuere,
Obscuret lucem ne Sycophanta tuam.
Neue pios cœtus laceret uastetue Tyrannus
Huius & Idolis ne tribuatur honos.
Ostendas Satanæ, cunctis Satanæq; ministris,
Siue gerant gladio prælia siue stilo,
Quod caput & custos sancti sis agminis, audet
Impauida tua quod uerba sonare fide.
Dogmata quod tua sint hæc quæ profitemur, ab ore
Hausta tuo fac ut secla futura canant.
Et male seductos falsis clamoribus ad te
Conuerte, inq; unum collige ouile pios.
Parce pio generi, & propius res aspice nostras
Causa tua est, causam Christe tuere tuam.

Hæc si uota corde humili & contrito, & tremente sermones diuinos conciperentur, & non fictis gemitibus assiduè ederentur, impetrarent haud dubie depulsionem earum tempestatum, quæ indubitatis ingentis iræ Dei argumentis hactenus denunciatæ

denunciatæ, paulatim ad nos propius aduoluuntur, & mutationem fatalem Europæ horrendis religionum & imperiorum confusionibus minitantur.

Habitaturum enim sese Deus promisit, cum spiritu humili & corde pœnitente, ac suspirante ad Deum, pro remissione peccatorum & pro scintilla ueræ fidei, & auxilio Spiritus sancti, contra infirmitatem naturæ nostræ, & Diaboli insidias.

Talis autem Spiritus, quomodo in ijs erit, qui furenter ruunt in flagitia & scelera, qui cœcitate aut ascita contumacia sponte sibi furores acciuerunt, & his indulgent, quod nonnulli ex nostris scholasticis faciunt.

Sciant hi itaq; uicissim, si perseuerent in hac feritate animorum ac morum, se à Deo abiectos, à sanctis angelis desertos, à societate sancti agminis diuina uoce exclusos esse, & si forte casibus opprimantur subitis, nullo suppetente spacio ad resipiscendum, se abijci in pœnas æternas. Hæc ingentia pericula reuocent uos ad modestiam, & ad precandi studium. Non repugnate Spiritui sancto, non obstruite aures nostras, cum hæ conciones proponuntur, nec uidete aut contemnite paternas commonefactiones nostras. Sed errata agnoscite ac deplorate uestra, orate ueniam, cauete occasiones lapsuum contra conscientiam, & regi atq; custodiri uos petite à filio Dei Domino nostro Iesu

Christo, qui in hoc apparuit, ut destruat opera diaboli. Inprimis ebrietatem fugite, quæ non tantum auulsos uos à Deo, sed & mente ac ratione exutos, ac bestijs adæquatos extrudit ad omne scelerum & flagitiorum genus, indeq; in præsens sæpe exitium præcipitat. Et eo quidem maiore cura & studio fugite ebrietatem, ut sitis alacriores & excitatiores ad precandum. Stupet enim mens obruta uino, nec ullos pietatis sensus admittit, ut corpus stupet attonito morbo affectum.

Hæc de periculis publicis, & de officio uestro postquam monui, nunc significo uobis, cunctis suffragijs creatum esse Rectorem Academiæ in æstiuum semestre, Inclytum & Generosum Dominum, Dominum Bohuslaum Ioachimum Baronem ab Hassenstein. Prorectorem uero huic adiunctum esse Virum Reuerendum, Dominum Paulum Crellium Sacræ Theologiæ Doctorem & Professorem. Hunc Magistratum uobis nostrũ sisto hoc loco, atq; ea qua par est, et fieri decet reuerentia commendo, præcipens autoritate diuina & humana, quæ tradita mihi fuit consensu collegarum, ut ei omni studio obediatis, & nobis omnibus onera ac difficultates gubernationis, quæ alioquin alijs multis, partim manifestis, partim fatalibus de causis crescunt & aggrauantur, modestia uitæ ac morum, & diligentia in officijs uocationis uestræ subleuetis.

Tibi uero Magnificè domine Rector, Inclyte &

& Generose Domine Baro, Magistratum resigno & trado. Ac simul trado & commendo cum ornamentis & insignibus Magistratus, Sceptris scilicet & Epomide, cæteraq; etiam quæ fidei meæ pro muneris ratione commissa fuerunt, librum legum ac statutorum, Sigillum & Claues. Ac Deum æternum patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut gubernationem tuam uelit esse pacatam & salutarem scholæ ac studijs publicis, ut ipse sit Rector noster & disciplinæ custos, & improbitatis atq; contumaciæ uindex, in ijs, qui se legibus & pœnis cohercere non paciuntur, & faciat ut labores nostri prosint Ecclesiæ. Oro etiam ut misere afflictam & oppressam Ecclesiam, cumq; potentissimis hostibus conflictantem benignis & misericordibus oculis respiciat, uindicet, liberet, ac nos in ea omnes seruet. DIXI.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000389

VVITEBERGÆ

Excudebant Clemens Schleich et Antonius Schöne.

ANNO

M. D. LXXII.

(c)HAB http://diglib.hab.de/drucke/394-63-quod/start.htm?image=00000390